S. CAROLI BORROMEI

S. R. E. CARDINALIS ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI

HOMILIÆ

NUNC PRIMUM E MSS. CODICIBUS BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ IN LUCEM PRODUCTÆ

JOSEPH ANTONII SAXII

PRÆFATIONE ET ANNOTATIONIBUS ILLUSTRATÆ.

TOMUS SECUNDUS.



Franciscus Zucchi incidit Venetiis.

MEDIOLANI MDCCXLVII.

EX TYPOGRAPHIA BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

APUD JOSEPH MARELLUM

SUPERIORUM FACULTATE AC PRIVILEGIO.

LECTORI BENEVOLO

JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
SS. Ambrosii et Caroli Oblatus,
ac Bibliothecæ Ambrosianæ Præfectus.

CUm primùm aggreſſi ſumus provinciam vulgandi publicis typis Homilias, quas (paucis exceptis) S. Carolus Borromeus ſub extremos vitæ annos ad Clerum & ad Populum habuit, actuſque ſecreto quodam divini Spiritus inſtinctu, ex italico in latinum traductas, pretioſam veluti hæreditatem huic Eccleſiæ reliquit, conſilium animo inſederat, ne priùs illas in lucem emitteremus, quàm poſtremam a Typographo manum recepiſſent, ut theſaurus iſte Evangelicæ doctrinæ hactenus ignotus, ad omnium conſpectum integer proferretur. Id etiam ſuadebat non inanis concepta opinio, fore ut iſta Editio Lectoribus gratior accideret, ſi unico intuitu complecti potuiſſent, quidquid ad curandam Animarum ſalutem, augendum Dei & Sacramentorum cultum, vitia demum a Grege præſertim ſuo evellenda, inſerendaſque virtutes, in hac Metropoli, in Vicis, in Oppidis, ac in alienis quoque Diœceſibus perorando Sanctus ille Antiſtes protulerat. Quin etiam illuſtrior gloria vigilantiſſimo eidem Paſtori acceſſura videbatur ex ipſa plurium voluminum mole in publicum ſimul producta, quæ, ſolo ſeptem ſupra decem menſium ſpatio, conſtans in Divini Verbi prædicatione Caroli labor implevit: Inde enim admiratio non modica cunctorum animos occupaſſet, vix oculis fidem præbentium, ſanctiſſimum eum Præſulem tot Eccleſiæ Mediolanenſis aliarumque

Regionum negotiis diſtentum, celebrandis Provincialibus ac Diœceſanis Conciliis continuò inſudantem, conſcribendis denique frequentiſſimis Epiſtolis, condendis Regulis, ac evulgandis Paſtoralibus Literis, Inſtructionibus, Monitis ſemper addictum, nihilominus tam aſſiduè in hoc genere exercitationis verſatum fuiſſe, ut credi poſſet, eumdem aliis omnibus curis ſolutum, in unum concionandi munus totum incubuiſſe. Neque verò quiſquam exiſtimet, Sermones hoſce parvi CAROLO conſtitiſſe, ac ſi ſuggeſtum conſcendens verba ex tempore faceret; ſeriò namque illos meditabatur, calamo exprimens quæ capaci mente revolverat argumenta, ordinem, partitionem, ſuiſque locis adaptans teſtimonia Scripturarum, Sanctorum Patrum ſententias, & exempla: id nobis certum reddentibus numeroſis Codicibus, quos, ad parandas Conciones, manu propria S. CAROLI exaratos Ambroſiana Bibliotheca ſervat ac veneratur. Hæc conſilii noſtri ratio erat; attamen, ne illud exequeremur, plura obſtitere.

Ac primò quidem effuſa in proximas remotaſque Provincias inſignis hujus Operis excudendi fama, multòque magis inſita omnium animis erga S. CAROLUM peculiaris religio, ita deſiderium ſuccendit perluſtrandi quamcito præclara hæc monumenta, quæ jam vigentem a longæva ætate ſummam de ſanctimonia doctrinaque tam excelſi Præſulis exiſtimationem altiùs confirmarent, ut quævis mora in iiſdem producendis ingrata eſſe queat fervidæ expectationi. Nova inſuper mentem noſtram ſubiit cogitatio, rem cunctis acceptiſſimam nos acturos, ſi Concionibus hiſce, quæ in hanc uſque diem delituerant, reliquas S. CAROLI, quæ jam lucem viderunt, adjungeremus; ita enim quilibet ſacri hujus pabuli deguſtandi cupidus a moleſto incommodo alios evolvendi Libros eximeretur. Demum ut obvia cuilibet ac facilè comparanda foret diſtributa hæc in plures tomos Concionum ſeries, opportunum duximus, geminam ejuſmodi Codicum im-


preſſio-

preſſionem inſtruere; alteram, quæ nobiliùs in folio excuſa Bibliothecas ornaret, alteram breviori formâ, quæ in omnium manus excurreret. Cùm autem iſthæc ad optatum exitum perducenda plurium menſium diligentiam exigerent; ne expetentium anxietas nimiâ editionis tarditate fatigaretur, primitias haſce noſtri præli publici juris fecimus, reliqua quæ ſubſequuntur volumina quamprimum evulgaturi.

Expletis verò S. Caroli tum ineditis Homiliis, tum aliàs impreſſis Synodalibus Orationibus, ac Sermonibus ab ipſo habitis ad Moniales Angelicas S. Pauli Mediolani, nonnulla alia ab eodem Sancto Antiſtite elaborata adjiciemus, Academicas videlicet Tractationes, quibus Romæ in Noctibus Vaticanis Carolus ſe exercuit, Paſtoralem Sylvam, & Tractatum de Arte meditandi; ſique in juſtum ordinem redigi poterit, partem quoque aliquam Concionum, quas *Arbores* appellamus; cùm diligentiſſimus ille Præſul, quidquid ad uberem ſibi concionandi materiam inſtruendam opus erat, proprio charactere in chartas referret, varia diſtribuens capita, ad omnes oratoriæ Artis leges compoſita, tamque accuratâ rationum atque auctoritatum ubivis diſpoſitione, ut, quemadmodum ſuperiùs innuimus, iiſdem conficiendis exiſtimari debeat, vacuum ab omni alio gerendo munere ocium Carolo ſuppetiiſſe. Sed iſtud etiam, inter cetera in tanto Viro admiranda, numerari poteſt; idque peculiari annotatione dignum cenſuit Joannes Petrus Bimius Comes & Eques J. C. Mediolanenſis, qui ſtatim a S. Caroli morte brevem illius Vitam condens, atque in hac Metropoli primus edens anno MDLXXXV., literarios ipſius labores his verbis recenſet: „ Præter id temporis, quod „ valetudini dare ſolebat, quod, quàm puſillum eſſet, omnes „ admirabantur, hora nulla nec temporis momentum præteri„ bat, quod non in orationibus, Literis ſacris, & cum virtute „ traduceret, itaut vix ſpatio quadriennii, Vir tantis operoſis

„ nego-

„ negotiis diſtrictus & impeditus, elegantes tamen Libros de his
„ quæ paſſus eſt Chriſtus, de Vita & officiis Epiſcopi & Sacer-
„ dotum, multaque Sacra Colloquia & Sermones, quos *Homilias*
„ vocamus, puris & ſapientiſſimis ſententiis, gravibuſque verbis
„ ornatos conſcripſerit; qui utinam ad communem utilitatem
„ abſoluti & recogniti ab his, qui ejus pium animum noverant,
„ aliquando exeant & promulgentur „! Vota hæc tum remoti illius ſeculi, tum præſentis ætatis quantocius implere contendemus: Tu interim Lector primos hoſce typographiæ noſtræ conatus benignè complectere, ac fauſtos nobis dies adprecare, ut ad ſanctiſſimi noſtri Antiſtitis gloriam augendam, promovendumque Chriſtianæ pietatis cultum reliqua perficiamus. Vale.



ELEN-

E L E N C H U S
H O M I L I A R U M,
Quæ in hoc Secundo Volumine continentur.

HOMILIA XLV.

DE Ocio; *habita in Eccleſia Collegiata S. Sepulchri, anno* 1583. 8. *Julii.* paginâ 1

HOMILIA XLVI.

In Evangelium Lucæ Cap. XIV. Homo quidam fecit Cœnam magnam &c.; *habita Dominicâ VI. poſt Pentecoſtem, anno* 1583. 10. *Julii.* 7

HOMILIA XLVII.

In idem Evangelium, eodem Capite; habita eâdem Dominicâ VI. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 10. *Julii.* 20

HOMILIA XLVIII.

In idem Evangelium; habita eâdem Dominicâ, anno 1583. 10. *Julii.* 35

HOMILIA XLIX.

In idem Evangelium; habita eâdem Dominicâ, anno 1583. 10. *Julii.* 49

HOMILIA L.

Ad Moniales Angelicas Cœnobii Sancti Pauli Mediolani; habita Feriâ II. Dominicæ VI. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 11. *Julii.* 52

HOMILIA LI.

In Evangelium Matthæi Capite XX., De duobus Cæcis; habita Dominicâ VII. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 17. *Julii.* 61

HO-

Digitized by Google

HOMILIA LII.

In idem Evangelium, eodem Capite, De Cauſis cæcitatis ſpiritualis; babita eâdem Dominicâ VII. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 17. *Julii.* 76

HOMILIA LIII.

In idem Evangelium, eodem Capite, De Damnis a ſpirituali cæcitate profluentibus; babita eâdem Dominicâ, anno 1583. 17. *Julii.* 91

HOMILIA LIV.

In Evangelium Matthæi Capite XIII.; babita ad Moniales Sanctæ Praxedis Mediolani, Feriâ V. Dominicæ VII. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 21. *Julii.* 106

HOMILIA LV.

De Sancta Maria Magdalena; *babita in Eccleſia Collegiata Sancti Sepulcbri, Feriâ VI. Dominicæ VII. poſt Pentecoſtem, anno* 1583. 22. *Julii.* 118

HOMILIA LVI.

In Evangelium Lucæ Capite XIX.; babita in Eccleſia Præpoſiturali Tricii Diœceſ. Mediol., Dominicâ IX. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 31. *Julii.* 120

HOMILIA LVII.

In Evangelium Lucæ Capite XII. STULTE, HAC NOCTE *&c.; babita in Eccleſia Præpoſiturali Trivilii Diœceſ. Mediol., Dominicâ X. poſt Pentecoſtem, anno* 1583. 7. *Auguſti.* 135

HOMILIA LVIII.

De Sancto Laurentio *Martyre; babita in ejuſdem Baſilica Mediolani, anno* 1583. 10. *Auguſti.* 150

HOMILIA LIX.

In Evangelium Lucæ Capite XVIII. De Phariſæo, & Publicano; babita in Metropolitana Mediolani, Dominicâ XI. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 14. *Auguſti.* 170

HO-

Digitized by Google

HOMILIA LX.

In Aſſumptione B. V. Mariæ; *babita in Templo Maximo Mediolani inter Miſſarum ſolemnia, anno* 1583. 15. *Auguſti.* 188

HOMILIA LXI.

In Aſſumptione B. V. Mariæ; *babita in Templo Maximo Mediolani poſt Completorium, anno* 1583. 15. *Auguſti.* 206

HOMILIA LXII.

De Sancto Simpliciano *Epiſcopo Mediolani; babita in Baſilica Metropolitana, Feriâ III. Dominicæ XI. poſt Pentecoſtem, anno* 1583. 16. *Auguſti.* 220

HOMILIA LXIII.

In Evangelium Matthæi Capite V. NISI ABUNDAVERIT JUSTITIA VESTRA *&c.; babita in Eccleſia Præpoſiturali Nerviani Diœceſ. Mediol., Dominicâ XII. poſt Pentecoſtem, anno* 1583. 21. *Auguſti.* 235

HOMILIA LXIV.

In idem Evangelium & Caput Matthæi; babita ibidem a prandio, anno 1583. 21. *Auguſti.* 254

HOMILIA LXV.

In Evangelium Marci Capite VIII. De ſeptem Panibus; babita in Eccleſia Parochiali Lomatii Diœceſ. Mediol., Dominicâ XIII. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 28. *Auguſti.* 272

HOMILIA LXVI.

In idem Evangelium, De ſeptem Panibus; babita ibidem a prandio, anno 1583. 28. *Auguſti.* 292

HOMILIA LXVII.

In Oratione XL. Horarum; babita in Eccleſia Cathedrali Vercellarum Sabbato Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem, anno 1583. 3. *Septembris.* 311

HO-

HOMILIA LXVIII.

In Oratione XL. Horarum; habita in eadem Eccleſia Cathedrali Vercellarum eodem Sabbato, anno 1583. 3. *Septembris.* 316

HOMILIA LXIX.

In Oratione XL. Horarum; habita in eadem Eccleſia Cathedrali, eodem Sabbato, anno 1583. 3. *Septembris.* 320

HOMILIA LXX.

In Oratione XL. Horarum; habita in eadem Eccleſia Cathedrali, eodem Sabbato, anno 1583. 3. *Septembris.* 326

HOMILIA LXXI.

In adminiſtratione Sanctiſſimæ Eucharistiæ Sereniſſimo Domino Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci, graviter ægrotanti; habita Vercellis, Feriâ II. Dominicæ I. poſt Decollationem, anno 1583. 5. *Septembris.* 332

HOMILIA LXXII.

In Nativitate B. V. Mariæ; *habita in Baſilica Metropolitana Mediolani, anno* 1583. 8. *Septembris.* 337


HOMILIA LXXIII.

In Evangelium Lucæ Capite VIII.; habita in loco Paderni Diœceſ. Mediol., Sabbato Dominicæ II. poſt Decollationem, anno 1583. 17. *Septembris.* 356

HOMILIA LXXIV.

De Sancta Thecla; *habita in Templo Maximo Mediolani Dominicâ IV. poſt Decollationem, anno* 1583. 25. *Septembris.* 367

HO-



HOMILIA XLV.

DE OCIO

Habita in Eccleſia Collegiata S. Sepulchri Mediolani

Feria VI. Dominicæ V. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. VIII. JULII.

CONGRUE, dilectiſſimi filii, pluribus, quæ de pernicioſa ocii ſobole audiviſtis, ac de *multa malitia*, quam *docuit otioſitas* (*a*), Ezechielis Prophetæ verba addi poſſe videntur, quibus peſtiferi peccati hujus fructus recenſentur, cùm dicit: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ; ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & ocium ipſius, & filiarum ejus; & manum egeno, & pauperi non porrigebant* (*b*). Non eſt, arbitror, inter vos quiſpiam, qui ignoret, ſcelera gentis illius ejuſmodi fuiſſe, quæ miſericor-

(*a*) *Eccleſiaſtici XXXIII. v. 29.*

(*b*) *Ezechielis XVI. v. 49.*

dem ac benigniſſimum Dominum Deum, naturæ ſuæ quodammodo obliviſci compulerint, ac ſulphureas & igneas ſagittas e Cœlo demittere, univerſamque illam Civitatem, ac alias criminum ſocias funditus evertere, ac igne conſumere. Nec eſt quòd enormia vobis illorum delicta commemorem, quæ ſacras Literas ſtudioſè legentibus facilè patent; ſed dumtaxat eorum originem animadvertite ac cauſas, & inter ceteras, unam, nec minorem fuiſſe invenietis, ocium. Ergo id, unde tot nefanda delicta proveniunt, nos leve exiſtimabimus? Eſt, filii, Chriſti veluti Mimus, ac viliſſimum animal (quod ſimiam vocant) Satan; ſtudet iis, quæ ab illo proponuntur, aliquatenus etiam ipſe, & ſuperficie tenus ſimilia quædam ſuggerere, quæ tamen non modò diverſa, ſed illis ſunt omnino atque e diametro contraria; illa namque ad vitam, hæc ducunt ad mortem. Suadet Chriſtus & præcipit, legi ſuæ obediendum; ſuadet èt Dæmon, ſuæ obtemperandum: humilitatem Chriſtus extollit; peſtiferam quamdam vilitatem, quam nonnulli ſtultè humilitatem appellant, Dæmon commendat, qua, ſuæ homines dignitatis atque nobilitatis animæ obliti, jumentis ſimilem vitam ducunt. Præcipit Chriſtus ſua cuique reſtituenda; Dæmon reſtitutionem etiam, ſed qua nihil pejus, ſequacibus ſuis proponit; nam cùm peccati, dum committitur, proprius fructus ſit confuſio & erubeſcentia, liberè verò ac confidenter ſit Sacerdoti in Confeſſione illud exponendum; diſcipulis ſuis, dum peccant, erubeſcentiam tollit ac confuſionem, quam, cùm ad Sacerdotis pedes accedunt, illis adeò abundanter reſtituere conatur, ut præ rubore peccata, quæ liberè eſſent dicenda, reticeant; ac quod peſſimus Mimus peccatis, dum committerentur, ademit, importunè, cùm ſunt confitenda, reſtituit. Sic, ut ad propoſitam ocii deteſtationem veniamus, conſulit Chriſtus Dominus fidelibus ſuis paupertatis votum, cujus ipſe, dum vixit, adeò fuit ſtudioſus: omnia ſuadet abjicienda, ac quemlibet ſuis ſe commodis privantem ob illius reverentiam, miro complectitur amore. Sed ecce ex adverſo ſimia Diabolus, qui èt ſua præbet maledicta conſilia, habet èt ipſe, quam exhibet amplectendam, paupertatem, qua verè miſeros ac pauperes quamplurimos efficit, dum eos, quæ ſua ſunt, ac ſummo eſſent ſtudio retinenda & conſervanda, effundere docet atque projicere. Sed quænam ejus ſuaſu homines rejiciunt? An fortè divitias, aurum, argentum, opes plurimas? Sed non hæc noſtra propriè dixerim, utpote quæ tam facilè poſſi-

poſſimus amittere; ſed noſtram appellaverim, animam in primis, tum pretioſiſſimum hoc munus a Deo nobis conceſſum, tempus videlicet: hoc enim verè noſtrum eſt, quia id nemo tollit a nobis, niſi vitam etiam ipſam tollat; quia uti eo atque abuti poſſumus; quia & vitam & æternam mortem nobis illo poſſumus comparare. His omnibus verè bonis Dæmon, ocium proponendo, homines ſpoliat, quos & animam ipſam, & tempus projicere atque profundere ſuadet; ac miſerrimâ iſta & deplorandâ paupertate, pauperrimos reddit crioſos. O pauperes viros! o terque quaterque infelices! Sed quid pauperes dico? imo verò addo etiam ſtultiſſimos, ac mentis prorſus expertes (*a*). Si quis inter quamplurimos amarè flentes exiſtens, ſolus ipſe in cachinnos prorumperet, ſtultus profectò ab omnibus jure exiſtimaretur, quòd, contra ceteros omnes, quos non ſine cauſa plorare putandum eſt, ac quorum ſolus aſpectus alteri lacrymas debuiſſet elicere, unus ipſe tamen rideat. Ocioſus homo conſtitutus eſt, in hac ampliſſimâ Mundi machinâ in qua univerſa continuò videt operari; & tamen ſolus ipſe ociatur. Operatur ab æterno omnipotens Deus, ad intra ſemper, & ad extra; Angeli inceſſanter operantur, quia *Spiritus ſunt Adminiſtratorii* (*b*); Cœli omnes in perpetuo ſunt motu; elementa numquam non concurrunt ad mixtorum generationes atque corruptiones; fructus per tempora & flores terra producit; animalia cetera omnia naturæ inſtinctu ad ſuos fines tendunt: Et homo ſolus ad laborem potiſſimùm creatus, ùt avis ad volandum, cui binas manus, ſicut volucribus binas alas, naturæ parens Deus conceſſit, ut eum ad operandum natum eſſe demonſtret, inter omnia tamen cupit ociari? Et quis hujuſmodi viro locus deputabitur? Non certè Cœlum, in quo Dei laudibus occupati ſemper ſunt Cœleſtes Spiritus; non terreſtris Paradiſus, in quo collocaverat hominem Deus, *ut operaretur* (*c*) in eo; non terra, in qua cuncta laborant, & qua illum minimè dignum eſſe Dominus cenſuit, cùm de infructifera arbore loquens dixit: *Ut quid etiam terram occupat* (*d*)? non Purgatorii carcer, in quo expiandis criminibus futuri beati detinentur. Quis ergo ei aſſignabitur locus? Audite in Evangelio Chriſtum de ſicca arbore, & quæ fructum non ferebat, dicentem: *Excidetur, & in ignem mittetur* (*e*). Ignis erit ocioſorum hominum perpetua ac ſine fine duratura habitatio.

Tom. II. A II Stul-

(*a*) *Proverb. XII. v.* 11.
(*b*) *Ad Hebræos I. v.* 14.
(*c*) *Geneſ. II. v.* 15.
(*d*) *Lucæ XIII. v.* 7.
(*e*) *Matth. VII. v.* 19.

Stultis ſi margaritam aliquam pretioſam tribuas, eam facilè negligent atque projicient, ejus pretium ignorantes. Quid ocioſis ſtultius, qui tempus, quo nihil eſt pretioſius, prorſus contemnunt; cujus tanta eſt poſt mortem futura indigentia; cujus vèl minimam horam ſi qui in Inferno damnati ſunt, conſequi poſſent, quidquid haberent, pro ea comparanda tribuerent; quod nobis adeò breve conceſſum eſt, ad tantam æternam gloriam emendam? *Ecce nunc*, clamat Apoſtolus, *tempus acceptabile* (*a*), & pulchrè *nunc*, filii; quid enim de tempore, niſi nunc, niſi inſtans, niſi momentum, eſt noſtrum? Præteritum enim tempus jam abiit; futurum nondum advènit; ſolùm nobis ſupereſt *nunc*: & illud ocioſè (proh dolor!) conſumimus.

Sed ſe fortaſſe aliqui imprudenter jactabunt, dicentes: in multis quidem peccamus, at huic certè peccato minimè ſumus obnoxii, neque conſumpti temporis Deo ſumus reddituri rationem; totos enim dies per Urbem curſitamus, palatia deambulamus, in foro cauſas tractamus, mercaturam exercemus, ad nundinas currimus, vendimus & emimus, in apothecis verſamur, negotiis obruimur, nec de ocio nobis timendum eſt. Sed non advertitis miſeri, quòd èt in negotiis ocioſos vos eſſe deflendum eſt; iis enim ſolùm immoderata quadam ſolicitudine dediti eſtis, quæ ad corpus & ejus commoda ſpectant; præcipuum verò, ad quod eſtis creati, negotium ne cogitatis quidem. Jumentis ac bobus tota die terram arantibus, in negotiis veſtris ſimiles eſtis; cùm ea ad finem minimè dirigitis, cùm iis animæ veſtræ ſalutem minimè anteponitis. In vanum laboratis, quæ vana ſunt tantùm omni ſtudio ſectantes; corporis brevì interituri dumtaxat rationem habentes, animæ verò in perpetuum duraturæ prorſus obliti, cujus curandæ atque ſalvandæ ſtudium, Chriſtiani hominis præcipuum deberet eſſe negotium. Hi certè, licèt Mundo negotioſi videantur homines, coram Deo tamen, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, *in vanum accipiunt animam ſuam* (*b*), dum eam ad finem, ad quem creata fuit, non dirigunt; dum cetera omnia, quæ prætermiſiſſe delictum non eſt, ſolicitè nimis pertractant; quæ verò ſine peccato omitti non poſſunt, ne attingunt quidem. Neque verò abſurdum quiſpiam putet, negotioſos hujuſmodi homines, ocioſos verè dici & poſſe, & debere; nam èt ad Timotheum ſcribens Apoſtolus de junioribus viduis ita loquitur: *Simul autem*

èt

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v. 2.* | (*b*) *Pſalm. XXIII. v. 4.*

ėt ocioſæ diſcunt circuire domos; non ſolùm ocioſæ, ſed ėt verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet (*a*). Sed ſi domos circumeunt, ſi vicos & plateas diſcurrunt, quomodo eas, ſapientiſſime Paule, ocioſas appellas? Non aliter ſanè, quàm ſicut mortuos eos dicimus ac deploramus, quorum in vivis corporibus animæ mortuæ ſunt; ſic ėt hujuſmodi homines corpore quidem negotiantur, animo autem otiantur. O infelix negotium! quo etſi Mundum univerſum lucrari contingat, animæ tamen ſuæ detrimentum patientibus quid totum id prodeſt? Ergo omne ocioſum & vanum.

Equidem dum horum temporum mores mecum ipſe, filii, perpendo, non poſſum multorum calamitatem non deflere, qui tam multa ſuſtinent, tam multa patiuntur, quidquam ſemper agunt, tot noctes ducunt inſomnes, tot denique pro Mundo faciunt, quæ vana ſunt omnia, inutilia, ac quando nimia ſunt, etiam pernicioſa; & quæ, ſi ſolo in eis fine mutato, ideſt ſicut pro Mundo ſic pro Chriſto, ſicut pro corpore ſic pro anima fierent, ſummi eſſent valoris atque momenti, ſanctos homines efficerent ac Deo gratiſſimos. De iis denique, & ad eos non diceret Dominus: *Quid hìc ſtatis tota die otioſi* (*b*)? *Hìc* fratres, *hìc* filii, in vita hac, in qua aſſiduo laborandum vobis eſſet; in qua omnia forent ſuſtinenda pro tanti Regni, quale eſt Cœlum, adeptione; in qua, utpote in via, ambulare deberetis ad Patriam & feſtinare; quæ lacrymarum vallis, exilii locus, ad modicum tempus diverſorium eſt; in qua omnia vos ad otii deteſtationem, & laboris ſuſceptionem excitare deberent: *Hic*, inquam, a loci conditione delictum augentes, *quid ſtatis?* ubi currendum ad Cœlum, ubi a facie peccati ſemper eſt fugiendum: *Tota die*; quid eſt enim vita veſtra, niſi *tamquam dies heſterna, quæ præteriit* (*c*)? *otioſi*, deſides, ignavi? Sed jam vos ocium execrari atque abhorrere non dubito, tamquam Diaboli pulvinar, malorum omnium radicem, ac animæ ſepulchrum.

Verùm quid ad ejus fugam nos potiſſimùm poteſt impellere? Afferri quidem multa a nobis poſſent in medium; ſed unicum breviter virtutum omnium exemplar, viviſſimum ſpeculum, efficaciſſimum ſtimulum propono, Jeſum Chriſtum, & hunc Crucifixum: cùm memoriæ ſacratiſſimæ iſtius Paſſionis hodiernus feriæ ſextæ dies dicatus ſit, ac de ea ſingulis iiſdem diebus hoc

in

(*a*) *I. ad Timoth. V. v.* 13.
(*b*) *Matth. XX. v.* 6.
(*c*) *Pſalm. LXXXIX. v.* 4.

in loco verba fiant (*a*). Intuemini vos univerſam ejus vitam, qua nihil laborioſius, & mortem, qua nihil eſt vilius. Et quid in his omnibus nos exemplo pariter docuit & verbo, niſi laborandum? niſi non otiandum? niſi vigilandum? niſi orandum? Quorſum tot ejus labores & dolores, contumeliæ & opprobria, clavi & ſpinæ, verbera & plagæ, mortis perpeſſio, Crucis ignominia, niſi pro ſalute noſtra procuranda? Quomodo in ſeipſo otii deteſtandam pravitatem non damnat; cùm ejus omnes corporis partes non otio langueſcant, ſed intenſiſſimo dolore vexentur? Oculos, obſecro, in ſanctiſſimum illud caput conjicite ſputis fœdatum, ſanguine tinctum, ſpinis transfixum, decoloratum. Aſpicite duos illos oculos, ſole & aſtris omnibus ſplendidiores, languidos & exangues. Videte manus ejus & pedes, totam corporis figuram contemplamini; & perpendite, an vos, qui ejus eſtis membra milites atque diſcipuli, otioſos eſſe deceat. Tot pro vobis ille pertulit, ut nec ſibi etiam mortuo pepercerit, ſed diro lanceæ mucroni ſacratiſſimum ſuum pectus expoſuerit, innuens, ſe millies etiam mori pro ſalute veſtra fuiſſe paratum; ut èt vos pro eâ ſoliciti ſitis, & jugiter laboretis. Otium, filii, fugite, quod omnia damnant, quod omnibus adverſatur, quod ſacri omnes Libri deteſtantur, quod Chriſti, & Sanctorum hominum exempla impugnant. Neque vos laborum pigeat, licèt èt fortè aliquo ii cum vitæ diſpendio ſubeundi eſſent (quod vix certè timendum eſt, cùm adeò ſimus erga nos ipſos diſcreti, ut nihil hac de re dubitari poſſe videatur); nam non inutiliter brevis hæc vita pro æterna eſſet expoſita, cùm *non ſint condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam* (*b*). Operamini hìc denique, quamdiu ſuppetit tempus, ne ingruente morte tempus ſubſequatur, quo operari velitis, nec poſſitis; pœnitere, nec valeatis; bene agere, nec permittatur; Cœlum ingredi, nec ejus ultra oſtium aperiatur: Imo verò, ut operantes mercedem ampliſſimam conſequamini, quam Dominus operariis, non autem otioſis, dari præcepit. Amen.

HO-

(*a*) Qualibet hebdomada in Eccleſia Sancti Sepulchri duo habebantur ſermones de Paſſione Domini, quartâ nempe, & ſextâ feriâ, a Sacerdotibus Congregationis Oblatorum, quam, ut alibi jam adnotavimus, Sanctus Carolus inſtituerat. Eò autem ſe conferebat frequenter Sanctus Antiſtes, ibique io parva Cellula morabatur, Collegium illud *ſuas delicias* appellans, ùt tradit Gluſſianus in ejuſdem Vita Lib. V. Cap. IV.

(*b*) *Ad Romanos VIII. v.* 18.

HOMILIA XLVI.

IN EVANGELIUM LUCÆ
CAP. XIV.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

Habita Dominica VI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. X. JULII.



INVITATUS, dilectiſſimi filii, a Principe quodam Phariſæorum Salvator noſter Dominus Jeſus, qui vocare venerat peccatores, præſertim verò oves Iſraël, ad ejus acceſſit Convivium. Sed qui modica dantibus infinita retribuit, utpote *dives in miſericordia* (*a*) & in conferendis muneribus liberaliſſimus, corporali ſe pane paſcentem, ſpirituali ipſe multiplici cibo, juxta morem benigniſſimæ naturæ ſuæ, refecit; nam hydropicum in primis ante ſe exiſtentem, Sabbati die ſanitati reſtituit, ut Principis & ceterorum infidelitatem ſanaret, divinæ ſuæ naturæ ſignum illud manifeſtiſſimum exhibendo. Secundò autem prænoſcens, quomodo invitati primos accubitus eligerent, eorum ſuperbiam atque ambitionem ſanctiſſimo præcepto ſtuduit curare, dicens: *Cùm invitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco* (*b*), ac poſt non multa inferens, *quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur* (*c*). Tertiò demum ſapientiſſimus Magiſter ex eorum cordibus avaritiæ ac cupiditatis radicem ſtuduit evellere, monens, in conviviis non fratres aut amicos, ſeu vicinos divites invitandos eſſe, ſed pauperes, a quibus nulla in hoc Mundo ſperari poſſit retributio. Ubi cùm inter cetera, qui hujuſmodi eſſent, beatos dixiſſet, ac illis in reſurrectione juſtorum

(*a*) *Ad Epheſios II. v.* 4.
(*b*) *Lucæ XIV. v.* 8.
(*c*) *Ibidem v.* 11.

ſtorum retributionem eſſe paratam, ac viciſſim a Deo in cœleſti Regno paſcendos; quidam, cœleſtis illius Convivii tactus deſiderio, & verborum Chriſti mirâ efficaciâ commotus, faſtidiens appoſitas dapes, & anhelare incipiens ad epulas cœleſtis Regni dixit: *Beatus, qui manducabit panem in Regno Dei* (*a*). Quam ex intimis præcordiis vocem erumpentem cùm Chriſtus audiſſet, qui corda magis auſcultare ſolet, quàm labia, pulcherrimâ, quam paulo ante dum recitaretur audiſtis, parabolâ oſtendit, Phariſæorum Principes, ac ex Hebræis quàm plurimos, a cœleſti illa menſa excludendos fore; neque id Deo Optimo Maximo tribuendum, qui eos vocare non deſtitiſſet, ſed ipſorum culpæ, qui recuſaſſent accedere. Utilis admodum præſens hæc erit tractatio, ex qua non pauca ediſcere poteritis. Tu benigniſſime Chriſte, qui adeò hodie in Phariſæum multipliciter extitiſti liberalis, da, ut hujus enarratione Parabolæ, qua noſter hic ſermo concludetur, & tibi ſit honor ac gloria, & animabus his ſalus æterna proveniat.

Videte in primis, cariſſimi, pulcherrimam Chriſti Domini ac ſuaviſſimam in docendo methodum, qui non mordaciter, ſed benignè parabolâ hac illos, quod intendebat, ùt diximus, edocuit; Hominem quemdam introducens, qui, ùt inter nobiles fieri ſolet, cœnam opiparam ac lautam paraverat Civitatis illius primoribus atque ditioribus, cujus cùm hora adveniſſet, ac ſervum ad illos, quos etiam ante invitaverat, miſiſſet, qui jam cœnandi horam eſſe ſignaret, illi diverſimodè ſe ſinguli excuſantes, hominem illum, a quo amicè fuerant invitati, ad iracundiam non modicam provocarunt; qui, cùm jam convivii expenſas feciſſet, pauperes quamplures ac debiles & infirmos, illorum loco, vocavit, in Civitatis plateis & vicis conſiſtentes. Cùm iſti minimè ſufficerent, omnis deinde generis homines, & peregrinos, & exteros quoſque, extra Civitatem ac juxta ſepes repertos, undequaque illuc convocari juſſit, atque compelli. Ac ut ad literæ ipſius peculiarem expoſitionem accedamus: ſanè per hunc hominem Chriſtus ipſe meritò intelligendus videtur, quemadmodum ultima Parabolæ verba innuunt, cùm non in patris-familias, ſed in perſona ſua ſubjunxerit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam* (*b*); qui quidem veritatem aperiendi modus, nempe addendo: *Dico vobis*, Chriſti Domini proprius admodum fuit; ſic enim apud Matthæum: *Dico vobis*,

(*a*) *Lucæ XIV. v.* 15.

(*b*) *Ibid. v.* 24.

vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum (*a*); & paulo ante: *Amen quippe dico vobis, donec tranſeat Cœlum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant* (*b*); & apud Lucam (*c*), cùm divitis enarraſſet parabolam, cujus animam Dæmones erant nocte repetituri, ſubdidit ſtatim: *Ideo dico vobis, nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ;* ac ſexcentis aliis in locis apud Evangeliſtas. Rectè homo dicitur Chriſtus, qui dignatione ſua, *cùm in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ùt homo* (*d*): & meritò quidem, cùm præter ipſum nullus umquam talis extiterit, aut eſſe poſſit; unde èt in Evangeliis ſanctis Filius hominis frequentiùs, quàm Dei Filius voluit nuncupari; cùm hominum valde delectetur naturâ, & illius *deliciæ* ſint *eſſe cum filiis hominum* (*e*). Hic *fecit cœnam*, cùm ultima Mundi ætate Verbum caro, diſpenſatione divina, factum eſt. Hic fideles multipliciter paſcit nutrit, in Cœlo demum pleniſſimè refecturus. Et Cœnam ritè *magnam* vocat, utpote quæ maximis ac nobiliſſimis epulis ſit inſtructa, ac ad eam magnus invitatus fuerit convivarum numerus.

Variam quidem tunc cœnam paravit; cujus altera pars, veluti ingreſſus ac diſpoſitio eſſet ad poſteriorem, eaque fuit Evangelii Sacroſancti convivium lautiſſimum, quo verbi panis ſuaviſſimus, & Sacramentorum opima fercula, divinumque epulum jucundiſſimum, ejuſdem verò in primis Chriſti Corpus ac Sanguis ab ipſomet fuere propoſita: Altera verò Cœleſtis eſt gloria, ac æternæ vitæ convivium, Cœnæ nomine pulchrè expreſſum, eò quòd poſt eam nullum ſit aliud Convivium, nec ipſa finem ſciat. Quòd de hac potiſſimùm locutus ſit Dominus, vix eſt dubitandi locus; cùm ad illius petitionem, qui panem in Regno Dei manducare anhelabat, reſpondens, hanc addiderit Parabolam. Verùm cùm una & eadem fidelium Eccleſia, & in Cœlo glorioſè triumphans ſit, & adhuc pugnans ad triumphum aſpiret, unum etiam videtur eſſe Convivium; unus enim utrobique eſt Deus, quem hìc per Fidem videmus, illic verò, ſicuti eſt; unus utrobique Chriſtus, hìc ſub Sacramenti velamine a nobis ſumptus, illic verò ſine; unus idemque panis ac potus, licèt diverſimodè paratus, & hìc quidem inter fletus & lacrymas ad conſolationem ſuſceptus, illic verò ad præmium, cum gaudio & exultatione. Ad hanc

(*a*) *Cap. V. v.* 20.
(*b*) *Ibidem v.* 18.
(*c*) *Cap. XII. v.* 22.
(*d*) *Ad Philipp. II. v. 6. & 7.*
(*e*) *Proverb. VIII. v.* 31.

ergo maximam Cœnam homo ſublimiſſimus Chriſtus, multos Judæorum in primis, ac primores inter eos, & per ſe, & per Prophetas ſuos ante ſe, ac diverſimodè, millies invitaverat; erant enim ipſi populus Dei electus. Hos autem tribus potiſſimùm modis ante ſuî adventum invitaverat, munerum ſcilicet largitionibus, pœnarum inflictionibus, & Prophetarum comminationibus ac vocibus, quibus omnibus veluti inſtrumentis eos ipſe invitabat; erant enim illa ipſiuſmet Dei verba, ùt Jeremias initio miſſionis ſuæ optimè perhibet: *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo* (*a*). Ac primùm quidem, cùm Abraham Hebræorum Patrem ſingulariter Dominus vocaſſet, dicens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monſtrabo tibi* (*b*), tunc muneribus illos in primis invitaverat, quæ adeò multa præceſſerunt, ut difficile ſit ea recenſere, quorum ſacræ paginæ libri ſunt pleni. Fuerat quippe ipſe eis Dux, Legiſlator, Defenſor, Magiſter, Medicus; eorum ipſe neceſſitatibus omnibus ſuccurrerat; legem ipſis tradiderat; ritus & cæremonias ipſos edocuerat; per deſertum illos deduxerat; per mare rubrum ſicco fecerat pertranſire veſtigio; manna ſuaviſſimo paverat; terram eis lacte & melle abundantem promiſerat; pro eis ipſe toties pugnaverat, toties in eorum hoſtes ſævierat, tot inimicorum millia perdiderat; apud ipſos fœderis Arca erat, & Teſtamentum, & Templum; ac infinita alia (quorum ſi minimam partem dicendo complecti vellem, me potius dies præteriret): quibus omnibus ad magnam cœleſtis Regni ac gloriæ cœnam illos invitaverat. Has tamen voces cùm populus ille duræ cervicis ac ingratiſſimus minimè exaudiret, ſed beneficia omnia peſſimè exciperet; Idola ſibi ſæpe conſtitueret; *Dei gloriam mutaret in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum* (*c*); ſervos ejus Moyſen, & Aaron pluries contriſtaret; manna faſtidiret, ac mille modis benigniſſimum Patrem provocaret, quæ facilè brevi in unum collecta Pſalmo LXXVII. videre poteritis: aliter invitare compulſus eſt Deus, in virga nempe ferrea atque flagellis. Ac quemadmodum benigniſſimus & amantiſſimus Pater, ſi filium viderit blanditiis inſolentiorem effectum, non quòd eum oderit, ſed quòd eum potiùs diligat, ut ipſius conſulat ſaluti, eum verbis corripit

(*a*) *Jerem. I. v. 9.*
(*b*) *Geneſ. XII. v. 1.*
(*c*) *Pſalm. CV. v. 20.*

pit & corrigit plagis: ſic èt ingratiſſimos Hebræos variis cœpit modis caſtigare. Hinc duriſſimæ illæ ſervitutes; hinc ſæviſſimæ, quibus premebantur, tyrannides; hinc captivitates; hinc ſerpentum morſus; hinc mille infirmitates & plagæ; hinc mille neces & mortes. Sed, cùm neque his vocibus proficeret populus, quin potiùs adversùs Deum millies obmurmuraret, per Prophetas tamdem illos vocare cœpit, ipſiſque extrema omnia comminari. Hinc terribilia tot illis apud Iſaiam, Jeremiam, Danielem, Ezechielem, Zachariam, Oſeam, Malachiam, Aggæum, & apud omnes Prophetas dicta. Noviſſimè denique cùm *multifariam multiſque modis, illis locutus fuiſſet in Prophetis*, acceſſit ipſemet Unigenitus Dei Filius Chriſtus Deus (*a*), ac per annos triginta tres innumeris modis, perfidos omnes Hebræos ad Evangelii ſui Cœnam, ac per eam ad cœleſte convivium vocavit. Quot apud Evangeliſtas Sanctiſſimos Chriſti miracula cernitis, quot morborum curationes, quot prædicationes, quot increpationes audiſtis, omnia eò tendebant, ut invitarentur ad Cœnam. Ideo cæcis viſum, ſurdis auditum, leproſis munditiem, hydropicis ſanitatem, claudis greſſum, debilibus fortitudinem, mortuis vitam largiebatur; ideo Civitates & Caſtella circuibat; ideo per mediam tranſibat Samariam, & Galilæam, nec inter alienigenas morabatur; ideo Cananæam primùm reſpuebat, apertè ſignificans, quia miſſus non fuiſſet *niſi ad oves, quæ perierant domus Iſraël* (*b*). Ideo Hebræis parentibus natus, inter Hebræos vivere ſemper voluit, ad eorum ſolemnitates accedere, in Jeruſalem denique mori, ut illos vocaret ad cœnam. Sed ingratiſſima hominum monſtra, infeliciſſimi Hebræi quid pro tot donis illi retribuerint, poſt audietis.

Cùm verò jam cœnæ hora acceſſiſſet, cùm ſalutis humanæ opus Chriſtus Dominus perfeciſſet, de quo clamans in Cruce dixerat, *conſummatum eſt* (*c*); ac aliàs: *Pater, opus conſummavi, quod dediſti mihi* (*d*); miſit tamdem ſervum ſuum, hoc eſt Diſcipulorum ſuorum, & Apoſtolorum, ac Prædicatorum cœtum (Verè enim poſt Chriſti Paſſionem ac Mortem erat veluti hora cœnæ, cùm cœlum, tanto ante tempore occluſum, jam eſſet reſeratum); qui omnes rite dicere poſſent: Venite, *comedite, & bibite, & inebriamini cariſſimi* (*e*). *Guſtate quoniam ſuavis eſt Dominus* (*f*), quàm ju-

(*a*) *Ad Hebræos I. v. 1. & 2.*
(*b*) *Matth. XV. v. 24.*
(*c*) *Joann. XIX. v. 30.*
(*d*) *Ibid. XVII. v. 4.*
(*e*) *Cant. Cantic. V. v. 1.*
(*f*) *Pſalm. XXXIII. v. 9.*

cundior Evangelica lex, ſcriptâ. *Haurite aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (*a*); *parata* enim *eſt in conſpectu veſtro Menſa*; *& Calix Domini inebrians, quàm præclarus eſt* (*b*)! Videte, quàm nobiliores vobis proponimus cultus, quàm digniores Sacerdotes, quàm excellentius ſacrificium, quàm ampliora præmia. Non jam hìc ampliùs terroris & minarum omnia plena; non timoris hæc, ſed amoris eſt lex; non hìc vobis terram lacte & melle fluentem, ſed cœleſtem proponimus Jeruſalem; omnia dulcedinis, ſuavitatis omnia plena & amoris. Venite igitur ad cœnam magnam, cariſſimi. Hæc Apoſtoli Hebræis primùm, tum ceteris prædicare, a Domino fuerant miſſi. Sed poſt immenſam Dei benignitatem, attendite, filii, execrandam ipſorum ignorantiam atque ingratitudinem; illam ut exoſculemini, hanc verò horreatis. *Cœperunt ſimul omnes ſe excuſare*, ac terrenarum rerum ſolicitudini & voluptatibus vacare maluerunt, quàm ad cœnam ingredi. Toti terrei, terram tantùm tractantes, ſoli adhærebant terræ, & dum legis corticem ad literam tantùm acciperent, ejus numquam ſensûs nucleum penetrare voluerunt; figuram ſolùm amplectentes, quod per eam figurabatur rejecerunt. Templi quidem erant aſſidui cultores, legem extrinſecus profitebantur, quam nec intelligere nec obſervare volebant; ſed omnia cupiditatibus, omnia avaritiâ metiebantur: hinc aquam ad ſuum dumtaxat molendinum, ùt trito proverbio fertur, ſatagebant attrahere; ideo docebant filios, Templis omnia offerre debere, quorum ipſi erant non cuſtodes, ſed raptores; parentibus verò dicendum jubebant: munus quodcumque ex me eſt, tibi proſit; & quoniam terreni toti erant, nec quidquam altum cogitabant, idcirco quæcumque de Meſſia in ſacris literis prædicta fuerant, ea carnaliter ac terrenè intelligebant; & quia hebeti ac rudi ingenio alta myſteria minimè percipiebant, ideo eos litera occìdit; nos autem ſpiritus vivificavit. Recuſarunt ergo Principes Hebræorum ad Cœnam accedere; imo èt accedentibus ad Chriſtum indignabantur, ac maledicebant; unde èt cæco nato, qui viſum a Chriſto recuperavit, ſe moleſtantibus reſpondenti: *Quid iterum vultis audire? Numquid èt vos vultis diſcipuli ejus fieri* (*c*)? Phariſæi *maledixerunt*, *& dixerunt: Tu diſcipulus illius ſis; nos autem Moyſi diſcipuli ſumus*, & contumeliis affectum *ejecerunt eum foràs* infeliciſſimi; ejiciendi poſtmodum ipſi

(*a*) *Iſaiæ XII. v.* 3.
(*b*) *Pſalm. XXII. v.* 5.
(*c*) *Joannis IX. v.* 27.

ipſi miſerrimè a Regno Dei, ac hominibus omnibus divinæ indignationis vivi teſtes futuri. Nam iratus Pater-familias Chriſtus Dominus, dixit ſervo ſuo: *Exi citò in plateas, & vicos Civitatis; & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc;* cùm recuſantibus Hebræorum Primatibus Chriſti Fidem ſuſcipere, Apoſtolorum doctrinam quàmplures e plebe Judæi reciperent, quod èt primùm Chriſto acciderat, de quo ante in ejuſdem perſona, Propheta prædixerat, *evangelizare pauperibus miſit me* (*a*). Sic ex ipſo Evangeliorum contextu, turbam Dominum ſequentem animadvertimus panibus ſatiatam, & multa ex iis millia ad Chriſti, & poſt etiam Apoſtolorum prædicationem converſa, Evangelio aſſenſum præſtitiſſe; ex Nobilibus autem pauciſſimi in Chriſtum credebant, ſed ex plebeis, quos ipſi ùt debiles, ac claudos, & infirmos habebant, multi eum ſequebantur; quod videntes etiam illi, plurimùm commovebantur dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit* (*b*); & *totus Mundus poſt eum abit* (*c*)? *Si dimittimus eum ſic, venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem* (*d*). Quod ritè ac meritò Dominus fecit, cùm *infirma Mundi eligebat, ut confunderet fortia* (*e*); juxta quod èt Corinthios Paulus monebat: *Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles &c.* (*f*) Extra Civitatem denique juxta vias & ſepes vocati ſunt Gentiles, Idolorum cultores, viam Dei ignorantes; quibus mox, poſtquam Judæi ſe Regno Dei reddidiſſent indignos, Apoſtoli ex Dei mandato Evangelium prædicarunt, per omnes orbis terræ partes diſperſi; & *in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum* (*g*). Et in noſtrì quidem vocatione, attendite filii ardentiſſimum Domini deſiderium, ut ad cœleſtem Cœnam confluamus, cùm non modò nos vocari præceperit, ſed ſervo ſuo, hoc eſt Prædicatoribus, & Apoſtolis dixerit. *Compelle* eos *intrare, ut impleatur domus mea* (*h*). Quo quidem loco non arbitrii ac voluntatis noſtræ deſtruit libertatem, ſed futuram Evangelicæ prædicationis vim talem oſtendit, ut homines belluarum more vitam ducentes, ad Evangelicam vitam tam numeroſè converteret, ut cogere eos & trahere videretur, ac nolentes, volentes efficeret. Id autem tribus potiſſimùm modis præſtituri erant Apoſtoli; primò quidem miraculo-

(*a*) *Ex Iſaiæ LXI. v. 1., & Luc. IV. v. 18.*
(*b*) *Joann. XI. v. 47.*
(*c*) *Ibid. XII. v. 19.*
(*d*) *Ibid. XI. v. 45.*
(*e*) *I. ad Corinth. I. v. 27.*
(*f*) *Ibid. v. 26.*
(*g*) *Pſalm. XVIII. v. 5.*
(*h*) *Lucæ XIV. v. 23.*

culorum operatione, ob quæ Ethnici Evangelio credere ferme impellebantur, ac quibus non modica eidem fides conciliabatur; unde mittens Apoſtolos ſuos Dominus ad prædicandum gentibus, cùm eis legationis ſummam præſcripſiſſet, addidit: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur; in nomine meo Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis: ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit; ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Et Dominus quidem Jeſus aſſumptus eſt in Cælum; illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis* (*a*). Secundò prædicandi aſſiduitate, nam opportunè, importunè concionabantur, nullum refugientes laborem, nullius Tyranni minis perterriti, nulla tormenta, nec mortem ipſam licèt ſæviſſimam, extimeſcentes. Tertiò demum vitæ integritate ac ſanctitate; qua nulli dubium eſt, plurimùm homines promoveri, ac dicenti magnam addi auctoritatem; ſicut e converſo cujus vita deſpicitur, reliquum etiam eſt, ut ejus quoque prædicatio contemnatur.

Sic verò, Hebræorum omiſsâ Synagogâ, Gentilium eſt inſtituta Eccleſia; & non jam illi Populus ſunt acquiſitionis ſed diſperſionis, non electus ſed maledictus, non gens ſancta ſed generatio perfida, & adultera; nos verò ſumus *genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta* (*b*). Et animadvertite, obſecro, filii, longiſſimam quoque Chriſti patientiam: Hebræos per quinquies & ampliùs mille annos tulerat, vocaverat & revocaverat; illi tamen ſurdis auribus ſemper recuſaverant, imo tamdem ipſum met Patrem-familias eos invitantem, morti adjudicari petierant, falſis calumniis ac mendacibus teſtibus contra eum adductis. Quid ergo? Numquid impunes ſemper divinâ abuti debuerant miſericordiâ? Minimè certè; ſed quos tam longa tulerat benignitas, in eos ſeverè fuerat, pro eorum ingratitudine, animadvertendum. Et ecce, quia iratus in perfidos & indignos Hebræos Dominus ſubdidit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam* (*c*); quibus verbis, ipſos deſtituendos Dei vera cognitione, & a Regni cœleſtis gaudiis excludendos ſignavit. O quàm acerbæ ruinæ, & quot calamitatum nuncia fuit hæc maledictio! quod èt aliàs ipſis dixerat Chriſtus: *Auferetur a vobis*, inquiens, *Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus* (*d*): deſinet ſcilicet vos Dominus protegere, & in ſui clientelam alios populos

(*a*) *Marci XVI. v.* 17. *& ſeqq.*
(*b*) *I. Petri II. v.* 9.
(*c*) *Lucæ XIV. v.* 24.
(*d*) *Matth. XXI. v.* 43.

pulos aſſumet; ceſſabit apud vos legalis cultus & Sacerdotium: *Vocavi* enim vos toties per prædicationem, *& renuiſtis; extendi manum meam* per bonorum largitionem, *& non fuit, qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum* & inſpirationes meas, *& increpationes meas* ac tribulationes immiſſas *neglexiſtis* (*a*).

Dolebas tamen adhuc vivens Chriſte infelicium horum hominum calamitatem, eò majorem, quò minùs ab ipſis cognitam; hæc tua erat immenſa & infinita benignitas, ut èt inimicorum te miſereri compelleret, cùm appropinquans eorum Civitati adeò tibi dilectæ, fleviſti ſuper illam dicens: *Quia ſi cognoviſſes èt tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis: quia venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te undique; & ad terram proſternent te, & filios tuos, qui in te ſunt, & non relinquent in te lapidem ſuper lapidem: eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ* (*b*). Quantâ, Domine mi dulciſſime, caritate ingratiſſimam Civitatem, & te perſequentem, ſanguinem tuum ſitientem, ignominias & dolores tibi omnes impiè machinantem, mortem tuam avidiſſimè exoptantem, proſecutus fuiſti! cùm inter tam fauſtas populi te honorificentiſſimè excipientis gratulationes, recogitans mala Civitati nobiliſſimæ & florentiſſimæ ob ipſius cæcitatem obventura, adeò es miſericordiâ commotus, ut etiam lacrymas profuderis, non ſuper te occidendum a Jeroſolymitanis, ſed *ſuper illam* (*c*), ideſt propter illam, & illius exitium. Adimpletum eſt ſanè nunc in te illud Pſalmi: *Si oblitus fuero tuî, Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea; ſi non propoſuero Jeruſalem in principio lætitiæ meæ* (*d*): quibus ſanè, Domine, manifeſtiſſimè nobis oſtendiſti, alienum a te & peregrinum opus eſſe, peccatores punire; & quòd non gaudeas, ſed planè doleas ſuper impiorum interitu, ut verè per Prophetam dixeris: *Nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat* (*e*).

Sed illorum tamdem intoleranda nequitia, ad ſervanda illis promiſſa, ac quæ comminatus fueras immittenda, te compulit; qui enim es miſericors, es etiam juſtiſſimus. Ne vos pigeat, obſecro, filii, Divinæ Juſtitiæ punitionem contra rebelles hos jaculatam audire; nam, ùt probatiſſimus auctor ſcribit Joſephus (*f*), plurima

(*a*) *Prov. I. v.* 24. *&* 25.
(*b*) *Lucæ XIX. v.* 42. *& ſeqq.*
(*c*) *Ibidem v.* 41.
(*d*) *Pſalmus CXXXVI. v.* 5. *& ſeq.*
(*e*) *Ezech. XXXIII. v.* 11.
(*f*) Belli Judaici Lib. VII. Cap. XII. Euſeb. Eccleſ. hiſtor. Lib. III. Cap. VIII.

plurima Jeroſolymæ deſtructionem ſigna præceſſerunt, quæ illius incolas mirum in modum terruerunt; per annum enim ante obſidionem ſidus ſuper Urbem viſum eſt ſimile gladio. Nonâ horâ noctis, lux diem ſuperans in Templo effulſit, & per dimidiam horam duravit: Bos immolandus agnum peperit in Templo: Porta Templi ænea ultro eſt patefacta: In aëre viſi ſunt commixti exercitus. Audita vox in Templo: Migremus hinc. Audita querulatio prodigioſa Jeſu Anani, per annos ſeptem & menſes quinque clamantis continuò: Væ, væ Jeroſolymis. Tum bella in ipſos ſæviſſima commota ſunt, & primum ſub Præſide Cumano, qui Alexandro ſucceſſerat, exorto Jeroſolymis tumultu ob militis inſolentiam Judæis illudentis, & ſeditione concitata, cæſa ſunt Hebræorum viginti millia (*a*). Mox Samaritani innumeros Judæos occiderunt. Sed èt ſicariorum genus prodiit, qui tectas veſtibus ſicas gerentes, paſſim in turba cœtuque populi homines perimebant; neque agnoſcebantur, ut miris terroribus omnia replerentur. Pauló poſt a Romano Imperio ipſis rebellantibus, Præſidum, a quibus gubernabantur, perverſa adminiſtratione ac dira tyrannide ad id quodammodo impellente, Cæſarienſes uno die Judæos apud ſe habitantes trucidarunt ad numerum XX. millium; hos pauló poſt Scytopolithæ imitati, XIII. Judæorum millia interemerunt. Mox Aſcalonitæ, duo millia quingentos; Ptolemays, duo millia; Alexandrini quinquaginta millia. Sed nondum finis; hæc enim riſu digna fuerunt, ſi cum iis, quæ jam audietis, conferantur. O admirabilem Dei vindictam! o juſtiſſima ejus judicia! o deplorandum nobiliſſimæ Civitatis excidium, & tanti populi deſtructionem! Cur non èt ipſi lapides flent? Cur hujus Eccleſiæ parietes in lacrymas non diſſolvuntur? Ego quidem præ ſingularibus hæc me recenſere poſſe diffido. Sed audite, filii, audite, & faciant vos horum pericula cautos: Diſcite, divinâ non abuti miſericordiâ, neque cœleſtibus, ùt illi fecerunt, vocationibus reſiſtere. Audite, inquam, extremam illius gentis ruinam, toties eis prædictam minarum terrore, ſed licèt dilatam, tamen ad exitum jam redactam; nimis enim citò advenit, quod, licèt ſerò, advenit tamen tamdem aliquando. Nam ſub Tito & Veſpaſiano Imperatoribus (*b*). Romano obſidionem Civitatis Jeroſolymitanæ aggreſſi, in circuitu Jeruſalem tres aggeres erexerunt, ac deinde etiam alios. Poſtea veró

(*a*) Joſeph. antiq. Jud. Lib. XX. Cap. VI. & de bell. Jud. Lib. II. Cap. XI.

(*b*) Joſeph. Lib. VI. & VII. de bell. Jud.

verò murum unum in circuitu, divina eos vindicta adjuvante & incitante, extruxerunt; eoque circumdatam Civitatem ita coanguſtarunt, ut nemini exitus vel introitus patuerit; atque hinc intolerabilis fames in Civitate orta eſt, quæ etiam proprios filios edere coëgit. Capta demum Civitas ſolo fuit æquata; & ſive fame, ſive gladio, occiſorum undecies centena millia numerata fuerunt; ac paucorum annorum ſubſequentium ſpatio, celeberrima Civitas penitus ita deleta fuit, ut, quamvis reædificata, in eodem tamen, quo erat loco, minimè fuerit extructa; cùm jam mons Calvariæ ſit intra Civitatem, nec ei priſtinum nomen relictum, nam ab Ælio Adriano Imperatore ejus Conditore, Æliæ nomen accepit. Et qui ex eis remanſerunt, vos ipſi, filii, videtis, num infeliciores eſſe poſſint; cùm transfugæ ſint ubique, nihil firmi poſſidentes, omnibus ludibrio, omnibus inviſi; itaut nec ipſi met Turcæ, Chriſtiani nominis hoſtes, eos ferre poſſint. Per Mundum vagantur, puerorum ac vulgi fabula, mille contumeliis paſſim expoſiti, denique univerſo terrarum orbi clariſſimum facti divinæ juſtitiæ teſtimonium.

Lugeat nunc magis Jeremias, nec conſolationem inveniat, dicens: *Quomodo ſedet ſola Civitas plena populo. Facta eſt quaſi vidua Domina Gentium; Princeps Provinciarum facta eſt ſub tributo. Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus; non eſt qui conſoletur eam ex omnibus caris ejus; omnes amici ejus ſpreverunt eam, & facti ſunt ei inimici* (*a*).

Lugeant eam Prophetæ omnes antiqui; lugeant omnes omnium generum homines, verè luctu ac miſeratione digniſſimam. Ubi tantus, bone Deus, populi hujus amor? ubi tanta Civitatis hujus caritas? ubi tanta vineæ hujus dilectio? *Ut quid Deus repuliſti in finem? iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ* (*b*). *Vineam de Ægypto tranſtuliſti; ejeciſti gentes, & plantaſti eam. Dux itineris fuiſti in conſpectu ejus; plantaſti radices ejus, & implevit terram. Operuit montes umbra ejus, & arbuſta ejus cedros Dei. Extendit palmites ſuos uſque ad mare, & uſque ad flumen propagines ejus. Ut quid deſtruxiſti maceriam ejus, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Exterminavit eam aper de ſylva, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam* (*c*). *Ubi ſunt ergo miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine* (*d*), *& miſerationes tuæ, quæ a ſæculo ſunt* (*e*)? *Vinea facta erat tibi*, Hebræorum Synagoga, *& ſepiveras eam, & lapides elegeras ex illa, & plantaveras eam electam, & ædifi-*

(*a*) *Thren. I. v.* 1. & 2.
(*b*) *Pſal. LXXIII. v.* 1.
(*c*) *Pſalm. LXXIX. v.* 9. & *ſeqq.*
(*d*) *Pſal. LXXXVIII. v.* 50.
(*e*) *Pſalm. XXIV. v.* 6.

ædificaveras turrim in medio ejus, & torcular extruxeras in ea (*a*). Unde ergo tantum te illius cœpit faſtidium? Audite, audite, filii, vindicem Dominum, indignationis ſuæ juſtiſſimæ cauſam afferentem, ac ipſos habitatores Jeruſalem, & viros Judæ requirentem, ut judicent inter ipſum, & vineam ſuam: *Quid* enim, inquit, *eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas? Et nunc*, ſubdit, *oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem; & ponam eam deſertam; non putabitur, & non fodietur; & aſcendent vepres & ſpinæ; & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem* (*b*).

Sed etiam nos eadem, filii, quæ Judæi, beneficia accepimus; eamdem Angelorum cuſtodiam, quà Eccleſiæ vinea ſepta atque vallata eſt; eamdem quoque turrim in medio vineæ, hoc eſt divinam cuſtodiam poſuit, & a nobis diſcedens continuò reliquit, dicens: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi* (*c*). Idem etiam divinæ legis torcular nos quoque habemus, nempe legis divinæ decalogum, quæ partim minis, partim promiſſis ſuccum a nobis exprimit pietatis atque juſtitiæ. Cavendum igitur etiam eſt atque timendum, ne idem, quod illis, nobis quoque eveniat, ſi vocati renuerimus; ſi ad Cœnam invitati, ab ea nos excuſaverimus: quod fuit tantarum in ipſis calamitatum origo. Nam ſi ad Cœnam acceſſiſſent, Regnum Dei ab ipſis non fuiſſet ablatum, tot ſuper eos prodigia non veniſſent, tot cædes ſubſecutæ non eſſent, Urbs denique tota funditus everſa, ac in tantam non fuiſſet redacta calamitatem. Quòd ſi naturalibus olivæ ramis Deus non pepercit; videte, ne fortè et vobis non parcat, qui ex naturali exciſi fuiſtis oleaſtro (*d*), & contra naturam inſerti eſtis in bonam olivam. Quòd ſi in viridi ligno hæc Dominus fecit, in arido quid faciet (*e*)? Multò etiam, mihi credite, ſeverius in nos fiet judicium, qui multò illis majora accepimus; nam illi in tabulis lapideis legem acceperunt, nos verò in viſceribus exaratam; nos tam multa habemus Sacramenta Sanctiſſima, quibus ampliſſimam gratiam perficiendi, quæ præcepta ſunt, obtinemus. Illis unico in Templo dumtaxat ſacrificare licebat; nos tam multa Templa, & in ipſis tot habemus Altaria. Illi fœderis Arcam ſolùm, nos ipſum met Chriſtum Deum inter nos commorantem habemus; & non modò commorantem, ſed èt nos, quandocumque volumus, paſcentem, ac convertentem in ſe, & ingredientem in nos.

Quid

(*a*) *Iſaiæ V. v. 1. & ſeq.*
(*b*) *Ibid. v. 4. 5. & 6.*
(*c*) *Matth. XXVIII. v. 20.*
(*d*) *Ad Roman. XI. v. 17.*
(*e*) *Lucæ XXIII. v. 31.*

Quid enunciem tot præclariſſima Chriſti documenta? quid ſaluberrima exempla enarrem? quid tot Sanctiſſimorum Doctorum libros oracula & ſcripta commemorem? quid denique innumera alia virtutum præſidia, ac divina nobis conceſſa beneficia in medium adducam? Quæ omnia, filii, Dei ſunt voces nos ad Cœleſtis Regni Cœnam invitantis: hæc autem omnia nos in extremo Judicii die incuſabunt, Dei in nos vindictam clamabunt, niſi audiverimus, niſi intellexerimus, niſi acceſſerimus.

Inſuper præ oculis habemus infinita divinæ indignationis flagella, non modò in Hebræos, ſed in plurimos etiam ex noſtris illata, eò quòd divinis vocationibus ſurdi extiterint, & muneribus fuerint abuſi. Conſiderate, obſecro, filii, tam magnam Germaniæ partem, & Galliæ nobiliſſimas Provincias, Angliam ipſam etiam, ac tot & tam multas alias Regiones inſignes, a quibus ablata ſunt Sacramenta Religio Sacerdotes, & a quibus procul receſſit ipſe met Deus. Quid (me miſerum!) totam pene Aſiam & Africam & Græciam commèmorem, quæ nobis aliàs Auguſtinos, Chryſoſtomos, Baſilios, Cyprianos, Cyrillos, Gregorios, tam fulgida totius Chriſtiani orbis lumina proferre conſueverant; nunc verò immaniſſimæ Turcarum tyrannidi ſubſunt. Quæ profectò manifeſta ſunt etiam divinæ indignationis indicia; idem nobis, & pejus eventurum comminantia, niſi ad Cœnam invitati acceſſerimus; ſi Spiritui Sancto reſtiterimus; ſi nos divinis reddiderimus muneribus minimè dignos, iis abutentes: hæc namque Dei in homines juſtiſſimam provocant iram.

Sed agnoſcimus nos, o Pater-familias, *bonitatem, & ſeveritatem* (a) tuam; in eos quidem, qui accedere recuſarunt, *ſeveritatem*; in nos verò *bonitatem*, quos tanto ſtudio toties advocas, ac ad ingreſſum jubes compelli. Adſumus nos fame conſumpti, ac ſiti. En *anima noſtra, ſicut terra ſine aqua tibi* (b). Acceſſimus nos Sacramenti Baptiſmo ad Cœnæ tuæ oſtium, Fidem tuam profeſſi; ſed multi nondum guſtavimus cibos; aut ſi guſtavimus, parum nobis profuerunt, non ipſorum defectu, ſed indiſpoſitionis noſtræ culpâ. Cupimus nos ad Cœnam gloriæ intrare. Per te ſcimus non ſtat; & certò ſcimus, niſi per nos ſteterit, nos ingreſſuros. Sed quî poterimus accedere, niſi tu nos traxeris? quî illuc aſpirare, niſi ipſe nobis porrigas dexteram? Introduc igitur nos in cubiculum gloriæ tuæ, ne æterna fame pereamus, ſed ſatiari poſſimus, cùm apparuerit gloria tua. Amen.

(a) *Ad Roman. XI. v. 22.*

(b) *Pſalm. CXLII. v. 6.*

HOMILIA XLVII.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. XIV.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

DE CŒLESTI GLORIA, ET EJUSDEM IMPEDIMENTIS.

Habita Dominica VI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. X. JULII.

NON ſic, dilectiſſimi filii, majus illud Mundi luminare Sol, ab Antipodibus rediens, ſuper noſtrum hoc hemiſphærium conſtitutus terram univerſam illuminat; non ſic ignis, elementum nobiliſſimum quæcumque in debita diſtantia ei ſunt appoſita in ſuî convertit naturam; non ſic ſuaviſſimum mel ea, quibus infunditur, dulcia reddit; non ſic denique magnes attrahit ad ſe ferrum: ùt in Dei amorem Chriſti Domini verba mortalium pectora attrahebant; ùt eorum animis erant ſuper mel & favum dulciora; ùt eorum corda caritatis igne incendebant; ùt denique eorum animas, expulſis errorum & ignorantiæ tenebris, illuminabant. O ſol, o ignis, o mel, o magnes! Verè verborum tuorum, Chriſte, ſplendorem, calorem, dulcedinem, vim atque potentiam ſentire poterant ii, quorum tu priùs pectora diſpoſueras, præparaveras affectus, mundaveras aures, purgaveras ſpiritum. Sed quis ego ſim, qui rudis & ignarus, horum quidpiam meditatione, nedum oratione valeam complecti? Apoſtolorum Princeps Petrus, eorum vim atque efficaciam admiratus, clamabat: *Domine ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes* (*a*). Pertranſiit hodie, Domine mi, verbum tuum unius ex Con-

(*a*) *Joann. VI. v. 69.*

Convivantibus animam (*a*); miſiſti eloquium tuum, & inflammaſti cor ejus, ac a materialibus epulis guſtum illius ad cœleſtium dulcedinem elevans, compuliſti prorumpere: *Beatus*, *qui manducabit panem in Regno Dei* (*b*). Et meritò *beatus*, cùm Angelus tuus ſervo tuo prædilecto Joanni tam diligenter ſcribere mandaverit, dicens: *Beati qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt. Et dixit mihi: hæc verba Dei vera ſunt* (*c*). O verè beati, qui ad hujuſmodi admittentur convivium! quod ſic incipit, ut numquam finiatur; ſic ab appetentibus ſumitur, ut appetitum ſatietas, & ſatietatem appetitus comitetur. Utinam nos digni reddamur comedere panem in Regno tuo, Cœli & Terræ Rex! de cujus convivii, ac Cœnæ magnitudine atque ſplendore dum ex ſacra hodierni Evangelii lectione breviter aliquid dicere inſtituo, ac de impedimentis itidem, quæ ab ejuſdem participatione removent, da tu voci meæ vocem virtutis; ut in horum, qui me audient, cordibus vivum illius deſiderium excitetur.

Quoniam inter plurimas, quas primorum parentum peccato incurreramus miſerias tum corporis, tum etiam animi, rerum connumerabatur ignorantia, unde quamplurima facilè conſequi poterant mala; idcirco Chriſtus Dominus, qui noſtrì miſertus nobis fieri voluerat ſimilis, infirmitatibus omnibus noſtris cùm ſtatuiſſet ſuccurrere, hanc etiam paſſim ex hominum mentibus evellere nitebatur. Et verè multorum eſt mater errorum pernicioſa hæc ignorantiæ radix, præſertim verò ingratitudinis; nam quæ nobis collata munera ignoramus, aut quorum neſcimus magnitudinem, ea nec magni facimus, nec, ut par eſt, pro iis debitas Datori agimus gratias. Quoniam verò ſumma ſemper extitit Dei Optimi Maximi in genus humanum largitas ac liberalitas, præſertim verò in bonis remunerandis, ac præmio donandis æterno; ea propter, ut pro tam immenſa benignitate grati eſſemus, ſumpta etiam occaſione ex verbis unius ex convivantibus, qui ad Chriſti Domini ſermonem, plura de iis, quæ ad promerenda cœli gaudia pertinent, diſſerentis, in tenerrimas ac deſiderii plenas illas voces prorupit: *Beatus*, *qui manducabit panem in Regno Dei*: Salvator noſter pulcherrimâ parabolâ Patris-familias, qui cœnam magnam inſtruxerat, ac eorum, qui invitati ire recuſaverant, expreſſè docuit ſummam Dei in nos bonitatem,

quâ

(*a*) *Pſalm. CIV. v.* 18.
(*b*) *Lucæ XIV. v.* 15.
(*c*) *Apocal. XIX. v.* 9.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

qua omnibus nobis adeò amplum Regnum paravit; ſimul etiam oſtendens, niſi per nos ſteterit, ac niſi nobis ipſi defuerimus, id nos eſſe facilè conſecuturos, cùm *a diebus Joannis Cœlorum Regnum vim patiatur, & violenti rapiunt illud* (*a*).

Et o quàm pulchrè, de Deo loqui inſtituens, ſermonem aggreditur! *Homo quidam:* Nonne de miſericordia loquentem ac benignitate, Dei potiùs nomine uti decuiſſet, quàm hominis, qui ab humanitate etymon ſumit? *Miſerationes* enim *ejus ſuper omnia opera ejus* (*b*), qui in miſericordia abundantiſſimè dives eſt: quoniam autem benignè ad æternæ vitæ nos epulas invitat, ideo meritò veluti homo inducitur. Eſt tamen, filii, nobiſcum, pro ut nos ſecum ſumus; ut ſi videlicet humanè ipſi vivamus, èt ipſe nobis veluti humaniſſimus homo appareat; ſin autem ſecus, eoſdem, quos nos, videatur mores induere: Unde cum iis, qui ferino more vitam ducentes, humanitatem videntur exuere, feris etiam ipſis terribiliorem ſe exhibet Dominus; quod Regius propheta David optimè noſcens, cùm Deum alloqueretur, dicebat: *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris* (*c*); & ipſemet Dominus per ſervum ſuum de ſe perhibuit: *Quoniam ego quaſi Leæna Ephraim, & quaſi catulus Leonis domui Juda: ego, ego capiam, & vadam: tollam & non eſt, qui eruat* (*d*); & alibi iis, qui ſuî fuerant obliti, indignatus: *Et ego ero eis quaſi Leæna*, inquit, *ſicut Pardus in via Aſſyriorum. Occurram eis quaſi Urſa raptis catulis, & dirumpam interiora jecoris eorum, & conſumam eos ibi quaſi Leo, beſtia agri ſcindet eos* (*e*). Nam ſicuti Urſa, ſi quem obvium habeat, cùm pro rapto partu furibunda diſcurrit, in mille partes diſcerpit ac laniat; ſic impios perdet Deus, ac æternis cruciatibus mancipabit; cum humilibus verò ac juſtis humaniſſimè aget ſupremus hic, qui in parabola dicitur *Homo quidam*: Quis enim magnus ſicut Deus noſter, cujus æqualem reperire non eſt?

Hic igitur *fecit Cœnam magnam*, cùm a conſtitutione Mundi electis ſuis Regnum diſpoſuit, in quo ſecum eſſent ſine fine regnaturi. Nec verò prandium fecit, ſed Cœnam, quia hæc ipſum conſequitur, hanc autem quies. Sic èt poſt Cœli convivium, nullum aliud amplius erit, ſed ultima illa futura eſt Cœna, conſequens gratiæ prandium, quod in hac vita ſumendum eſt, quod-

que

(*a*) *Matth. XI. v. 12.*
(*b*) *Pſal. CXLIV. v. 9.*
(*c*) *Pſal. XVII. v. 27.*
(*d*) *Oſeæ V. v. 14.*
(*e*) *Ibid. XIII. v. 7. & ſeq.*

que neceſſaria eſt ad Cœnam illam diſpoſitio: Porro hæc prima eſt cauſa, cur æterna gloria Cœna dicatur; altera verò eſt, quoniam ſicuti diurnum laborem veſpertina ſequitur cœna, ſic cœleſtem gloriam præſentis vitæ præcedant neceſſe eſt afflictiones atque labores; & hoc eſt, quod Regius Pſaltes innuebat dicens: *Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam uſque ad veſperum* (*a*), qua hora demum Cœnam ſumet. Hac etiam de cauſa *Dominus vineæ, cùm ſerò factum eſſet, dixit Procuratori ſuo: voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens a noviſſimis uſque ad primos* (*b*). Et quoniam non laboranti, æquum eſt, refectio denegetur; ideo filii animadvertite obſecro, & cordibus veſtris uti veriſſimum firmiſſimè inſculpite, non recepturum veſpere mercedem, non in Cœli Regno cœnaturum, niſi eum qui in Mundi vinea laboraverit; miſericordiæ enim ibi, ſicut èt Juſtitiæ locus erit, quæ unicuique reddi mandabit, pro ut fuerit operatus: ac iis quidem, qui manus ſub aſcella retinuerint abſconditas (*c*), feſtinatò veniet æterna paupertas; qui verò diei opus ſtrenuè conſummaverit, *pro eo quòd laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur* (*d*). Dicitur etiam tertiò Cœna, quoniam poſt eam labori ampliùs locus non erit, ſed æterna illam requies excipiet. Sic in Revelationum libro: *Amodo* enim *jam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos* (*e*). Quam tamen requiem, ùt diximus, bona præcedere debent opera; ſic enim id innuit Iſaias, cùm dicit: *Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies; & requiem tibi dabit Dominus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit* (*f*). Octavo die mandaverat Dominus celebrari Circumciſionis Sacramentum in veteri lege (*g*), ut nobis ſignificaret, octavo die generalis mortuorum ſeu carnis Reſurrectionis, quam fore credimus omnes, quæ præſentis vitæ hebdomadæ ſuccedet, circumciſurum Deum labores omnes & pœnas illorum, qui ejus amore a ſe peccata omnia & culpas circumciderint. Quid porrò hujuſmodi vitâ felicius, tam liberâ ab omni miſeriarum genere? Quartò itidem Gloria Cœnæ ſimilis dicitur; quia ſicut ad cœnam boni ſolùm & amici invitantur ſingulares, in cujus figura (*h*) Joſeph Patriarcha Sanctiſſimus cum fratribus ſolis cœnavit, excluſis Ægyp-

(*a*) *Pſalm. CIII. v.* 23.
(*b*) *Matth. XX. v.* 8.
(*c*) *Prov. XIX. v.* 24.
(*d*) *Iſa. LIII. v.* 11.
(*e*) *Apoc. XIV. v.* 13.
(*f*) *Iſa. LVIII. v.* 10. *& ſeq.*
(*g*) *Geneſ. XVII. v.* 11.*, & Levitici XII. v.* 3.
(*h*) *Ibid. XLIII. v.* 32.

Ægyptiis: ſic cœleſtis Joſeph Chriſtus ad ſublimem illam Cœnam fratres tantùm ſuos & conjunctos, peccatoribus excluſis, admittet; qui autem ejus ſint fratres, jam vos arbitror optimè noſſe: *Quicumque enim* (ipſe cuidam dixit) *fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt* (*a*). Et meritò profectò: cùm enim ſancta ſit illa Jeruſalem, iniquum eſt per eam alienos pertranſire (*b*): hunc autem delectum eorum, qui ad Cœnam intrabunt, pulcherrimis ſimilitudinibus expreſſit in Evangelio Dominus, ùt apud Matthæum, dicens: *Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur; ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de Regno ejus omnia ſcandala, & eos, qui faciunt iniquitatem; & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus & ſtridor dentium. Tunc juſti fulgebunt, ſicut Sol, in Regno Patris eorum* (*c*). Et infra etiam pulchrè idem docuit, exemplo *ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congregantis, quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus litus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſeculi; exibunt Angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis* (*d*). Nuſquam autem manifeſtiùs delectum hunc, juſtis quidem feliciſſimum, improbis verò miſerrimum, exprimit Dominus, quàm ubi de ſe ipſo loquens ait: *Cùm autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua, & omnes Angeli cum eo; tunc ſedebit ſuper ſedem majeſtatis ſuæ; & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis; & ſtatuet oves quidem a dextris ſuis, hædos autem a ſiniſtris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione Mundi* (*e*), & quæ infra ſequuntur: *Tunc dicet et his, qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus* (*f*). O infelices illos, qui poſt præſentis vitæ prandia ad talia relegabuntur jejunia! Sed o terque quaterque beatos, qui manducabunt panem in Regno Dei in nobiliſſima Cœna! quam *magnam* fore perhibet Dominus; & quidem ob multa, quæ ad illam concurrent, in quorum explicatione, filii, permittite me, quæſo, aliquamdiu morari, ac cum gaudio & lacrymis de Patria noſtra loqui: cum gaudio quidem, quoniam fiduciam habemus per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum,

(*a*) *Matth. XII. v.* 50.
(*b*) *Joelis III. v.* 17.
(*c*) *Matth. XIII. v.* 40. *& ſeqq.*
(*d*) *Matth. XIII. v.* 47. *& ſeqq.*
(*e*) *Ibid. XXV. v.* 31. *& ſeqq.*
(*f*) *Ibid. v.* 41.

ſtrum, qui illuc ivit parare nobis locum, ad Cœnam illam accedendi; cum lacrymis verò, quoniam tam multi noſtrûm de ea vix cogitant, &, ùt poſt audietis, ab ea ſe excuſant.

Magna igitur erit primò Cœna illa ob Patris-familias magnitudinem, qui eam fecit, de quo in Pſalmis dicitur: *Magnus Dominus, & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus* (*a*); qui adeò magnus eſt, ut nullis poſſit terminis circumſcribi, ſed totus ubique ſit, nec ab ejus ſe facie quiſquam valeat abſcondere: *Quò* enim (clamat Propheta) *ibo a ſpiritu tuo, & quò a facie tua fugiam? ſi aſcendero in Cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in Infernum, ades. Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris; etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me; & nox illuminatio mea in deliciis meis. Quia tenebræ non obſcurabuntur a te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ ejus, ita èt lumen ejus* (*b*). Quàm magnus ergo eſt hic Pater-familias, quem Cœlum, & Cœli Cœlorum capere non poſſunt; & quàm magnam crediderimus illum Cœnam paraſſe, Majeſtatis ſuæ magnitudini proportionatam?

Eſt ſecundò *magna* illa *Cœna*, quia magnus in ea cibus offertur. Maximus erat cibus Manna, omnes in ſe continens ſapores; ſed quæ Mannæ comparatio cum Dei beatifica viſione, quæ cœleſtium Spirituum perpetuus erit cibus? quem qui viderint quid non videbunt, videntes videntem omnia? cujus ſuavitatem qui guſtaverint, quid non guſtabunt in eo, qui eminentiſſimè, ac perfectiſſimo quodam modo omnium in ſe continet ſuavitates ac perfectiones? Audite de cibi hujus magnitudine vas electionis Paulum, qui in Cœlum raptus viderat arcana myſteria, quæ non licet homini loqui: quid enim de hoc cibo dicet? *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (*c*); quod multo ante Sanctiſſimus Propheta Iſaias prædixerat: *A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus abſque te, quæ præparaſti expectantibus te* (*d*). O quantùm beatos illos ventres hic cibus implebit! Audite Davidem, panem in Regno Dei manducare cupientem, & ex cordis intimo clamantem: *Adimplebis me letitiâ cum vultu tuo, delectationes in dextera tua uſque in finem* (*e*). Petrus Apoſtolo-

(*a*) *Pſalm. XLVII. v. 1.*
(*b*) *Pſalm. CXXXVIII. v. 7. & ſeqq.*
(*c*) *I. ad Cor. II. v. 9.*
(*d*) *Iſai. LXIV. v. 4.*
(*e*) *Pſalm. XV. v. 11.*

tolorum Princeps umbram quamdam magni hujus cibi in Monte Thabor guſtaverat, & jam omnia ille faſtidiebat; prægustato namque ſpiritu, deſipit omnis caro. Jam omnium obliviſcebatur, & quid diceret neſciens clamabat: *Domine, bonum eſt nos hìc eſſe* (*a*). Ideo nos, filii, non obliviſcimur terrenorum, quia non amamus cœleſtia; nam quò ampliùs quiſque cibi illius cœleſtis, quatenus hìc poteſt, ſuavitatem deguſtat, eò ampliùs faſtidit omnia, quæ illi antea placebant. Meritò Petrus, viſa Domini Majeſtate, repentè cunctorum, quæ noverat, terrenorum obliviſcitur, & ſolis iis, quæ videbat, cupit adhærere, ibique cum Jeſu optat habitare: nam cùm quis (ut breviſſimè digrediamur, licèt digreſſio non ſit exiſtimanda, ubi ex ea ad ſalutem noſtram ſpectantia elicimus) cùm quis, inquam, incipit Dei delibare dulcedinem, omnino renuit Mundi guſtare iniquas & turpes voluptates; imo nec de Mundo ſermonem habere, nec de eo aliquid ſibi narrari patitur: ita ſi vos, filii, in altum contemplationis & conſiderationis divini illius cibi, quem Pater-familias in Cœna æterna paravit, aſcenderetis, repentè omnia, quæ in Mundo ſunt, faſtidiretis, reſpueretis, & abjiceretis. Sic Paulus tamquam homo, cujus converſatio in Cœlis erat, omnia abjecta & vilia eſſe cenſebat, ac proinde ajebat: *Omnia arbitror, ùt ſtercora* (*b*). Si tantilla cœleſtis illius cibi particula ſic Petrum implevit, ac tam parva gutta ſic eum inebriavit; quid erit, cùm tam ingens divinitatis alluvies animas noſtras plenè repleverit in Cœlis? *Inebriabuntur, Domine, ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos* (*c*).

Erit tertiò *Cœna* illa *magna* ob convivarum multitudinem ac varietatem, quam Joannes attingens, cùm multa electorum millia connumeraſſet: *Poſt hæc*, inquit, *vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & linguis, & populis, ſtantes ante Thronum, & in conſpectu Agni* (*d*). O quanta illic erit exultatio magnæ illius Cœnæ convivis, diſcumbentium tantam multitudinem ſpectantibus, ac coëlectorum etiam numerum manifeſtum habentibus! Nam quòd eam a nemine dinumerari poſſe ſcribit Joannes, id procul dubio nec de Deo intelligendum, cui notus eſt numerus electorum in æterna felicitate

tate

(*a*) *Marci IX. v.* 4., *& Lucæ IX. v.* 33.
(*b*) *Ad Philipp. III. v.* 8.
(*c*) *Pſalm. XXXV. v.* 9.
(*d*) *Apoc. VII. v.* 9.

tate locandorum (*a*), utpote *qui numerat multitudinem ſtellarum*, *&* *omnibus eis nomina vocat* (*b*); neque de Angelis & Beatis, qui ſunt in Patriâ, verba illa eſſe ſumenda putaverim; hoc enim erit materia gaudii plenioris: ſed quod ibi dicitur *nemo*, arbitror intelligi de homine puro, & in ſtatu viæ conſtituto. Illuc innumeri *venient ab Oriente*, *&* *ab Occidente* (*c*). Neque obſtat, quòd alibi idem ipſe met Dominus dixerit: *Multi ſunt vocati*, *pauci verò electi* (*d*); nam revera maxima erit multitudo eorum, qui in Cœna illa diſcumbent; & jam plurima millia animarum ſunt in gloria: Sed pauci dicuntur reſpectu damnatorum: *Lata* enim *porta*, *&* *ſpatioſa eſt via*, *quæ ducit ad perditionem*, *&* *multi ſunt*, *qui intrant per eam* (*e*): Innumeræ tamen ſunt Angelorum cohortes, qui ſuî multitudine ac numero, omnes, qui umquam fuerunt, aut ſunt, aut erunt homines, & ſtellas longè ſuperant. Ideo *vidi*, *&* *audivi* (inquit Joannes) *vocem Angelorum multorum in circuitu throni*, *&* *Animalium*, *&* *Seniorum*, *&* *erat numerus eorum millia millium* (*f*); quorum numerum miratus Job, dicebat: *Numquid eſt numerus militum ejus* (*g*)? licèt certè èt Angeli ſub numero ſint: *Omnia* namque Dominus *diſpoſuit in menſura*, *&* *numero*, *&* *pondere* (*h*); ſed innumerabilis eſt nobis numerus ille propter multitudinem. O magnitudinem Cœnæ inæſtimabilem, in qua cum Deo, ac Sanctiſſima Dei Matre, perpetuò Electi ſedebunt, inter tam multa millia millium Electorum, atque Sanctorum Spirituum! O quanta lætitia, o quanta jucunditas! O filii, o filii, erumpere in hæc verba cogor: ſi Inferni pœnæ omnes, & millies plures ac majores pro tali Cœna ferendæ eſſent, eas libentiſſimo animo ſuſtinere deberetis; &, pro modica brevi ac tranſitoria terrenorum delectatione, tali vos ſocietate privatis? Miſeri atque miſerrimi! Sed ulteriùs adhuc progrediamur.

Erit èt quartò *magna* illa *Cœna* ob miniſtrantium magnitudinem ac dignitatem. Et qui erunt hi? dicitis. Hìc taceo, fratres, hìc obmuteſco, quid loquar neſciens; hoc comprehendere nequeo, explicare non valeo: *A*, *A*, *A*, *Domine mi*, *ecce neſcio loqui*, *quia puer ego ſum* (*i*); confundit me dignationis tuæ

(*a*) S. Thom. ſuper cap. VII. Apocalypſis.
(*b*) *Pſalm. CXLVI. v.* 4.
(*c*) *Matth. VIII. v.* 11.
(*d*) *Ibid. XX. v.* 16.
(*e*) *Ibid. VII. v.* 13.
(*f*) *Apoc. V. v.* 11.
(*g*) *Job XXV. v.* 3.
(*h*) *Sapientiæ XI. v.* 21.
(*i*) *Jeremiæ I. v.* 6.

ſublimitas; tu, tu Chriſte, tu, qui Dei es Filius, tu Deus ipſe nobis miniſtrabis, ſi in Regno illo tuo panem manducaverimus. Et quis hoc crederet, niſi tu infallibilis veritas id promiſiſſes, inquiens, *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis* (*a*)? Sicut enim Boni in hac vita tibi miniſtraverunt, ita èt tu in Civitate illa, eodem argento rependes, & eris *Deus illis, omnia in omnibus* (*b*). Sed ſatis ſuperque hoc eſſet: Verùm èt infinita Angelorum miniſtrantium accedet multitudo, qui *omnes adminiſtratorii ſunt Spiritus* (*c*). Hujus convivii apparatum nobiliſſimum, grande illud Aſſueri convivium aliquatenus deſignabat, cujus tamen explicationem omittimus, prolixitatem fugientes. Qualis igitur Cœna hæc erit, tales ac tantos habens miniſtros?

Sed ad ejus magnitudinem quinto loco accedit ferculorum multitudo ac dignitas; quam quidem Cœnam quoniam tota Trinitas Sanctiſſima, quæ unus eſt Deus, præparavit, ideo èt ſingulæ Perſonæ ſingula nobiliſſima fercula apponent. Pater enim in primis tria conferet fercula, primò faciei ſuæ viſionem clariſſimam: *Scimus* enim *quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt* (*d*): ſecundò bonorum omnium plenam poſſeſſionem; tunc enim erit, ùt audiſtis, *Deus omnia in omnibus*, ac nobis omnia bona pariter cum illo donabit: tertiò demum voluntatum omnium noſtrarum, atque deſideriorum pleniſſimam completionem, atque quietem; ideo hoc noſcens Philippus Chriſto dicebat: *Domine oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis* (*e*). Apponet èt Chriſtus Dei Filius fercula tria; primò quidem panem vitæ, ipſe enim *eſt panis vitæ* (*f*); ſecundò in Humanitatis ſuæ contemplatione ſatietatem, *qui* enim, inquit, *veniet ad me, non eſuriet* (*g*); & tertiò in Deitate itidem ſua jucunditatis complementum: Unde apud Joannem etiam dixerat: *Per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ingredietur* (*h*), ſcilicet ad conſiderandam Divinitatem; *& egredietur*, nempe ad conſiderandam Humanitatem, *& paſcua inveniet*. Poſtremò etiam Spiritus Sanctus tria fercula apponet: Ignem primò, quo fercula decoquentur, de quo apud Iſaiam: *Dixit*

(*a*) *Lucæ XII. v.* 37.
(*b*) *I. ad Corinth. XV. v.* 28.
(*c*) *Ad Hebr. I. v.* 14.
(*d*) *I. Joann. III. v.* 2.
(*e*) *Joann. XIV. v.* 8.
(*f*) *ibid. VI. v.* 48.
(*g*) *Ibid. v.* 35.
(*h*) *Ibid. X. v.* 9.

Dixit Dominus, cujus ignis eſt in Sion, & caminus in Jeruſalem (*a*); ſecundò vinum, quo Sancti inebriabuntur; poſtremò fructus, quibus Sancti delectabuntur: ejus autem fructus ſunt, quos Apoſtolus recenſet, nempe *caritas, gaudium, & pax* (*b*). O quale *convivium faciet Dominus*, filii, *in monte* illo omnibus populis; *convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ* (*c*)! Illic fructus apponentur ſuaviſſimi, per illos deſignati, quos exploratores ex Promiſſionis terra attulerunt (*d*), nempe ficus, palmites cum uva, & Mala Punica. Ficus erit dulcedo ex contemplatione Deitatis procedens, cui comparata omnis alia jucunditas mœror eſt, omnis ſuavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne poſtremò quodcumque delectare poſſit, moleſtum. Uva verò dulcedo erit ex conſideratione Sanctiſſimæ Chriſti Humanitatis proveniens, quæ ex vite ſanctiſſima Deiparæ prodiit: Uva dulciſſima, caritatis igne decocta, imo verò etiam aduſta; majorem enim nemo caritatem habuit, quàm tu Chriſte dulciſſime, qui animam tuam poſuiſti pro inimicis tuis: Calcata demum fuit in Crucis torculari Humanitatis tuæ uva, unde o quàm pretioſi Sacramentorum liquores, quàm ſuavia chariſmatum vina proceſſerunt! Aderunt demum Mala Punica, quæ lætitiam exprimunt ex jucundiſſima innumerabilium Sanctorum ſocietate manantem, quia ſicut in Mali Punici granis candor adeſt & rubor, & mira inter ea diſpoſitio; ſic lucidi erunt & candidi in corpore Sancti propter nimiam puritatem; erunt in anima rubicundi propter ferventem caritatem; erunt inter ſe valde ordinati, propter ſuaviſſimam ſocietatem. O dulciſſimos, o jucundiſſimos, o nobiliſſimos cibos! O fructus, o fercula omni admiratione digniſſima! Quàm *magna* erit hæc *Cœna*, tot & tam magnis dapibus plena!

Erit ſexto loco maxima Cœna hæc, quia perfectè ſatiabit; illic enim ſedentes non eſurient ampliùs, neque ſitient; ac demum quia in æternum perdurabit; *Delectationes* namque erunt *in dextera Dei uſque in finem* (*e*).

Sed etiam Cœli, quæſo, in quo (ùt breviter explicabo) Cœna hæc magna parabitur, attendite pulchritudinem atque excellentiam: pro cujus aliqua declaratione conſiderate primùm, cur

(*a*) *Iſaiæ XXXI. v. 9.*
(*b*) *Ad Gal. V. v. 22.*
(*c*) *Iſaiæ XXV. v. 6.*
(*d*) *Num. XIII. v. 24.*
(*e*) *Pſal. XV. v. 11.*

çur qui omnia creavit, Paradiſum fecerit. Non aliam ſanè ob cauſam, niſi ad gloriæ ſuæ manifeſtationem, & Sanctorum ſuorum honorem. Nam quod ad primum attinet, licèt ad id omnia creaverit, nuſquam tamen manifeſtiùs Dei elucet potentia bonitas atque ſapientia, quàm in Cœlo: quemadmodum enim Aſſuerus (*a*), cujus paulò ante meminimus, *tertio anno Imperii ſui fecit grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ*; ſic èt Deus Optimus Maximus ad ſuî maximè nobis oſtendendam magnitudinem, Cœlum creavit, ac gloriæ immenſitatem. At verò ſi tanta eſt Dei potentia, quæ verbo ſolo Mundum hunc univerſum creavit ex nihilo, & verbo itidem in nihilum redigere poteſt; nec hunc ſolummodo Mundum, ſed èt mille adhuc Mundos creare poſſet, itidemque deſtruere non majori labore, quàm vèl minimam formicam creaverit: quantus, quæſo, erit locus ille, tantæ gloriæ index, in cujus creatione concurrit & Patris omnipotentia, & Filii ſapientia, & Sancti Spiritus bonitas atque voluntas?

Verùm ad ſuorum quoque honorem Sanctorum hunc Cœnæ locum Dominus conſtituit, qui, cùm honorantes ſe honoret, eorum eſt honoris maximè ſtudioſus, quos tantis dum viverent prærogativis inſignivit, ùt de Joſue patet, cujus voci *obediente Domino*, *Sol* etiam *& Luna* ad ejus imperium *ſteterunt*, *donec ulciſceretur ſe gens de inimicis ſuis* (*b*); & etiam in Elia, ac aliis innumeris, quos lubens omitto: quos ſic etiam poſt mortem honoravit, ut eorum cineribus & oſſibus tantam tribuerit virtutem, quantam Eliſei oſſibus (*c*), Martyris Clementis atque Pontificis corpori in mare demerſo, Petri Apoſtoli catenis, ac ejus etiam umbræ (*d*). Quid ergo eum paraſſe crediderimus, ut hos honoret in Cœlo, quando ſic honoravit in terra, quæ locus proprius non eſt? Si tot & tam pulchra in Mundo hoc inferiori eſſe conſpicimus, ecquid cogitatis erit in Empyreo illo Cœlo, in ampliſſimis & vaſtiſſimis illis campis, in immenſa illa planitie, cujus tanta eſt vaſtitas, ut explicari nequeat? nam ſi Mundus hic totus inſtar eſt puncti, reſpectu Cœli ſtellati, cujus quælibet ſtella totâ terrâ longè eſt major, imo èt inter ipſas aliquæ

(*a*) *Eſther I. v.* 3. & 4.
(*b*) *Joſue X. v.* 13.
(*c*) *IV. Reg. XIII. v.* 21.
(*d*) *Act. Apoſt. V. v.* 15.

quæ ſunt, terrâ nonagies majores, & infinitas (ut ita dicam) eas eſſe videmus; quis enim niſi Deus numeret multitudinem ſtellarum? & multò majus eſt ſtellato Cœlo Empyreum Cœlum, quàm illud terrâ ſit altius: O qualis Cœnæ locus hic erit, o qualia ſpatia, o quales viæ, o quàm vaſta Civitas, o quàm immenſa planities! *O quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus! Magnus eſt, & non habet finem, excelſus & immenſus* (*a*). O quàm *glorioſa dicta ſunt de te Civitas Dei* (*b*)! *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini* (*c*). Jam diſſolvi cum Paulo (*d*) cupimus, & ibi cum Chriſto regnare. *Heu*, heu *mihi*, Civitas Sancta, *quia prolongatus eſt incolatus meus* (*e*); quia meî ad te differtur adventus! Quàm magna es in antiquitate, pulchra in ſtructura, pretioſa in materia, nobilis in ſocietate, ſuavis in exercitiis; quàm dives in omnibus bonis, quàm immunis & exempta ab omnibus malis! In te Deus erit univerſale bonum omnium Sanctorum, perfecta felicitas & complementum omnium deſideriorum. Ibi ipſe erit ſpeculum oculis noſtris, muſica auribus, mel guſtui, balſamum ſuaviſſimum olfactui; Manna jucundiſſimum, omnes in ſe continens ſapores.

O *beati, qui manducabunt panem in Regno Dei* (*f*)! in quo erit ipſe Deus plenitudo luminis intellectui, multitudo pacis voluntati, continuatio æternitatis memoriæ. Illic ignorantia reputabitur, Salomonis ſapientia; illic turpitudo cenſebitur, Abſalonis pulchritudo; illic debilitas exiſtimabitur, Sampſonis fortitudo; illic vitæ umbra videbitur longiſſima antiquorum hominum ætas; illic paupertas erunt, Regum omnium divitiæ.

SECUNDA PARS.

O terque quaterque *beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati ſunt* (*g*)! Sed vocati ſumus omnes, dilectiſſimi filii, nam magnus ille Pater-familias *multos* vocaſſe perhibetur, inter quos omnes ſanè ſumus, quos variis multoties modis vocavit; divina ſcilicet voce internæ inſpirationis; literis ſacris, ac libris, & Prædicatorum exhortationibus; beneficiis innumeris, atque muneribus; tribulationibus, atque flagellis.

Exci-

(*a*) *Baruch. III. v. 24. & 25.*
(*b*) *Pſalm. LXXXVI. v. 3.*
(*c*) *Pſalm. LXXXIII. v. 3.*
(*d*) *Ad Philippenſ. I. v. 23.*
(*e*) *Pſalm. CXIX. v. 5.*
(*f*) *Lucæ XIV. v. 15.*
(*g*) *Apocalypſ. XIX. v. 9.*

Excipite, obſecro fratres, has Dei voces, aures aperite & intelligite, quibus vos toties, & tanto jam tempore vocavit & revocavit, vocat & revocat, & continuò ſtat ad oſtium & pulſat (*a*); nam ab ipſo nativitatis veſtræ die, omnes vos naturali, quo ſignati eſtis, lumine (*b*) ad illud vocat convivium, & omnibus horis atque ætatibus vocat; pueros & adoleſcentes, juvenes & viros, ſenes & ætate confectos: & a Mundi conſtitutione per Prophetas Sanctiſſimos ac Patriarchas, tam variis ac multis vocibus vocavit. Sed *cùm multifariam, multiſque modis olim Deus locutus eſſet in Patribus; noviſſimè* horâ Cœnæ, in ultima Mundi ætate, *locutus eſt nobis in Filio* (*c*), ad quos miſit ſervum ſuum. Et qualem ſervum? Filium, inquam, ſuum; *qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo* (*d*). Et quid eum ad nos dicere miſit? *Ut venirent*, inquit Evangeliſta. O blanda vox, o dulce verbum! ut veniamus clamat, ut veniamus rogat: Venite filii, *venite benedicti* (*e*). En ampliſſimum Regnum, en opulentiſſimum convivium, en maximam Cœnam. Quid ampliùs fame conſumemini? Venite, venite, & comedite, & qui non habetis argentum, properate; ipſe enim pro vobis, qui vos tam blandè vocat, Filius meus, Cœnæ pretium perſolvit, Sanguinem ſuum pretioſiſſimum. Intrate ergo cariſſimi, & comedite, bibite, & inebriamini; nil enim a vobis aliud requiro, niſi ut velitis.

Et tamen proh dolor! Diſpereo, filii, diſrumpor, morior, cùm cogito: tanta ſunt bona; tam ampla præmia tam gratuitò conceſſa; tam benignè vocamur: Et o me miſerum! o me mortalium omnium infeliciſſimum! O Deus, quia loqui non poſſum! O dolor! *Cœperunt ſimul omnes excuſare* (*f*). O maledicta Adæ & Evæ hæreditas! O maledicta excuſatio! Et a Cœna ſe miſeri excuſant? a Cœlo, a Deo, a ſatietate ſe excuſant? Et quid facerent miſeri ſi ad famem, ad labores, ad jejunia, ad vigilias, ad tribulationes, ad anguſtias, ad mortes, ad ſanguinis pro Chriſto effuſionem vocarentur, quando ſe a Cœna excuſant? Et cur, obſecro? nempe ob terrenarum rerum amorem, ob crapulas & ebrietates, ac turpes voluptates; contra quas tamen toties

(*a*) *Apocalypſ. III. v.* 20.
(*b*) *Pſalm. IV. v.* 7.
(*c*) *Ad Hebræos I. v.* 1.
(*d*) *Ad Philipp. II. v.* 6. & 7.
(*e*) *Matth. XXV. v.* 34.
(*f*) *Lucæ XIV. v.* 18.

ties moniti fuerunt, *attendere, ne gravarentur corda eorum in crapulâ & ebrietate* (*a*). O maledicte Munde, quando tuî amor a tantis nos retrahit bonis! O maledicta terra, quæ tam perniciosam inter nos, & Deum conſtituis eclipſim! O impuriſſime amor, qui ad Dei pervenis contemptum, & Cœli odium ac Infernalem ædificas Babylonem! Procul a nobis eſto ſæva lues, venenate coluber, inſidioſe Dæmon; procul a nobis malorum omnium origo, & graviſſimum animarum noſtrarum pondus, quod eas ad Deum evolare non ſinis, ſed ad terram retrahis, ac, veluti viſcus, alas in altum tollere non permittis.

Eja ergo, filii, quando indigniſſimos hos & rebelles homines Pater-familias accedere nolle conſpexerit, quid faciat animadvertite. Pauperes vocat ac debiles, & cæcos & claudos introduci jubet, ac alios etiam omnis generis homines eò compelli. Hæc ad Cœnam illam tam magnam, ùt audiviſtis, a nobis requiritur diſpoſitio; & videte quàm facilis, quàm ſuavis: nempe ut pauperes ſimus ſpiritu; ut debilitatem ac infirmitatem noſtram agnoſcamus; ut cæcè Domino ac Miniſtris ejus, & promptè obediamus; ut cum Jacob Patriarcha Sanctiſſimo (*b*) altero pede claudicemus; ut videlicet vero amore ſublimia reſpicientes, jam in hoc Mundo duplicibus incedere deſideriis neſciamus: uno enim pede innititur, qui ſolo Dei amore roboratur; & neceſſe eſt, ut alius marceſcat, quia mentis virtute creſcente, oportet ut carnis fortitudo langueſcat. Videte, quàm facilè præparari poſſimus, veſte deſuper caritatis amicti, ut ad ampliſſimam Cœnam accedamus.

Cùm hæc ergo, quæ audiſtis, ita ſe habeant; quid per terram vagamini, o miſeri homines, Ægypti paleas quærentes (*c*)? quid cæpis & alliis, peponibus ac viliſſimis cibis ſaturari cupitis (*d*)? quid bibitis aquam turbidam in terra Aſſyriorum, & fontem aquæ vivæ relinquitis, ac felicitatis venam? quid minutim hìc quæritis ac per fruſta, quod collectim, integrè & plenè reperire poteritis in illa bonorum omnium aggregatione? Si delectationes quæritis, cordis oculos in Cœlum attollite, & videte, quàm erit delectabile quod bonorum omnium continet delectationes. Si vita hæc creata recreat, quanto magis increata illa recreabit? Si dulcis eſt creaturarum cognitio, quantò erit dulcior Creatoris?

(*a*) *Lucæ XXI. v.* 34.
(*b*) *Geneſ. XXXII. v.* 31.
(*c*) *Exod. V. v.* 12.
(*d*) *Numer. XI. v.* 5.

toris? Si vos pulchritudo oblectat, in Cœlo Deus erit vobis in cibum, cujus pulchritudinem Sol, & Luna mirantur. Si ſanguinis nobilitas atque antiquitas, ipſe nobilitatis omnis origo eſt. Si longa vita & ſalus, illic ſalus eſt in longitudinem dierum. Si felicitatis affluentia, illic ſtatus eſt felicitatum omnium redundantia completus. Si muſici concentus & harmonica melodia, illic Angeli dulciter Deo laudes concinunt, & organa ſonant exultationis. Si vos amicitiæ ac jucundæ oblectant ſocietates, illic ſocietas eſt omnium Electorum, qui cor unum ſunt & anima una. Si honores & divitiæ; *gloria & divitiæ in domo Dei ſunt* (a). Si tamdem carere cupitis omni laborum ac pœnarum genere, illic Cœnæ illius convivæ verâ atque omnimodâ ab iis malis exemptione perfruuntur.

Quòd ſi hæc vos ad illius *Cœnæ magnæ* convivium minimè attrahunt, impellat ſaltem accedere nolentium ſæviſſima pœna, & crudelis in eos animadverſio; iratus enim in hujuſmodi homines Pater-familias ſubdidit: *Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.* O terribilimam vocem, o maximam pœnam! Dei Cœnam non guſtare, Deum perpetuò non videre, omnibus ſemper bonis excludi, omnibus ſemper malis repleri! Cùm ſaturabuntur Dei ſervi ac in ſatietate bibent, fame ac ſiti perire, nec guttæ aquam, qua lingua tangatur, in æternum obtinere poſſe; inter Dæmones ſemper verſari, ſpreta Angelorum ſocietate; illorum blaſphemias audire continuò, contemptis perpetuis Angelicis laudibus; in æternum mori, rejectâ æternâ vitâ. Et cur? Pro nimio terræ amore, pro terrenis cogitationibus ac deſideriis, pro terra, in quam toti transformamini, ac toti terra evaditis, cùm anima veſtra terræ & pavimento penitus adhæreat ac uniatur. Ah terra, terra, terra, audi verbum Domini. Ite in pace.

HO-

(a) *Pſalm. CXI. v. 3.*

HOMILIA XLVIII.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. XIV.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

Habita Dominica VI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. X. JULII.

DUo ſunt, dilectiſſimi filii, quæ me hominum vitam ſæpe meditantem plurimùm terrent atque excruciant: Alterum quidem eſt laborioſa vitæ hujus peregrinatio: *Dum ſumus* enim *in corpore*, *peregrinamur a Domino* (*a*), patriam hìc permanentem non habentes, ſed futuram, quæ in Cœlis eſt, inquirentes (*b*); alterum verò, extrema indigentia noſtra rerum omnium ad iter conficiendum neceſſariarum, præſertim ciborum, quibus minimè, ad ſatietatem ſaltem, abundantes, facilè deficiemus in via hac deſerta & inaquoſa. Ac primum quidem, quàm ſit difficile ac laboribus plenum, nemo eſt qui ignorat; cùm peregrinantium ſtatus omnem a ſe excludat quietem, continuum requirat motum, ſemper ſit ambulandum, proficiendum ac progrediendum ſemper; aliter enim retrogrediendo deficerent. Secundum verò quàm ſit in nobis miſerum, vos ipſi perpendite, num ſufficientes ſitis a vobis, tamquam ex vobis, tali itineri conficiendo opportunos cibos comparare; quibus tamen peregrinantes non egere, & ut nutriantur, & ut vires etiam aſſumant, adeò neceſſe eſt. Sed duo mihi ob oculos ponis, conſolator optime, dulce animæ meæ refrigerium, Sanctiſſime Spi-

(*a*) *II. ad Corinth. V. v. 6.*

(*b*) *Ad Hebræos XIII. v. 14.*

Spiritus, in ſacri hodierni lectione Evangelii, quæ me omni angore atque mœrore non modò liberant, ſed èt mirum in modum recreant: Ad allevandum quippe itineris laborem, ſcopum ejus ac finem objicis; magnam nempe illam in cœleſti Regno, ſolicitè ambulantibus ac ſtudioſè ad patriam contendentibus, æternæ gloriæ Cœnam præparatam, cujus magnitudo fide non capitur, ſpe non attingitur, caritate non apprehenditur; deſideria & vota tranſgreditur; acquiri poteſt, æſtimari non poteſt. Ne verò etiam inediâ conſumpti deficiamus in via, magnam hìc etiam ſpiritualis refectionis paratam cœnam ambulantibus oſtendis, ad eamque nos ſumma benignitate vocari, & quadantenus etiam, voluntatis tamen noſtræ ſervata libertate, compelli. Gratias tibi agimus Domine Jeſu Chriſte pro univerſis beneficiis tuis, ultra omne meritum noſtrum nobis conceſſis; de quorum quidem primo, cùm præcedenti ſermone quædam, te ipſo per os noſtrum loquente, dixerimus, reliquum etiam eſt, ut de ſpiritualis refectionis cœna, quam nobis noſtrì miſertus, *ne fortè deficeremus in via* (*a*), paraſti (quæ tamen cum prima una & eadem eſt, licèt illa completa, hæc inchoata dumtaxat ſit) nonnulla breviter, ac de iis, quæ ad illam impediant, agamus; ut hìc tuis ſacris muneribus refecti, panem etiam tamdem ſuaviſſimum in Regno tuo manducare poſſimus. Utile erit admodum, ac vobis omnibus iter agentibus, filii, perneceſſarium, ſermonis hujuſce noſtri argumentum; ideo, cùm de re veſtra agatur, orationibus veſtris atque ſilentio juvate dicentem.

Quemadmodum elementum ignis eſt illius indolis, ut quæcumque ei apponantur, in ſuî ſtatim naturam convertat; ſic Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui *ignem venerat mittere in terram* (*b*), imo qui èt *ignis conſumens* (*c*) erat, omnia dicta ſive facta, in Dei honorem ac animarum ſalutem nitebatur convertere: Et ſicuti ex floribus mel tantùm apes induſtrioſa elicit; æternæ etiam ipſe vitæ dulcedinem ex omnibus colligebat. Hinc cùm Turbas egregio illo miraculo quinque panum ſatiaſſet, mox de ſpirituali cibo ſermonem ſubdidit, dicens: *Quæritis me, quia manducaſtis ex panibus, & ſaturati eſtis. Operamini non cibum, qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam* (*d*); & a Samaritana, juxta puteum ſedens (*e*), cùm

(*a*) *Marci VIII. v.* 3.
(*b*) *Lucæ XII. v.* 49.
(*c*) *Deuteron. IV. v.* 24.
(*d*) *Joannis VI. v.* 26. *&* 27.
(*e*) *Ibid. IV. v.* 6. *& ſeqq.*

cùm corporalem ipſe aquam petiiſſet, verùm eam edocuit aquæ vivæ fontem, & ex Samaritana ſuî reddidit prædicatricem. Hac etiam ratione, a Principe Phariſæorum hodie invitatus ad cœnam (*a*), a temporali convivio occaſionem deſumens, ad Evangelicæ Cœnæ ſuavitatem aliquatenus guſtandam, pulcherrimâ quam audiſtis parabolâ ſtuduit illum elevare. Sumus quidem nos Divino munere Chriſtiani, ſed heu, quàm parùm Ducem noſtrum Chriſtum imitamur! a quo tamquam vero vitæ Magiſtro etiam hoc nobis eſſet hodie diſcendum, ut in omnibus Dei memores eum perquireremus; omnia ad ejus meditationem nobis adjumento eſſent, qui in omnibus eſt, per quem omnia ſunt, qui nobis eſt in omnibus omnia. Quid enim prohibet in apothecis Deum reperiri, in domibus, in agris, in plateis, in mercibus tractandis, in negotiis etiam ſeculi conficiendis? Quod etiam fortè volebat Dominus, dicens: *Oportet ſemper orare, & non deficere* (*b*); cùm enim oratio ſit elevatio mentis in Deum, duobus nos oculis inſtructi, cum eorum altero temporalia aſpicimus, altero verò conditoris magnitudinem & liberalitatem in illis meditamur. Oramus profectò; ſed miſeri hominum quamplurimi non modò id minimè præſtant, verùm totum contrarium efficiunt; ac unde ſalutem ſuam operari potuiſſent, iis abutentes, æternum ſibi parant interitum: araneis viliſſimis animalibus ſimiles, qui ex omnibus venenum tantùm ſugunt. Neque id vel rerum, quas pertractant, naturæ, vel alteri ulli rei eſt vitio vertendum; ſed depravato eorum ſtomacho, qui deguſtatos omnes cibos in ſuî convertit detrimentum.

Appoſitè igitur corporeos illos cibos hodie Dominus noſter ad ſpirituales convertit, ac ab illorum guſtu ad horum appetentiam ex convivantibus aliquos extulit, dicens: *Homo quidam fecit Cœnam magnam*. Hic quidem homo is eſt, qui cùm Deus eſſet, pro nobis homo fieri non recuſavit, ut nos Deo conjungeret; de quo pulchrè Pſalmiſta: *Homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam Altiſſimus* (*c*); qui licèt factus ſit per omnia (divinæ ſuæ tamen perfectioni minimè repugnantia) nobis æqualis, præ omnibus tamen hominibus, multis excelluit prærogativis, ob quas ſingulariter *homo quidam* dicitur Chriſtus: tum quia ſingulariter eſt

(*a*) *Lucæ XIV.*
(*b*) *Ibid. XVIII. v. 1.*
(*c*) *Pſal. LXXXVI. v. 5.*

eſt de Spiritu Sancto conceptus, & ex Maria Virgine, ſingulari quoque modo & ſine dolore natus: tum quia præcipuo quodam modo ab omnibus fuit peccatis exemptus, ſive originali, ſive etiam actualibus; ipſe enim *non noverat peccatum* (*a*), *nec eſt in ſpiritu ejus dolus* (*b*): tum etiam ob ſingularem ejus dignitatem, ratione unionis perſonalis cum Verbo; erat quippe homo pariter & Deus, nec una in eo alteram excludebat naturam.

Hic electis ſuis *fecit Cœnam magnam*, illam quidem in Cœlo perfectam, hìc autem inchoatam dumtaxat, ac illius quaſi guttam quamdam, imo veluti diſpoſitionem ad illam: Hæc verò eſt ſuavitatis redundantia, qua hìc fideles reficit ſuos. Inſtruxit autem hanc Cœnam extrema Mundi ætate [nos enim ſumus, *in quos fines ſeculorum devenerunt* (*c*)] eamque maximam, nobiliſſima & ſuaviſſima multa fercula complectentem, quæ & ſuî multitudine, & varietate jucundiſſimam accumbentibus illam efficiunt.

Appoſuit igitur in primis ſeptem illa Sacramenta Sanctiſſima, ſuavitatem in ſe gratiæ continentia; inter quæ potiſſimùm ſuî met ipſius Corpus & Sanguinem nobis conſtituit in cibum & potum, cujus hìc magnitudinem conſiderandi locus non eſt, ſed eam obſequenti dumtaxat ſilentio præteribimus. Accedit ad hæc Divini Verbi panis ſuaviſſimus: Appoſuit quoque in hac menſa nobis juſtitiam, gratiam, remiſſionem peccatorum, perſeverantiæ ac aliarum virtutum innumera dona, quæ ſaluberrimi ſunt animarum cibi. Quibus ſingulis ferculis explicandis, ſingulis profectò, iiſque longiſſimis opus eſſet ſermonibus. O quàm magna Cœna hæc eſt, dilectiſſimi filii, ad quam non niſi Magni invitantur a Domino! Sicut enim Aſſuerus Rex ille potentiſſimus, ad potentiæ ſuæ magnitudinem oſtendendam ſumptuoſiſſimo inſtructo convivio, Optimates tantùm, ac inclytos & fortiſſimos ad id Duces admiſit (*d*); eàdem quoque ratione ad Evangelicam hanc gratiæ divinæ Cœnam Magni tantùm & fortes accedunt. Sed fortè in oppoſitum facere cuipiam videbitur hodierni finis Evangelii; cùm, iis qui primò fuerant invitati, ad Cœnam venire recuſantibus, *iratus Pater-familias pauperes juſſerit ac debiles*, & *claudos ac cæcos introduci*, & alienigenas quoſque *compelli* (*e*). Quomodo igitur ad convivium hoc Magnis tantùm patet acceſſus?

(*a*) *II. ad Corinth. V. v.* 21.
(*b*) *Pſalm. XXXI. v.* 2.
(*c*) *I. ad Corinth. X. v.* 11.
(*d*) *Eſther I. v.* 3.
(*e*) *Luc. XIV. v.* 21. & 23.

ſus? Sed o quàm differunt ab hominum judiciis, divina conſilia! Quos Mundus Magnos exiſtimat, hi coram Deo ſunt parvi; & qui e converſo apud nos parvi reputantur, Magni ſunt coram Domino Deo noſtro. Numquid enim coram puriſſimis ejus oculis Magni ſunt divites, aut hujus ſeculi ſapientes, aut nobiles? An non potiùs humiles ſpiritu; *pauperes* de ſe demiſsè ſentientes, infirmitates ſuas agnoſcentes; altero pede *claudicantes*, nempe eo, quo Mundo minimè adhærent, ſed ſoli Deo innituntur; & *cæci*, quæ eis a Domino præcepta ſunt; ſanctâ quadam cæcitate ac promptitudine exequentes, nec an bona ſint ſive mala, quæ imperantur, diſquirentes? Hi profectò, filii, ſunt Magni, hi ſunt fortes, nobiles, ſapientes, divites; hi ad Cœnam vocantur, hi Chriſti Domini Menſâ ſunt digni; cœleſtis demum etiam Regni participes futuri, & cohæredes.

Sed Cœnæ hujus adhuc magnitudinem animadvertite, ac Patris hujus familias ſimul admirabilem providentiam: Cùm enim plura hominum genera ad Cœnam hanc invitentur, & multos ad eam vocet, ſingulis itidem pro eorum captu ac diſpoſitione cibos præparavit; ad hanc enim & pueri lactentes, & juvenes creſcentes, & viri conſummati accedunt; & incipientes ad eam admittuntur, & proficientes atque perfecti: & convenientia ſibi omnes fercula inveniunt.

Nam & incipientes primùm in hac vita *prævenit Dominus in benedictionibus dulcedinis* (*a*), ac veluti parvulis lac dulce primùm porrigit, tum panem eos comedere docet. Annon feſta recolitis, quæ, in filii prodigi reditu (*b*) poſt ſubſtantiam ſuam omnem malè conſumptam, facta fuerunt? Non recordamini convivii lautiſſimi, convivarum numeri maximi; cùm omnia muſicis inſtrumentis ac melodiis undique circumſonarent? Quid porrò tot plauſus ſignificant, niſi ſpiritualem illam animæ exultationem, cùm ſe ab Ægyptiaca ſervitute liberatam, ac a Pharaonis captivitate & Dæmonis oppreſſione videt immunem? Cur qui ſe tali cernit libertate donatum, pro tanto munere accepto feſtum non agat? Cur creaturas omnes non advocet, ut eum ad liberatori gratias agendas adjuvent, ac unà cum ipſo dicant: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum & aſcenſorem dejecit in Mare* (*c*)? Quòd ſi hæc vera non eſſent; ubinam Dei

(*a*) *Pſalm. XX. v.* 4.
(*b*) *Lucæ XV. v.* 20. *& ſeqq.*
(*c*) *Exodi XV. v.* 1.

Dei exiſteret providentia, quæ ſingulis creaturis perfectiſſimè providit, pro earum natura, ætate, viribus, ac captu? Neque profectò poſſent homines adhuc carnales atque mundani per novam hanc viam pœnitentiæ incedere, ac Mundum & ejus commoda pedibus ſubjicere, niſi talibus a Domino mediis eſſent adjuti, ac hujuſmodi conſolationum cibis refecti. Ad quos ideo clamitat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos (a).* O immenſam divinæ bonitatis dulcedinem! O aurea verba intimis animi ſenſibus infigenda! *Venite ad me* bonorum omnium largitorem: *omnes*, neminem dedignor, excludo neminem: etiam *qui laboratis* in peccatis [O quantus in iis labor! Audite damnatos: *Laſſati ſumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles (b)*]: *& onerati eſtis* (O quale onus eſt peccatum, plumbo rebuſque omnibus longè gravius): *& ego* in ipſomet veſtro ad me per pœnitentiam acceſſu, quod Incipientes faciunt, *reficiam vos* dulciſſimo conſolationis ſpiritualis cibo.

Imo hoc, filii, ſcitote: licèt eorum, qui jam ſunt Perfecti, gratiæ atque conſolationes admodum altæ ſint atque ſublimes; tamen adeò magna eſt Domini erga parvulos hos pietas, ut eorum paupertatem intuitus, ipſe eis adjumento ſit ad novam domum inſtruendam. Et quoniam adhuc debiles ſunt atque imperfecti, illis tantam quandoque ſpiritûs dulcedinem communicat, ut a Perfectorum exultatione parum admodum differat. Hoc innuebat Dominus, cùm in veteris legis ſolemnitatibus (c), primum earum diem, atque poſtremum æqualis volebat eſſe venerationis; quoniam primo converſionis peccatorum die, & poſtremo perfectionis juſtorum, magnam utriſque Deus gratiam communicat & illorum neceſſitatibus motus, & horum meritis adductus.

Reficit etiam eos, qui nullis virtutum laboribus perterriti arduam earum viam Proficientes proſequuntur, & quidem innumeris conſolationum ſpiritualium cibis; quos ſi velim omnes recenſere, non brevis Homiliæ, ſed longiſſimi voluminis terminos excederem. Verùm unius tantùm ferculi jucunditatem libemus, nempe bonæ conſcientiæ, qua fruuntur, lætitiam; eſt enim publicum virtutis theatrum bonæ conſcientiæ teſtimonium, cujus acerrimis ſtimulis atque aculeis ſæviſſimis, qui eunt de virtute in virtu-

(a) *Matth. XI. v. 28.*
(b) *Sap. V. v. 7.*
(c) *Levit. XXIII. & Num. XXVIII.*

virtutem, liberi exiſtunt. Hinc Salomon rerum omnium periſſimus *juge convivium* (*a*) bonam hanc appellabat conſcientiam: nam quemadmodum qui in convivio ſedet, ciborum varietate, & dulci amicorum præſentia plurimùm delectatur; ſic in via Domini Proficiens, bonæ conſcientiæ teſtimonio, ac Divinæ præſentiæ odore, cujus aperta habet indicia, mirum in modum recreatur. Verùm illa convivii lætitia fluxa eſt atque terrena; hæc verò cœleſtis atque perpetua: illa fame incipitur, & in faſtidium deſinit; hæc a bona vita habet initium, perſeverantiâ terminatur, & ad æternam gloriam in ſuî exitu perducit. Videte, quantî ferculum hoc faciebat Apoſtolus inquiens: *gloria noſtra hæc eſt, conſcientiæ noſtræ teſtimonium* (*b*): hanc verò firmiſſima conſequitur ſpes, ac de divina bonitate fiducia. Sic Suſanna mulier ſanctiſſima (*c*) licèt morti adjudicata, criminis tamen ſibi minimè conſcia, in Domino tantùm confidens hilaris tendebat ad mortem. Sic David vir ſecundùm cor Dei, ad Dominum orans dicebat: *Memor eſto verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti* (*d*). O quàm ſunt omnia Proficientibus dulcia, quàm *jugum Domini ſuave, & onus ejus leve* (*e*)! omnia namque condit amoris cibus, & caritatis potus, qua veluti inebriati, omnibus ſe exponunt laboribus atque periculis, nec mortem ipſam timent.

Sed o quàm dulcia Perfectis Chriſtus fercula apponit divinæ meditationis, contemplationis, & orationis, qua ita aliquando Deo uniuntur, ut deificentur quodammodo! Hinc ecſtaſes, hinc ſancta illa cordis deliquia, ac rerum omnium propter Deum contemptus. Quid iſti Mundum aut mundanos honores æſtimant? Omnia illis ſunt vilia, omnia ſunt ſtercora; ſolum diligunt Deum, ei ſoli adhærere cupiunt, ejus amore capti ab eo divelli non poſſunt; ſemper de eo loquuntur, ſemper de eo loquentes audire cupiunt; eum quærunt in omnibus, amore languent, ſponſæ illi in Canticis deſcriptæ ſimiles (*f*); inflammatum eſt cor eorum, quoniam in meditatione Dei exardeſcit ignis (*g*); hi muſto Sancti Spiritûs pleni ſunt, & proinde *eructant* ſemper *verbum bonum* (*h*). O quales hi cibos guſtant! qualia fercula comedunt! quæ bibunt vina! Enarrent ipſi, dicant ipſi; neque enim de his quiſpiam, niſi ea expertus, loqui valet. His deſipit

(*a*) *Prov. XV. v.* 15.
(*b*) *II. ad Corinth. I. v.* 12.
(*c*) *Daniel. XIII. v.* 43.
(*d*) *Pſal. CXVIII. v.* 49.
(*e*) *Matth. XI. v.* 30.
(*f*) *Cantic. II. v.* 5.
(*g*) *Pſalm. XXXVIII. v.* 4.
(*h*) *Pſalm. XLIV. v.* 2.

ſipit omnis caro; Mundo ſancta quadam amentia ſtulti videntur; cùm ea tantùm ſectentur, quæ ille refugit; ab iis tantùm abhorreant, quæ ille adeò ſtrictè complectitur.

O magnam Cœnam, in qua talibus ferculis tuos Chriſte reficis convivas! O ſacrum convivium, in quo tu ipſe ſumeris! Sed ſi tam lautum ac nobile convivium eſt hoc; quid, quæſo filii, cauſæ eſt, cur ad id tam pauci accedant, cur ſe ab eo tam multi variis modis excuſent? Porrò huic difficultati Gregorius ſanctiſſimus Pontifex, pariterque doctiſſimus in meî vicem reſpondet, inſignem inter ſpirituales, atque carnales epulas ac delicias afferens differentiam: *Corporales* namque *deliciæ cùm non habentur*, inquit, *grave in ſe deſiderium accendunt; cùm verò avidè eduntur, comedentem protinus in faſtidium per ſatietatem vertunt. At contra ſpirituales deliciæ cùm non habentur, in faſtidio ſunt; cùm verò habentur, in deſiderio; tantòque a comedente ampliùs eſuriuntur, quantò ampliùs comeduntur. In illis appetitus placet, experientia diſplicet; in iſtis appetitus vilis eſt, & experientia magis placet. In illis appetitus ſaturitatem, ſaturitas faſtidium generat; in iſtis autem appetitus ſaturitatem, ſaturitas appetitum parit; & idcirco non guſtatæ amari non poſſunt, quia earum ſapor ignoratur: quis enim amare valeat quod ignorat* (a)? Quid mirum, ſi Mundi illecebris ac vanitatibus immerſi homines, divinæ ſuavitatis dulcedinem in frequenti Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptione, in orationibus aſſiduis, in pueris Chriſtianæ Fidei rudimenta docendis, ac in hujuſmodi, quæ èt ipſa pretioſiſſima ſunt Cœnæ hujus fercula, abſconditam minimè ſentiunt, ſi non guſtant? Et quis, inquam, tale quid audivit; ut fructûs a longè poſiti ſuavitatem noſcamus, niſi eum ori apponamus, & manducemus? Et cui umquam medicina, licèt efficaciſſima, a Medico præſcripta, ſanitatem attulit, expulit morbum, priſtinam reſtituit valetudinem, niſi applicata? *Guſtate, guſtate* filii, ad Cœnam accedite, comedite quæ vobis apponuntur, & *videte, quàm ſuavis eſt Dominus* (b).

Annon videtis, quàm multis vos nutibus & nunciis, literis & modis ad hanc Cœnam advocet Dominus? Nam vos primùm interiùs vocat inſpirando, cùm continuò ſtat ad oſtium & pulſat, intrare cupiens ac vobiſcum cœnare; cur ergo ei peſſulum oſtii veſtri non aperitis? Vocat verbo, & præcepto; cur non

(a) Sanctus Gregorius Magnus Libr. II. in Evangelia Homil. XXXVI.

(b) *Pſalm. XXXIII. v. 9.*

non obeditis? Vocat tribulationibus; cur non patienter fertis? Vocat muneribus; cur gratias non rependitis? Vocat exemplo; cur non imitatione reſpondetis?

Cùm verò jam *Cœnæ* veſtræ *hora* acceſſerit, ac tempus acceptabile advenerit, ecce quia adhuc ad vos *ſervum ſuum* Dominus *mittit*, Prædicatorum videlicet chorum, qui omnia vobis indicent eſſe parata; nihilque aliud ſupereſſe, niſi ut lotis manibus accedatis, nempe purgatâ conſcientiâ, ac expiatis Pœnitentiâ ſacroſanctâ criminibus. Quid enim aliud nos facimus, cùm vos ad opera pietatis hortamur, cùm ſanctiſſima Domini præcepta proponimus, cùm virtutes commendamus, cùm vitia deteſtamur? niſi ad vos a Domino miſſi clamare: Ingredimini ad Cœnam, filii, *quia* ecce *jam omnia parata ſunt;* jam immolatus eſt in Ara Crucis innocentiſſimus Agnus Chriſtus; jam caritatis igne decoctus, jam in Crucis torculari ejus Humanitatis uva calcata, jam vinum Sanguinis ejus expreſſum, jam ſanctiſſima Sacramenta completa, jam ſtrata vobis eſt ad Cœlum via, per quam tot Sanctorum Apoſtolorum, Confeſſorum, Martyrum, Virginum, & ante hos Patriarcharum & Prophetarum millia proceſſerunt. Nullum eſt virtutum exemplum, quod manifeſtatum non fuerit: Jam innocentiam Abel audivimus, longanimitatem Noë, obedientiam Abrahæ, conſtantiam Iſaac, tolerantiam Jacob, caſtitatem Joſeph, manſuetudinem Moyſis, miſericordiam David, patientiam Job, Mariæ humilitatem, Joannis Baptiſtæ corporis afflictiones, Petri lacrymas, Pauli zelum, Andreæ Crucis deſiderium, Thomæ Fidei profeſſionem, Bartholomæi aſſiduum in orando ſtudium. Jam Macarios vidimus, Paulos Proto-Eremitas, Antonios, & hujuſmodi ſexcentos: ecce, ecce *parata ſunt omnia;* parata eſt via, paratus eſt locus, parata fercula, Cœna parata. Ingredimini omnes, filii, ingredimini.

Sed *cœperunt ſimul omnes ſe excuſare*. O qualem nos diſciplinam Protoparentes noſtri docuiſtis, diabolicam videlicet artem nos excuſandi in peccatis! Sic tuæ tranſgreſſionis culpam, o Adam, in Evam, tu Eva in ſerpentem, ambo verò impudentiſſimè in Deum rejeciſtis, qui & tibi ſociam dederat Evam, & eam permiſerat a ſerpente tentari. Attamen quot nunc habetis imitatores! Deteſtamur nos hodie carnis illecebras, ac ſenſûs vanitates; & en ſtultiſſimos juvenes, qui protinus mihi dicunt: equidem, ſi poſſemus, libentiſſimè nos contineremus? Ergo non

poteſtis miſeri? ergo vobis defuit Deus? ergo injuſtus eſt Deus, qui hæc ſub tam gravibus pœnis adeò diſtriĉtè præcepit; qui humeris veſtris onera impoſuit importabilia? O quot hinc peſſima, execranda, atque falſiſſima inferuntur! Hortamur ad frequentem Sacratiſſimæ Synaxis ſuſceptionem, & mercaturam nobis alii, alii apothecæ ſolicitudinem ſtatim opponunt. Omnibus denique bonis ac piis operibus præſentes ſtatim adſunt excuſationes, a quibus tamen, utpote noxiis, petebat liberari Propheta dicens: *Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis* (*a*).

Et videte, quæſo, quàm levibus de cauſis, a tam *magna Cœna* ſe excuſarent; ubi etiam animadvertite, gratiæ conſequendæ impedimentum non modò eſſe peccatum, ſed in iis etiam, quæ ex ſe mala non ſunt, nimium amoris affectum, aut nimiam ſolicitudinem: nam neque villam emere aut boves, neque uxorem ducere, peccata ſunt; ſed propter hæc Chriſti Cœnam reſpuere, bona ſolida ac firma detrectare, hoc malum, hoc damnandum eſt, hoc Patris-familias provocat iracundiam. Verùm a ſpiritualis, de qua ſupra fuimus locuti, refectionis cœna, peccata in primis impediunt, quæ in tribus hiſce adductis obſtaculis ſignificari quamplurimi volunt Doctores: primò videlicet dominandi cupiditatem atque ſuperbiam, ſecundò avaritiam, tertiò verò luxum ac voluptatum illecebras; quibus tribus malorum omnium radices concluduntur: *Quoniam omne, quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* (*b*).

Primus itaque inquit: *Villam emi*. Hic ceteris dominari cupiebat, iis ſaltem, qui villam, quam emerat, incolebant, ac illius agri colonis imperare, quod eſt ſuperbiæ ſcopus præcipuus. Sed hi, ſi Auguſtinum audirent, ſubeſſe potiùs quàm præeſſe, obedire quàm imperare eligerent; ait enim ille.
„ Locus ſuperior, ſine quo populus regi non poteſt, etſi rectè
„ teneatur & adminiſtretur, indecenter tamen appetitur. Otium
„ ſanctum quærit caritas neceſſitatis, negotium ſanctum ſuſcipit
„ neceſſitas caritatis; ideo imperia ac prælationes neceſſitate ſu-
„ ſcipi, non emi, aut tanto ſtudio comparari debuerunt. Quæ
„ quidem virtutibus pollens, non niſi invitus recipere debet;
„ at verò virtutibus vacuus, nec etiam invitus. „ Neque verò hic Caſtellum emerat aut Civitatem, ſed *villam*, ſed agrum, ſed ter-

(*a*) *Pſalm. CXL. v.* 4. | (*b*) *I. Joan. II. v.* 16.

terram: Et ob terram, ob nihil, Dei ſe gratiâ, ac tot ex ea provenientibus bonis homines privant! Et quid, obſecro, terra eſt? Audite Jeremiam (*a*): *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili:* Inſuper eorum animadvertite infelicitatem atque ſtultitiam: *Neceſſe enim*, inquit, *habeo exire, & videre illam. Neceſſe habeo exire;* in his enim peccati habitus inducit veluti neceſſitatem, exire eos facit a ſupernorum contemplatione, & ſuî cognitione: & *videre illam;* hic eorum emptionis eſt fructus; nam hi, dum ceteris præferri tantopere ſtudent, dum tam caro ſalutis animæ ſuæ pretio honores emunt, ac ceterorum regimina ſive civilia ſive ſacra, ad animarum curam ſpectantia, quæ ambiunt, ac illicitis etiam modis quandoque procurant; hi, inquam, non homines, aut eorum ſalutem, ſive juſtitiæ adminiſtrationem cupiunt videre, ſed *villam*, ideſt ſuî tantùm ſpectant emolumenta, quò omnia dirigunt. Et verè ſtulti ac cæci, qui, antequam quid emant viderint, antequam villam examinaverint, num fructibus ac frugibus proferendis ſit apta, num commodas habeat habitationes, num aquis irrigetur, emunt inconſultò abſque ulla indagatione. O utinam viderent ſuperbi, quòd antequam emant honores, ſe priùs Dæmoni vendunt, eî priùs in pretium animas tradunt! O iniquiſſimum mercatorem, noſtra priùs requirentem, quàm ſuî det quidpiam! cùm tamen e converſo primò ſua dederit Chriſtus, tum noſtra requirat. O ſi hujuſmodi homines, qui tantî ſibi comparant Mundi bona, priùs viderent, ac diligenter eorum valorem & naturam perquirerent, ea certè refugerent atque horrerent! Sed cæci nos atque infelices! Antequam ea videamus, pretio ſalutis noſtræ emimus; quid enim aliud Mundi honores omnes & voluptates ſunt, niſi umbra, fumus, ventus, falſitas, mendacium, & vanitas vanitatum?

Secundus verò *juga bovum*, inquit, *emi quinque, & vado probare illa.* Etiam hic imprudens fuit atque dementiſſimus avarus, qui quod ceteri fugiunt ac deteſtantur, ipſe emit cariſſimè; ac quod nonniſi recepto pretio alii faciunt, ipſe, ut id faceret, pretium perſolvit: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis* (*b*); idcirco compellente peccato, cervicem jugo ſubmiſit. Dei Filius noſtrî miſertus jugum hoc reddidit ſuaviſſimum, ac noſter ipſe jugalis eſſe voluit: & hi infelices unicum ejus jugum ſubterfugiunt, &

(*a*) *Cap. IV. v.* 23. | (*b*) *Pſalm. XLVIII. v.* 21.

& quinque ſe jugis bovum ſubmittunt; imo & pro iis animam ſuam venalem habent, cùm quinque ſenſus ſuos terrenis implicant rebus. Ac ſicut boves jugo ſupponuntur, ut terram ſcindant, colant, ac producendis terrenis fructibus aptam efficiant; ſic hi toti verſantur in terra; numquam niſi de terra cogitant cumulanda; toti terra ſunt; nec aliam ſibi patriam proponunt, quàm terram, quæ beſtiarum eſt patria: de qua tamen adeò terribiliter in Apocalypſi dicitur: *Væ, væ, væ habitantibus in terra* (*a*)! Adulteri ſanè appellandi, qui animas ſuas, quas ſibi cœleſtis Sponſus Chriſtus deſponſavit in fide, Dæmoni, ut terram lucrentur, proſtituunt: quæ tamen *nec facta ſunt*, ſicut impudicæ agunt mulieres *faſtidio pretium augentes* (*b*); nam cùm fœminis hujuſmodi infelicibus mercedes dentur, avari tamen in mercedem primò dant amatoribus ſuis Dæmonibus animas ſuas; quarum illi adeò ſunt avidi, non quòd eas ament, ſed ut mactent & perdant, ac in eas hìc ſæviſſimam exerceant tyrannidem, & illas poſtmodum æternis ſubjiciant cruciatibus. Ergo èt iſti a Cœna Domini excludentur, quam neque hìc ſument, neque per conſequens in Regno Dei guſtabunt.

Tertius demum, *Uxorem*, inquit, *duxi*, *& ideo non poſſum venire:* Per hoc autem carnis peccata damnantur, quæ adeò effrontes homines reddunt, ut illi ſtatim intellectum adimant; unde non veluti ceteri, hi ſeſe excuſant, ſed impudentiſſimè dicunt: *non poſſum venire ; vinum* namque , *& mulieres apoſtatare faciunt ſapientes* (*c*). Et advertite , in quam peccandi neceſſitatem hunc adduxerunt carnis illecebræ, ut dicat: *non poſſum;* ligant enim iſtæ homines, & quibuſdam veluti duriſſimis catenis conſtringunt, ac irrationabilium animalium adinſtar, naſo, ùt dici ſolet, ſeu cornibus pertrahunt; hujuſmodi namque homines in cetera peccata omnia labuntur facillimè, & difficillimè ad cor redeunt, aut ab eorum viis peſſimis convertuntur.

Hæc, filii, a Cœna Chriſti homines retrahunt, hæc illum indignatum nobis poſtmodum reddunt; cujus tamen iram atque furorem adeò Sanctiſſimus David extimeſcebat, orans (*d*): *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me:* & Chriſtus quidem iratus alios ad convivium advocat, & plurimos etiam ad id compellit, cùm flagella immittit, cùm tribulationibus nos angit,

(*a*) *Apocal. VIII. v.* 13.
(*b*) *Ezech. XVI. v.* 31.
(*c*) *Eccleſiaſtici XIX. v.* 2.
(*d*) *Pſalm. VI. v.* 2.

angit, quæ maxima ſunt ejus in nos amoris indicia; quòs enim diligit, caſtigat & corripit; ac quorum vult mentes illuminare, iis vexatione dat intellectum, cujus utilitatem ille optimè noverat, qui èt pro ea gratias referebat, *bonum mibi*, dicens, *quia humiliaſti me* (*a*); quos namque Dominus a Cœna ſua transfugas videt, eos multiplicatis infirmitatibus accelerare compellit. Quod videte, quàm manifeſtè ipſe noſtrì amantiſſimus Dominus per Oſeam innuerit, inquiens: *Quia dixit, vadam poſt amatores meos, qui dant panes mibi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum & potum meum. Propter hoc ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inveniet* (*b*); optimi enim & diligentiſſimi medici munere fungitur Deus, cùm homines vitiis & luxuria ob rerum abundantiam laborantes; penuriâ ſiquidem afficit & infirmitatibus, & uxorum ac liberorum interitu; ut morbo liberet, ut a nimio horum amore ad ſuî elevet deſiderium. Quanta ergo miſericordia Dei ſit in homines vèl hinc maximè liquet, cùm graviſſimè offenſus, non ſtatim peccantes perdere, ſed reſtituere cogitat. Vocat & revocat, imo & compellere ſtudet; omnia tentat, omnia molitur, nihil omittit, nullum non movet lapidem, ut in extremo Judicii die, cùm arguere cœperit, nobis dicere poſſit: *Quid ultra debui facere, & non feci* (*c*)?

Eja igitur amatiſſimi filii; en duo vobis propono convivia, unum amaritudinis, dulcedinis aliud: Primum inſtituit Dæmon, Mundus, & Caro, ſecundum præparat Chriſtus: primum prandium eſt, citò finiendum; ſecundum Cœna, in perpetuum duratura. Poſt illud ad laborem reditur; hanc æterna quies conſequitur. Illic ridetur & ſaltatur, ſed *riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat* (*d*); hanc verò, licèt hìc plorare jubeat ac flere, cœleſtis tamen excipiet conſolatio. Illic ſæviſſimi caupones, minima quævis cariſſimo animarum veſtrarum ac ſalutis pretio vendunt, totos vos ſibi uſurpant, omnem vobis adimunt libertatem, captivos vos reddunt: Hìc cum cibo pretium accipitis, animas ipſas veſtras Chriſti Sanguine redemptas; libertate donamini, ac Dei filii reddimini. Illic vos Dæmon amplectitur, ſed ut pugione transfodiat; Mundus oſculatur, ſed ut prodat; Caro blanditur, ſed ut in hoſtium det manus, tamquam

(*a*) *Pſalm. CXVIII. v.* 71.
(*b*) *Oſee II. v.* 5. *&* 6.
(*c*) *Iſaiæ V. v.* 4.
(*d*) *Prov. XIV. v.* 13.

quam Dalila nequiſſima: Hìc vobis Chriſtus occurrit, hìc animam ſuam pro vobis ponit. Videte, num majorem reperire poſſitis caritatem. Illic turbidam aquam in potum illi dant, & ſi *quando vinum* eorum *flaveſcit*, *cùm ſplenduerit in vitro color ejus; ingreditur blandè*, *ſed in noviſſimo mordebit ùt coluber*, *& ſicut regulus venena diffundet* (*a*): Hìc pretioſiſſimum Sanguinis ſui vinum exhibet Chriſtus. Illic fercula venenata, *mortem in olla* (*b*), ac peccata tantum ſuggerunt, quæ ad æternam ducunt perditionem: Hìc vitam æternam proponit Dei Filius; qui cœleſtes offert conſolationes & gratias. Clamant illi: venite, *marſupium unum ſit omnium noſtrûm* (*c*): venite, bonis fruamur; ſed rete vobis tetenderunt, ut accedentes illaqueent, ac in deſideriis veſtris captos in gehennam mittant. Hìc clamat Chriſtus: venite; ſed ut reficiat, ut ſibi conjungat, ut beatos efficiat. Erit-ne igitur quiſpiam veſtrûm adeò ſtultus, imprudens, atque infelix, qui, cùm vivere poſſit, mori malit; qui malis omnibus premi potiùs eligat, quàm bonis omnibus diffluere; qui ad mortiferum potiùs prandium, quàm ad vitæ Cœnam accedat? Si Chriſtum hodie propriis oculis intra vos ſtantem aſpiceretis, ſi vos ad ſe vocantem audiretis; quis non accurreret, quis non properaret accedere? En, quia hodie me ſervum ſuum, ùt audiſtis, ad vos miſit, cujus verbis, veluti ſuis, fidem exhiberi præcepit: Ejus vobis literas teſtimoniales exhibemus: *Qui vos audiunt* (de nobis loquens ſcribit) *me audiunt; qui vos ſpernunt*, *me ſpernunt* (*d*). Quis ergo veſtrûm hodie protinus a terra non ſurgat, omnia a ſe impedimenta non rejiciat, ut dulciſſima hac Cœna perfruatur, ut ſuaviſſimis his ferculis veſcatur, ut hìc beatus eſſe incipiat, felix perfectè futurus in Cœlo? Accedamus ergo omnes hodie ad magnum hunc Petrem-familias; ac, quando nil aliud a nobis pro tantis donis requirit, niſi ut nos ei exhibeamus, ut cor ei noſtrum offeramus, ei totos nos devovere ne tardemus; quoniam ipſi major eſt de nobis cura, quàm nobis ipſis, quos pretioſiſſimo ſuo Sanguine redemit. Fiat in nobis, quod eſt placitum in oculis ejus; de nobis ipſe ad ſuæ libitum voluntatis diſponat: & certò ſcitote, quia reficiet, quia nos paſcet, quia nos reget, quia nihil nobis deerit; & poſt gratiæ ſuæ Cœnam ad cœleſtes Agni nuptias traducet. Amen.

HO-

(*a*) *Prov. XXIII. v.* 31. *&* 32.
(*b*) *IV. Reg. IV. v.* 40.
(*c*) *Prov. I. v.* 14.
(*d*) *Lucæ X. v.* 16.

HOMILIA IL.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. XIV.

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos.

DE EUCHARISTIA.

Habita Dominica VI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. X. JULII.



ELIAS Propheta Dei Sanctiſſimus, ejuſque honoris zelo ardentiſſimus, cùm *univerſos Prophetas Baal gladio* interfeciſſet (*a*); idque Achab Rex impiæ uxori Jezabel nunciaſſet, illa furiis agitata, ad Dei ſervum, *miſit nuncium* ſuum, *dicens : Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam, ſicut animam unius ex illis.* Prophetam igitur, ne ſignorum, quæ operabatur per eum Dominus, magnitudine extolleretur, ac ut ſe hominem adhuc infirmum eſſe cognoſceret, Deus timere permiſit; *& ſurgens abiit quòcumque eum ferebat voluntas, venitque in Berſabee Juda, & dimiſit ibi puerum ſuum*, nempe viduæ filium, quem quia a mortuis ſuſcitaverat, eum illi mater ſua perpetuo obſequio dicaverat: *Et perrexit in deſertum, viam unius diei. Cùmque veniſſet, & ſederet ſubter unam Juniperum*, cujus arboris umbram ſerpentes ſolent effugere, *petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait : Sufficit mihi Domine, tolle animam meam; neque enim melior ſum, quàm patres mei. Projecitque ſe, & obdormivit in umbra Juniperi; & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi : Surge, & comede. Reſpexit, & ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ. Comèdit ergo, & bibit,*

(*a*) *III. Reg. XIX. v. 1. & ſeqq.*

& rurſum obdormivit. Reverſuſque eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via. Qui cùm ſurrexiſſet, comêdit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, uſque ad montem Dei Horeb. Inſequitur nos, dilectiſſimi filii, perpetuus humani generis hoſtis Dæmon, per Achab deſignatus; mortem nobis æternam Caro noſtra minatur. Et quid mirum, ſi nos corripit timor, & tantus, ut *petamus* etiam aliquando *animæ noſtræ, ut moriamur?* & videntes *aliam legem in membris noſtris, repugnantem legi mentis noſtræ, & captivantem nos in lege peccati* (*a*), exclamare cogamur: Infelices nos, *quis nos liberabit de corpore mortis hujus* (*b*)? Sed excitatis vobis a peccati ſomno, ecce quia hodie per me Angelum ſuum, non quidem merito, ſed officio, (ſunt namque verbi Dei Prædicatores, Domini nuncii, hoc eſt Angeli) mittit Dominus *ſubcinericium* hunc *panem*, qui de Cœlo ad Sacerdotis verba deſcendit ſub azymis conſecratis, panem nimirum Angelorum, Chriſti corpus & ſanguinem. *Surgite* ergo, dilectiſſimi, & jam unà mecum de eo ſpiritualiter *comedite*; deſiderii, atque devotæ famis dentibus manducate; ſancta myſterii contemplatione digerite: ut *in cibi* hujus *fortitudine*, qui cibus eſt fortium; in *via* hac, quæ vobis ad Patriam *reſtat grandis* atque difficilis, per totum hujus vitæ quadragenarium ambulare poſſitis, donec ad *Horeb*, quod menſam ſignificat, hoc eſt ad Cœli convivium perveniatis. Fortiſſimus eſt hic panis & ſuaviſſimus, quem vobis in magna Cœna ante paſſionem ſuam Chriſtus inſtituit; de cujus quidem Cœnæ inſtitutione ac nobiliſſimis effectibus, tum de diſpoſitionibus ac impedimentis, & eorum, qui eam refugiunt, ſeu dignè non recipiunt, pœnis, ut ad illius magis accendamur amorem, ex ſacri hodie Evangelii parabola dum agimus, vos ſpirituali fame repleti diligenter attendite. Tu Chriſte Deus & Homo, qui Cœnam paraſti, & panis eſſe voluiſti, paſce hodie verbo tuo animas iſtas, ut poſtmodum paſcas te ipſo.

Homo quidam fecit cœnam magnam. Is nempe homo, qui cùm Deus eſſet, homo non dedignatus eſt fieri; de quo Sancta Mater Eccleſia in Sanctiſſimo Miſſæ Sacrificio refert inter Symbolum Fidei, quòd *propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus eſt.* Hic homo Chriſtus Jeſus, qui in æternitate cum Patre & Spiritu Sancto perpetuam in Cœlis præparaverat Fide-

(*a*) *Ad Roman. VII. v.* 23. | (*b*) *Ibidem v.* 24.

Fidelibus ſuis gloriæ Cœnam, paravit etiam in tempore cum hominibus permanens, æternæ illius Cœnæ ſymbolum, *Cœnam* hanc ſacratiſſimi Corporis ſui, de qua loquimur. Nam ſicut in illa paſcentur Sancti in Cœlo Dei viſione perſpicua; ſic in hac, Chriſti Dei & Hominis corpore & ſanguine Fideles paſcuntur in terris, verùm ſub panis & vini ſpeciebus. *Cœnam* autem *fecit* hic *homo* poſt multa, quæ hominibus inſtruxerat prandia; nam cùm in die vitæ ſuæ, qua inter eos permanſerat (tota enim hominis vita, veluti dies eſt, quæ pertranſiit), plurimis illos cibis & doctrinæ ſuæ, & exemplorum atque miraculorum ſæpe paviſſet, ad vitæ tamdem finem, ad diei veſperam, morti propinquus fecit *Cœnam magnam :* & rectè profectò *cœnam*, & *magnam;* cùm enim prandio cœna lautior eſſe conſueverit, *cùm dilexiſſet* ipſe *ſuos*, *in finem dilexit eos* (*a*); ideoque maxima, quæ illis contulerat beneficia, ampliſſimum hoc munus ſubſequi voluit, quo finem ſibi præſcriptum pleniùs conſequeretur: *ignem* namque *venerat mittere in terras* (*b*), nec niſi ut arderet, quærebat; nimirum ut hominum pectora amoris ſui ardore æſtuarent: quod gratiis præſertim ac donis Chriſti fuerat conſequendum.

Sed ad cauſas jam, filii, accedamus, quibus ad Cœnæ hujus inſtitutionem impulſus eſt Dominus; ex multis autem, quatuor potiſſimas eliciemus, quas Romana Eccleſia in pulcherrimo Divi Thomæ Aquinatis Rhythmo comprehendit. Prima quidem fuit, ut eſſet ſacrificium, quam indicat ubi ait: *Phaſe vetus terminat ;* ſecundam verò, ut eſſet memoriale, verbis illis inſinuatam: *Quod in cœna Chriſtus geſſit, faciendum hoc expreſſit.*

Cetera deſunt.



(*a*) *Joannis XIII. v.* 1. | (*b*) *Lucæ XII. v.* 49.

HOMILIA L.

AD MONIALES ANGELICAS

Cœnobii Sanƈti Pauli (a) Mediolani

Habita Feria II. Dominicæ VI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII XI. JULII.



COGITAVERAMUS heri, dileƈtiſſimæ filiæ, huc accedere ad vos conſolandum Divini Verbi prædicatione, cujus dulcedo eſt ſuper omne mel & favum; nec procul hinc in via aberamus: Sed horæ nos tarditas pedem referre coëgit, ac ſacris Veſperarum Officiis, ad quæ campanæ ſigno vocabamur, pro muneris noſtri debito in Metropolitana Eccleſia noſtra intereſſe; unde noſtrum ad vos adventum in hodiernum diem differre oportuit. Ampliſſimam ſanè heſterni Evangelii leƈtio nobis loquendi proponebat materiem; ſed non minorem ſuggerit hodierna, ſacratiſſimæ Euchariſtiæ Myſterio, quo hodie eſtis refeƈtæ, conjunƈta. Ille, quem & vos intra vos ſumpſiſtis, & nos, loquendi

(a) Anno MDCCXX. D. Cajetanus Vulpius publici juris fecit Patavinis typis Sermones familiares XVII., ſcriptos Italica lingua, quos Sanƈtus Carolus Borromeus habuit ad Moniales, appellatas *Angelicas*, inſignis Cœnobii Sanƈti Pauli Mediolani, quoſque excepit ex ore ipſiuſmet Cardinalis Archiepiſcopi Agatha Sfondrata, ejuſdem Monaſterii Soror claræ memoriæ non tam ob Sanguinis nobilitatem, utpote quæ nata erat ex fratre Gregorii XIV. Pont. Max., ſed etiam multò magis ob vitæ religioſiſſimæ famam in eo Clauſtro relictam. Inter hos Sermones, qui numero X. vulgatus legitur, idem eſt cum eo, quem hic damus in latinum ſermonem traduƈtum; niſi quòd ibidem compendiariò tantùm colleƈtus a memorata Sorore editus eſt; hic verò integer traditur, prout Sanƈtus Carolus Borromeus deſcribi eum voluit a Domeſtico ſuo Jo. Bapt. Poſſevino, ac poſtmodum manu propria emendavit.

quendi nobis vim dabit ac gratiam, fructus utrinque maximos inde percipiendi.

Salvator noſter Dominus Jeſus, dilectiſſimæ filiæ, humani generis optimus Magiſter, præter cetera hoc uno etiam alios omnes tranſgreditur Magiſtros, quòd nullis ipſe adhibitis ambagibus aut involucris, conſequendæ ſalutis æternæ viam nos ſemper edocuit: Unde ſpeculum hodie nobis proponit lucidiſſimum, quo quidquid facimus, an rectè faciamus, conjicere facilè poſſimus. Id autem eſt, qua quidquid intentione aut agamus aut loquamur, expendere. Intentionem perpulchrè hodie oculo aſſimilat, cùm ait: *Lucerna corporis tui eſt oculus tuus* (*a*); quam enim ad lucernam corporis oculus, eamdem ad oculum finis & intentio in operibus habet proportionem. Sicut namque lucerna nos ea videre facit, quæ agimus; ſic èt corporeus oculus totius eſt corporis lucerna: qua etiam ratione oculus noſter interior, animæ videlicet intentio, omnes ejuſdem illuminat operationes. Profectò ab animalibus irrationabilibus, atque ceteris inſtrumentalibus cauſis, hac potiſſimùm re differunt homines, quòd hi nil temerè, ſed ad finem aliquem agunt, quem ſibi ipſis liberè proponunt: Illa verò naturæ ducuntur inſtinctu; & quorſum, ſeu ad quid operentur, ignorant: quo fit, ut qui ſuis omnibus in actionibus finem minimè ſuſpiciunt, humanitatem exuere, & jumentis ſimiles effici videantur. Multos tamen multi ſibi fines proponunt, ad quorum ſimilitudinem opera demum ipſa recta ſuccedunt, aut obliqua: omnis quippe baſis & fundamentum meriti aut demeriti conſiſtit in recta intentione, & fine operum noſtrorum. Quapropter ſubdidit Dominus: *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit; ſi autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebroſum erit* (*b*). Et certe tanti refert, qua quidquid agatur intentione, proſpicere, ut potiſſima hæc ſit non modò Chriſtianæ, ſed omnis etiam prudentiæ regula: Vitæ autem Religioſæ, ad quam vos Dei munere eſtis vocatæ, prima hæc veluti dux, ac perpetua ad finem uſque vitæ comes eſſe debet.

Neque ad Dei ſolùm accedentibus ſervitutem, ſed in ea quoque perſiſtentibus, operum omnium ſuorum eſt examinanda intentio, quam ipſius Religionis probè indicat definitio; nil enim aliud eſt, Monachum aut Monialem fieri, quàm a Mundo ſejungi, ut Deo liberiùs ac perfectiùs vacari poſſit, ejuſque cultui penitus

(*a*) *Luc.* XI. v. 34. | (*b*) *Ibidem*.

penitus conſecrari ; ac denique viam perfectionis ſe ambulaturos profiteri : quæ omnia perfectam cum Deo unionem, veluti rectiſſima media finem ſibi proponunt.

Ac ut de Incipientibus primùm loquamur, quod Proficientibus etiam debet eſſe commune: Illæ finem aſſequi intendunt, quæ media ad illum tendentia amplectuntur. Si quis Romam ire pararet, & Galliam versùs iter ſuſciperet, hunc meritò jocari quiſpiam exiſtimaret, de Romana loquentem profectione audiens, & contrarium iter aggredi aſpiciens. Multæ ſunt, quæ finem Religionis ſupra memoratum conſequi cupiunt, ſed media reſpuunt; bonam quidem habent intentionem ac finem, non tamen earum opera lucida ſunt. Nec mirum; nam èt per Joannem (*a*) Dominus ait, quòd qui perſequebantur Apoſtolos, arbitrabantur *obſequium ſe præſtare Deo*, cùm nihilominùs graviſſimè peccarent. Sed aliud eſt, dilectiſſimæ in Chriſto, rectam eſſe alicujus intentionem, aliud, bonam habere intentionem. Bona intentio eſt, quæ finem bonum habet, ſed facilè poteſt ſe illi error admiſcere, ita ut eam corrumpat; quia licèt ex fine ſit bona, alia tamen accedunt, quæ illam facilè depravant. Recta autem intentio, eſt voluntatis noſtræ operatio, qua illa vero modo & medio tendit in bonum; quando ſcilicet cum lege Dei menſuratur, ac media, quæ ad ſanctum propoſitum finem ducunt, libenter amplectitur. Ea igitur Puella rectà intentione, Religionis portum ingreditur, quæ propoſito ſibi Religionis fine, ut nempe Deo perfectè uniatur, firmiſſimè etiam proponit, omnia ad hanc unionem conducentia ſe generosè amplexuram: Hæc autem ſunt, ſolitudo ſanctiſſima, ſegregatio omnimoda a Mundo, orationis ſtudium, carnis afflictio, voluntatis ſubjugatio ac ſacrificium, ejuſque oblatio Creatori Deo, perfectà obedientià manum porrigente.

Sed etiam Religionem ſacram profeſſæ, hoc in primis quotidie diligentiſſimè ſecum debent perquirere, ſcrutantes: oblector-ne mediis ad perfectionem tendentibus, nec non? idque non modò perfunctoriè, ſed cum timore maximo atque ſolicitudine, in omnibus, quæ agunt aut cogitant, debent perpendere: ſanctiſſimum Dei Servum Job imitantes, qui inquit: *Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceret delinquenti* Deus (*b*). Quo certè timore nihil eſt Monialibus Dei ancillis magis neceſſarium; timor, qui

(*a*) *Cap. XVI. v.* 2. | (*b*) *Job IX. v.* 28.

qui pavet etiam pericula quæ non ſunt, & defectus ſuos in mediis ad finem tendentibus ſcrutatur, invenit ſe ſenſu indigere; & hic quidem timor virtutum omnium baſim humilitatem inducit. Humilitas verò videns, ſenſum ſuum ſibi non ſufficere, alieno, nempe Dei, & ſuperiorum ab eo conſtitutorum ſenſui acquieſcit. Hinc tam parvus in Religioſis quandoque profectus; hinc tanta in Dei ſervitio negligentia, eò quòd, quæ ſibi ſunt propria ac ad finem præſcripta media non amant, & totis cordis viſceribus non ampleƈtuntur; ſolitudinem ſanctam, ſi non invitæ, non ſaltem hilares obſervant. Ignorant hæ profectò vocationis ſuæ ſublimitatem ac dignitatem, & quid ſit in Monaſteriis Deo ſervire; quàm recta ſit ad ſalutem via; quàm, ceteris in mari diſcurrentibus, mille tempeſtatibus atque procellis jactatis, liberæ ipſæ atque immunes in portu conſiſtant. Id autem omne procedit, quia earum *oculus nequam eſt;* nam ſi *ſimplex* eſſet, ſolitudinis ſuæ præſtantiam, ac maximam inde manantem quietem aſpicerent ac pacem, quam illæ conſequuntur, quæ Angelis ſimillimæ in ipſis Cœli foribus, adhuc viventes, verſantur. Hujuſmodi Monialibus Monaſteria Paradiſi ſunt, ac cœleſtis Regni veſtibula; e quibus cùm morientur ulteriùs penetrantes, ad cœleſtis Sponſi cubiculum ac thalamum introducentur.

Sunt, quas hæc a Mundo ſegregatio ac ſancta ſolitudo, pacis tamen mater & alumna, deterreat: quæ profectò ſi ſcirent donum Dei, tantùm abeſſet ut illis eſſet exoſa, quin potiùs extra eam, ùt piſces extra aquam, vivere ſe minimè poſſe putarent. Libet hìc, filiæ, pulcherrimum vobis ex Sanctorum Patrum Vitis exemplum adferre, quo ad ſanctæ ſolitudinis ſtudium, (ſi tamen ſolitudo dici poteſt, quæ Dei eſt, ac Angelorum ſocietas) mirè accendamini. Tres fuiſſe perhibentur, qui cùm ſe invicem ſtudioſè diligerent, Monachi ſunt facti: quorum unus elegit litigantes ad pacem reducere: alius infirmos inviſere, ac conſolari: tertius verò abiit quieſcere in ſolitudine. Primus laborans circa hominum lites, nec eas ſedare valens & componere, tædio victus venit ad eum, qui ſerviebat infirmis, quem animo prope deficientem invênit. Ambo communi conſenſu ad tertium acceſſerunt, ſuaſque ei tribulationes enarrantes, rogarunt, ut eorum illis ſtatum aperiret: qui reticens paululum, miſit aquam in vas, quam ut aſpicerent juſſit; ſed turbidam illi viderunt. Paulò poſt verò; attendite, inquit, quàm limpida ſit facta, quæ non multò ante turbi-

turbida erat; cùmque illi in eam oculos intenderent, vultus ſuos tamquam in ſpeculo viderunt. Tunc qui ſe ſolitudini addixerat: Sic eſt, ait, qui in medio hominum conſiſtit; non enim videt peccata ſua. Cùm autem quieverit, in ſolitudine potiſſimùm, tunc peccata ſua conſpicit, quorum videns turpitudinem, exhorret ac dolet; & dolens luget, ac luctu æternam tamdem conſolationem aſſequetur, juxta Domini, qui veritas infallibilis eſt, promiſſa, dicentis: *Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur* (a). Pleni ſunt libri, Sanctorum atque ſanctarum Mulierum exemplis, hominum commercia fugientium ut Deo magis unirentur. Sed inſignis in hoc, ùt etiam in ceteris, extitit Benedicti Patriarchæ ſanctiſſimi, tot Religioſorum virorum atque mulierum Inſtitutoris & Patris vita; qui tam multos in Domini rete attraxit, cujus operâ tot cœleſtes ſedes repletæ fuerunt; cujus natalis diei (licèt XII. Kalendas Aprilis celebretur) ab Ambroſiana Eccleſia, quæ quadrageſimalis temporis Officiis impedita illum tunc præterire coacta fuit, hodie memoria recolitur, atque Officium perſolvitur. Benedicti vita, ùt tot Religioſorum extitit ſpeculum, ſic non incongruè vobis religioſam vitam degentibus proponitur. Is nobili genere ortus, Romæ diſciplinis liberalibus eruditus, ſtudiis neglectis ac Seculo, Mundique rebus omnibus deſpectis, a pueritia, ut totum ſe Jeſu Chriſto devoveret, ad eum locum, qui Sublacus dicitur, in altiſſimam ſpeluncam penetravit, in qua ſic per triennium delituit, ut unus id ſciret Romanus Monachus, qui panem ei & aquam in cophino, longiſſima fune demittebat. O filiæ, ſi Mundum omnes cognoſcerent, ſi mille ejus fallendi artes perſpectas haberent, id habetote pro certo, quòd deſertæ redderentur Civitates, ac loca, ubi homines ſimul conveniunt, animalium paſcua redderentur: Adeò illum fugerent omnes, & mulieribus plena eſſent Monaſteria. Sed quia fraudibus plenus eſt Mundus, quia ſub quadam mellis ſpecie, venenata porrigit pocula; ideo multi depravatum guſtum habentes, eum ſequuntur, cum eo vivunt, ad ejus prandium accedunt; & ad cœleſtis Patris Dei Cœnam, prout illi heſterno ſe Evangelio excuſantes, quòd villam primus, boves alter emiſſet, tertius verò uxorem duxiſſet, recuſant accedere. Neque verò Mundum ſolum Benedictus (verè benedictus, per quem in tam multos Dei benedictio deſcendit) ſed etiam proprios quoſdam Monacos, filios ſpirituales,

(a) *Matth. V. v. 5.*

rituales, quos ipſe pepererat ſpiritu, videns religionis habenas laxantes ac diſſolutè viventes, relinquit, in ſolitudinem ſecedens, *& ſolus habitavit ſecum*, inquit Paſtor Sanctiſſimus Gregorius, de eo ſcribens (*a*). Perpendite filiæ verbum efficaciſſimum: *Solus habitavit ſecum*. Nonne etiam inter Monachos degens ſecum habitabat? Numquid extra ſe erat? An non, quamdiu vivimus, nobiſcum omnes habitamus? Hic vitæ religioſæ, quam vos profeſſæ eſtis, eſt fructus, ut quæ in Mundo extra ſe fuerant evagatæ, redeuntes ad cor, ſecum habitent. At e contra Mundi converſatio extra ſe habitare homines facit; ideo qui villam in heſterno Evangelio emerat, ut ceteris dominaretur, ſuperbiæ & ambitionis vento repletus, cùm ſe a Cœna excuſaret, dicebat: *Neceſſe habeo exire, & videre illam* (*b*); Mundi namque vanitas ac ſuperbia ab æternorum contemplatione, & a ſuî conſideratione facit exire.

Multa pericula vos, filiæ, effugiſtis, vobiſcum habitantes, ac intra vos redactæ; ſed non ſat eſt corpore a Mundo eſſe ſejunctas, niſi etiam animo & cogitatione vobiſcum, & cum Deo habitetis. *Virgo cogitat, quæ Domini ſunt* (*c*), & quidquid de Deo non cogitat, extra illam eſt, nec ad ipſam pertinet; nam hoc etiam Mulieres ſeculo addictæ cogitant. Dividi nequit cor noſtrum, filiæ; neque mundanas & divinas complectitur cogitationes, quia nemo poteſt duobus Dominis ſervire, Deo & Mammonæ; & adeò eſt cordis hominum, religioſorum præſertim virorum atque Monialium, avidus Deus, ut non ejus ſit parte contentus, ſed ſibi vindicet totum: & meritò, utpote totum a ſe factum, & ad ſe factum; fecit enim nos Dominus ad ſe, & inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in eo, & quidquid extra Deum cogitet, ad ipſum minimè pertinet, ſed ad ſecularia commoda, & mores Mundi: a quo tamen audite monentem Apoſtolum, quàm vos recedere oporteat: *Nolite conformari huic ſeculo, ſed reformamini in novitate ſensûs veſtri, ut probetis quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta* (*d*). Nolite, filiæ dilectiſſimæ, jugum ducere cum Mundo, Chriſtum jugi conſortem nactæ; *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? qui autem conſenſus Templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis* Tem-

(*a*) Dialogorum Lib. II. Cap. III.
(*b*) *Lucæ XIV. v.* 18.
(*c*) *I. ad Corinth. VII. v.* 34.
(*d*) *Ad Rom. XII. v.* 2.

Templum Dei vivi (*a*): propter quod, ſicut corpore e Mundo egreſſæ in Monaſteria vos abdidiſtis, *exite* etiam cogitatione *de medio* ejus, *& ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis: Et ipſe recipiet vos, & erit vobis in patrem, & vos eritis illi in filias* (*b*).

Sed Mundum fugiſſe, ac peccata cavere, ſat vobis eſſe ne putaveritis: nam ſi cunctos Chriſtianos homines declinare oportet a malo, & bonum facere; quantò magis vos, quæ ad perfectionem aſpiratis, in bonis operibus progredi ſemper neceſſe eſt, ac de virtute in virtutem ire, donec videatis Deum Deorum in Sion (*c*)? Vos enim, quæ majorem ceteris atque abundantiorem a Deo gratiam eſtis conſecutæ, niſi ei operibus reſpondeatis, graviſſimas dabitis pœnas; ſtrictiſſimam ſiquidem munerum collatorum a vobis Sponſus veſter exiget rationem. Omnis Chriſtianorum vita, eſt continua ad Cœlum peregrinatio, Religioſas verò mulieres ad perfectionem non ambulantes in judicio arguet Dominus, in cujus via non progredi, eſt retrogredi. Hanc ob cauſam priſci illi Religionum Inſtitutores, ac earumdem profeſſores acerrimi, adeò in ſe ipſos rigidi videbantur, adeò in cavendis omnibus non modò peccatis, ſed èt peccatorum occaſionibus erant diligentes: *Arcta* namque *via eſt, quæ ducit ad vitam* (*d*), & in peccatorum occaſionibus latent pericula, quæ qui amant, peribunt in illis (*e*). Hoc ego; dum heſternam Cœnæ magnæ paratæ parabolam legerem, meditabar attentiùs, triplicia a Domino fuiſſe adducta impedimenta, quæ miſeros illos a Cœna retraxerant; & hæc quidem inſpiciens, ex genere ſuo non modò peccata non eſſe, ſed eſſe etiam licita conſiderabam: nam nec furta in medium protulit, neque pauperum oppreſſiones aut ſtupra & adulteria; ſed villæ & bovum emptionem, quæ de genere ſuo minimè prohibentur; uxorem verò ducere, Sacramentum etiam eſt ſanctiſſimum, a Domino inſtitutum: Quoniam autem in horum nimia aviditate ac immoderato amore, recedendi a Deo pericula latent, idcirco impedimenta a cœleſti Regno retrahentia eſſe perhibentur; & proinde ab omnibus vitanda. Ideo vos adversùs hæc tribus veſtris ſanctiſſimis votis armamini, nempe contra dominandi cupiditatem & vitæ ſuperbiam Obedientià; contra avaritiam & oculorum concupiſcentiam Paupertate ditiſſima; contra denique voluptates ac carnis concupiſcentiam Angelica Caſtitate.

Ad

(*a*) *II. ad Corinth. VI. v.* 14. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. v.* 17. *&* 18.
(*c*) *Pſal. LXXXIII. v.* 8.
(*d*) *Matth. VII. v.* 14.
(*e*) *Eccleſiaſtici III. v.* 27.

Ad perfectionem vobis aſpirantibus perfectiora parata ſunt media. Ideo, quò Deo faciliùs uniamini, ac fortiori vinculo conſtringamini, in quo etiam diutiùs perſiſtatis, omnes jubemini mundanas converſationes reſpuere; parentum etiam, fratrum, atque ſororum colloquia: nam licèt non modò parentibus obſequendum, ſed amore proſequendos omnes, inimicos etiam diligendos eſſe juſſerit Dominus; vobis tamen, ac omnibus ad perfectionem tendentibus ipſemet præcipit, ac proteſtatur dicens: *Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem èt animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus* (*a*). Vult enim Deus, ut ad eum, tamquam ad animæ veſtræ centrum, in quo patrem, matrem, fratres, & ſorores habeatis, vos conferatis; ac duobus veluti oculis eorum vos ſalutem atque animam ametis: quæ verò vos a ſpirituali retrahunt profectu, oderitis; cùm multo magis Deo debeatis, quàm ipſis parentibus, quos tamen *in Domino tantùm* diligi præcepit Apoſtolus (*b*). Quid enim impedimenti afferat perfectioni, etiam parentum & fratrum, ſive ſororum ac conſanguineorum familiaritas, ſatis oſtendit Dominus, cùm Abrahæ præcepit inquiens: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua* (*c*): Unde quas in filias aſſumere, & erudire vult Deus, de iis inquit per Oſeam: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus* (*d*); & alibi dicitur: *inimici hominis domeſtici ejus* (*e*). Quàm multas, filiæ, peſſimus Sophiſta Dæmon caritatis prætextu ſeducit, cùm ſuggerit: annon caritatis eſt opus, mœrentes ſorores ad nos accedentes conſolari; dolentes matres exhilarare? Nonne id facientes meremur potiùs, quàm demeremur? Et non cogitant interim miſeræ, quàm eis obſint mundana, quæ cum iis miſcentur, colloquia; dum quid domi agatur curioſiùs perquirunt, quid etiam ruri; quid per Civitatem fiat; ac alia denique plurima, de quibus, cùm orationis poſtea tempus advenit, tunc certè rationem reddunt, ac pœnas luunt; nam illa ſtatim animo occurrunt, ac eas extra vagari compellunt, & a ſuaviſſimo cum Deo colloquio divertunt; Imo etiam quandoque eò deveniunt, ut dicant cum filiis Iſraël ſedentes & flentes: *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in*

(*a*) *Lucæ XIV. v. 26.*
(*b*) *I. ad Corinth. VII. v. 39.*
(*c*) *Gen. XII. v. 1.*
(*d*) *Oſee II. v. 14.*
(*e*) *Michææ VII. v. 6. & Matth. X. v. 36.*

mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cæpæ, & allia. Anima noſtra arida eſt; nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri, niſi Man (*a*)? Videtis, quantum brevis parvuſque ſermonis ignis poſtea in orando animæ ariditatem producit? Certè adeò eos, quos perfectos eſſe Inſtituti ſui profeſſio requirit, ab omni carne & ſanguine ſeparatos prorſus eſſe neceſſe eſt, ut hoc innuens Salvator noſter Chriſtus Jeſus, qui Deus erat & Homo Sanctiſſimus, cujus Vita ſpeculum, exemplum, ſtimulus erat bene vivendi, Apoſtolos ſuos tamen perfectos reddere cupiens, ac gratiæ donis cumulare per Spiritus Sancti in eos ſuperadventum, dixerit ipſis: *Sed ego veritatem dico vobis: Expedit vobis, ut ego vadam; ſi enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos* (*b*). Ergo Chriſte Deus, tu, qui Sanctorum es Sanctiſſimus, & quidquid a te diceretur aut fieret, ad virtutem ſemper ſtimulos addebat ardentiſſimos; tu, inquam, illa carne, cujus contactu morbi fugabantur, cujus præſentiam ferre nequibant Dæmones, poteras inter illos conſiſtens, Spiritus Sancti abundantiam in eos venturam retardare? Abſit hoc a nobis, ut a te id profluxiſſe credamus; illis enim hoc contingebat, eò quòd carnaliter nimiùm, ac tenerè & humanè viſibilem tuî præſentiam diligerent. Quantò magis igitur vobis ſoli *Deo adhærere bonum eſt, & ponere in Domino Deo ſpem veſtram* (*c*)? ejus ſolùm colloquiis delectari? Mundum fugere, ac omnia, quæ in Mundo ſunt? nihil vitæ veſtræ, aut cogitationum ſive ſermonum illi tribuere? quidquid namque Mundo conceditur, Deo ſurripitur. Cogitate cœleſtium bonorum amplitudinem, filiæ, ſponſi veſtri Chriſti majeſtatem, ſociorum veſtrorum Angelorum ac cœleſtium Spirituum dignitatem; & (mihi credite) cuncta hæc inferiora reſpuetis; ac ſancta quadam elatione ad ſupremi Regis familiaritatem admiſſæ, vilium & pauperum colloquia dedignabimini. Sed recta oportet vos eſſe intentione, ac in propoſitum finem oculos ſemper conjicere, conjectoſque fixè retinere, ac quæcumque ad illum juvant, amplecti; quod facientes, brevi vitæ hujus horâ præteritâ, caritate ardentes, ſpiritu ferventes trahet vos poſt ſe ſponſus jucundiſſimus Chriſtus, ac in odorem unguentorum ſuorum curretis (*d*), ubi ſine fine regnabitis. Amen.

HO-

(*a*) *Num. XI. v. 4. & ſeqq.*
(*b*) *Joann. XVI. v. 7.*
(*c*) *Pſalm. LXXII. v. 28.*
(*d*) *Cant. Cantic. I. v. 3.*

HOMILIA LI.

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XX.

De duobus Cæcis

Habita Dominica VI. poſt Pentecoſtem.

Anno MDLXXXIII. XVII. Julii.

VIsibilis hic Sol, quem in Mundi luminare majus condidit Dominus, dum univerſum hunc Orbem per totius anni circulum luſtrat, influere numquam deſinit, ac inferioribus corporibus virtutes ſuas ſplendore atque calore communicare; hominum generationes adjuvando, terram fertilem, ac ferendis frugibus aptam reddendo, & intra eam tam diverſi generis metalla nobiliſſima producendo. Sed multò efficaciùs, dilectiſſimi filii, verus Juſtitiæ Sol Chriſtus Jeſus, quamdiu inter nos verſatus fuit, corporali ſua præſentia Mundum luſtrando, per Civitates atque Caſtella diſcurrendo, mirabilia operabatur in hominum corporibus pariter, atque animis; dum leproſis multis munditiem, hydropicis ſanitatem, ſurdis auditum tribuebat; dum ad vitam mortuos revocabat; dum cæcis lumen utrumque & carnis & ſpiritûs reſtituebat, cujuſmodi duobus hiſce in hodierno Evangelio deſcriptis, quibus primùm ſuî præſentiam ſentire conceſſit, tum mendicitate depoſita ad ſe accurrere, viſus beneficium poſtulare ac conſequi, tum ipſum ſequi tribuit. Sed multò etiam glorioſiùs, poſt ſuî e mortalitatis Jericho, per aſcenſum in Cœlos, egreſſum, ſplendoris atque caloris ſui munera præſtitit Mundo, cùm in alto Cœlorum ſolio conſtitutus, paterna ſua gubernatione terrarum orbem perluſtrare non deſinens, ſed per univerſas ejuſdem partes Apoſtolos ſuos Sanctos, ac Evangelii ſui prædicatores mittens & gentes ad ſui nominis cogni-

tionem attraxit, & variis tum corporis, tum ſpiritûs infirmitatibus oppreſſos liberavit. Pertranſit hodie inter vos etiam idem met Dominus Jeſus Dei Filius, ac veſtram luſtrat Eccleſiam, cùm ejus Sacratiſſimum Corpus per eam circumfertur; ſed etiam verbi ſui prædicatione ſanctiſſima, cujus hodie vobis myſteria proponimus, per animas veſtras eſt tranſiturus. Quàm igitur æquum erit, ut ejus vos tranſeuntis virtutem ſentientes hodie e mendicitate veſtra ſurgatis, ac ad eum accurrentes, infirmitatibus veſtris medicinam poſtulantes conſequamini? Quod hodierni noſtri ſermonis thema futurum eſt, cùm ſacram Evangelii hiſtoriam pertractantes, Domini primò tam multa beneficia aſſiduè exhibentis largitatem; deinde noſtrì, qui infirmi ſumus, erga Medicum hunc cœleſtem partes ac munera proſequemur. Si adeo carum fuit hodie pauperculis hiſce, præſentiam Chriſti Domini præſenſiſſe, ut quoquo modo potuerint accurrentes, nullis turbarum comminationibus aut increpationibus retardati, ad eum acceſſerint; ſit, quæſo, vobis etiam hodie gratum, me de ejuſdem Domini præſentis liberalitate tractantem, ac vos qua ratione curationes conſequi poſſitis docentem, precibus veſtris atque ſilentio juvare.

Antequam ad hujus narrationem Evangelii accedamus, dilectiſſimi, non prætereunda ſe ſe offert dubitatio, num in hujus miraculi deſcriptione Spiritùs Sancti Præcones inter ſe diſcrepent: nam duos hic cæcos ſanatos Matthæus (*a*) refert; unum verò dumtaxat Bartimæum Marcus (*b*); unum itidem Lucas (*c*). Sed ſi in ſolo numero difficultas exiſteret, omne dubium facilè ſolveretur: nec enim iis legibus aſtrictos fuiſſe crederemus Marcum, & Lucam, ut de utroque ſcriberent Cæco; ſed de uno tantùm inſigniori, cujus èt nomen recenſuit, Marcum ſcripſiſſe, & de alio Lucam, de quibus conjunctim Matthæus enarravit. Verùm major adhuc dubitandi ſupereſt ratio ex miraculi tempore; nam ante ingreſſum in Jericho Lucas Cæcum ſanatum aſſerit, cùm nempe Dominus Jeſus appropinquaret Jericho; Matthæus verò & Marcus, poſt egreſſum. Ceterùm licèt magna utrobique appareat operationis ſimilitudo, & ſecus viam ſinguli pariter ſederent, & ex prætereuntis turbæ ſtrepitu Chriſti Domini tranſitum noviſſent; eàdem ſimul oratione clamarent; eædem illos turbæ

(*a*) *Cap. XX. v.* 30.
(*b*) *Cap. X. v.* 46.
(*c*) *Cap. XVIII. v.* 35.

bæ increparent, ut tacerent; idem ipſi a Domino visûs beneficium receperint, ac ſumma ſit Cæci illius, de quo Lucas ſcripſit, cum his convenientia: Nos certè magna temporis diverſitate ducti, ac Beatiſſimi Patris Auguſtini ſententiæ inhærentes, illum, de quo Lucas enarrat, ante ingreſſum in Jericho ſanatum fuiſſe; hos verò duos, poſt egreſſum, exiſtimaverimus: ita ut cum Matthæo idem miraculum Marcus enarret; ſed unius tantùm meminerit, utpote inſignioris, qui ex pingui fortuna in eam fortè prolapſus fuerat calamitatem, ut oculorum lumine privatus mendicare cogeretur; neque enim niſi inſignium aliqua in re virorum nomina in ſacris literis deſcribi obſervamus.

Cùm e regione igitur deſerti, quod eſt trans Jordanem, Jeroſolymam, humanæ redemptionis myſterium completurus, de quo èt cum Apoſtolis ſuis paulò ante in eodem itinere egerat, aſcenderet Dominus, *ab Jericho* Civitate *egredientibus illis*, *ſecuta eſt eum turba multa* (*a*). Sed, permittite me, filii, literæ vobis corticem aperire, ac præclara, quæ in ea latent, declarare myſteria. Quid enim eſt, quòd turbæ multæ Chriſtum ſequi perhibeantur, non verò Phariſæorum, & Principum ac Optimatum numeroſa multitudo? O quàm pauci Chriſtum ſequuntur, præſertim verò Jeroſolymam ad mortem aſcendentem! Et inter hos paucos, quàm pauciores ex iis, quos retibus ſuis Mundus involvit! Sunt namque Mundi ac Dæmonis retia, præſentium operationum divitiæ atque potentiæ. *Circuire vias Jeruſalem, & plateas ejus*, mandabat Dominus Prophetæ (*b*), ut *virum inveniret facientem judicium, & quærentem fidem*; ſed cùm hujuſmodi minimè repeperiret; *Ibo igitur*, inquit, *ad Optimates, & loquar eis; ipſi enim cognoverunt viam Domini, judicium Dei ſui; & ecce magis hi ſimul confregerunt jugum, ruperunt vincula* (*c*). Quid igitur iſtiuſmodi ſit eventurum, audite Dominum comminantem: *Idcirco percuſſit eos leo de ſylva; lupus ad veſperam vaſtavit eos; pardus vigilans ſuper Civitates eorum. Omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur; quia multiplicatæ ſunt prævaricationes eorum, confortatæ ſunt averſiones eorum* (*d*). Erat Dei Filius æterni Patris Sapientia; quid igitur mirum, ſi inter Nobiles non facilè reperiebatur? Ubi enim ſapientia inveniatur, a Sanctiſſimo Job quærite filii, & protinus certè reſpondebit: *Neſcit homo pretium ejus, nec invenitur in terra ſuaviter viventium* (*e*). Neque

(*a*) *Matth. XX. v. 29.*
(*b*) *Jerem. V. v. 1.*
(*c*) *Ibid. v. 5.*
(*d*) *Ibid. v. 6.*
(*e*) *Job XXVIII. v. 13.*

Neque verò illa tantùm tempora id tuliſſe credideritis; quin imo etiam multò nunc pejora videmus. Hortamur nos omnes, quoties Dei verbum proferimus, ut Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, ac Pœnitentiæ Sacramenta frequentent; ut nobiliſſimum eleemoſynæ genus exerceant, pueros ac rudes Fidei elementa docendo: Et quot ad noſtrì perſuaſionem Optimates, ac Civitatis præcipui divina hæc opera ampleƈtuntur? Certè ſi centum, quæ monemus, exequuntur, & fortè etiam ſi mille, unum aut alterum inter eos ex primoribus vix invenietis. Et cur hæc? niſi quia ignobile putant ſtultiſſimi Satanæ Nobiles Chriſto ſervire, ad Chriſtum accedere, Chriſtum ſequi; & qui in eo ſunt ſublimitatis gradu a Domino conſtituti, ut ſuo ceteris exemplo & auctoritate proſint, tantum abeſt, ut proſint, quin potiùs damno afficiunt, & quamplurimos ſecum in æternæ damnationis barathrum præcipites trahunt: nam cùm Sapientes a populo ipſi habeantur, conſiliis ſuis & exemplis ceteros perdunt; de quibus tu per Iſaiam Domine quereris: *Ipſe autem Sapiens adduxit malum, & verba ſua non abſtulit* (*a*). *Propterea*, quoque clamabas, *captivus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam, & Nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus ſiti exaruit: propterea dilatavit Infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, abſque ullo termino; & deſcendent fortes ejus, & populus ejus, & ſublimes glorioſique ejus ad eum* (*b*). Sed ſequantur ipſi Mundum; nobis in fine viæ, per quam incedunt, dicturi, qualem ab eo receperint mercedem. Nobis certè cum vili ac paupere turba Chriſtum ſequi meliùs expedit in via, apud quam ſanat infirmos, famelicos reficit, mira operatur.

Itaque de Jericho egrediens, oblatam benefaciendi occaſionem ſuſcipit Dominus, ut ne ejus quidem inceſſus eſſet otioſus, ſed ubique etiam in via beneficentiæ campum ei aperiret; ideoque ſuo exemplo doceret, ut in omnibus, & ſemper ſimus proficui, & numquam ignavi. Et certè quando ad hanc beneficentiæ in omnes exhibitionem, Chriſti Domini nos exempla non movent; moveant ſaltem inſita animis noſtris a parente natura quædam veluti ſemina pietatis. Quis enim ignorat, non ſibi ipſis ſolùm in hanc eſſe lucem editos homines; ſed ut ſuì etiam partem ceteris tribuant, ac quibuſcumque poſſint rationibus, aliis ſtudeant prodeſſe? Quid ergo jam dicam de iis, qui non modò non proſunt, ſed etiam obſunt? Hi certè non ſolùm ex acie Chri-

(*a*) *Iſai. XXXI. v.* 2. | (*b*) *Ibidem V. v.* 13. *& ſeq.*

Chriſti, ſed etiam ex hominum genere excludantur, feris ſimiles & tigribus, quæ humanum ſemper ſanguinem ſitiunt. Docemur etiam hac continua Chriſti beneficentia, filii, maximam pretioſiſſimi temporis habere rationem, ac ſtudere, ut ſingulis horis ac momentis aliquid boni peragamus. Quòd ſi ethnicus ille nullam diem ſine linea eſſe volebat; quantò magis nos Chriſtianos, qui ejus exactiſſimam a nobis reddendam eſſe rationem non ignoramus, æquum eſt niti, ut, æternum nobis in Cœlo habitaculum ædificaturi, aliquos quotidie bonorum operum lapides ei abſolvendo illuc tranſmittamus?

Sed ad miraculum accedamus. *Et ecce duo cæci*. Magnam profectò demonſtrativa illa dictio *ecce* vim habet: Dixerat namque paulò ante per viam Apoſtolis ſuis Dominus: *Ecce aſcendimus Jeroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum & Scribis, & condemnabunt eum morte; & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum (a)*. O quantam hæc, Chriſte Deus, Divinitati tuæ apud Mundi Sapientes adiment fidem! quot hinc ſcandalizabuntur in te! quàm multi videntes te Cruci affixum, inter latrones pendentem, purum hominem, & fortaſſe etiam improbum reputabunt! Quibus tu Divinitatem tuam, hæc patiens, teſtibus comprobabis? *Ecce*, ecce *duo* hi *Cæci* inter infinita alia Divinitatis tuæ argumenta, duo erunt Divinitatis tuæ teſtes de viſu, fide digni, omni exceptione majores, qui èt liberè in medium proſilire poterunt, ac te Deum eſſe aperta voce profitentes, ad Judæos converſi, eorum deteſtari iniquitatem. Nos enim ſcimus (dicent) quia cùm cæci eſſemus, cùm Solis lumen videre non poſſemus, ab hoc, quem vos uti nefarium hominem morti adjudicari petitis, miſericordiam petentes, ſolo ſanctiſſimorum ejus digitorum tactu viſum recepimus. Et quis hæc, niſi ſolus Deus, facere poteſt, cùm a privatione ad habitum (ùt ajunt) ſolis naturæ viribus non detur regreſſus?

Ac per duos hos Cæcos, humanum profectò genus intelligendum nos exiſtimaverimus, quod Protoparentum peccato cæcum evaſerat: Hinc èt qui tunc temporis ſapientiæ ſtudioſi habebantur, ignorabant tamen & a quo facti fuiſſent, & ad quem finem; cùm quidam ſe a parentibus tantùm, alii ab aſtris, alii ab aliis principiis originem trahere arbitrarentur. Quàm verò multos ſibi, eoſque diverſos proponerent fines, non eſt quod

 refe-

(a) *Matth. XX. v. 18. & ſeq.*

referam. O deploranda hominum calamitas, o execranda gravitas peccati, quod & ſupernaturalibus, ac gratuitis hominem donis expoliaverat, & in naturalibus etiam muneribus plurimùm debilitaverat! Hic *homo* ille eſt, de quo in Evangelii parabola (*a*) dicitur, quòd cùm *ab Jeruſalem deſcenderet in Jericho*, *incidit in latrones*, *qui etiam deſpoliaverunt eum*, *& plagis impoſitis abierunt*, *ſemivivo relicto*. Hic enim univerſum humanum genus intelligitur, quod in primis noſtris parentibus, e Paradiſo, in quo fruebatur ſublimi illa & tranquilla atque pacifica vita, excidit in vallem hanc lacrymarum, ubi omnia mutationibus & defectibus, ad inſtar Lunæ, ſunt plena: *Jeruſalem* enim Civitas in ſublimi ſita, interpretatur viſio pacis; *Jericho* verò Civitas in valle, Lunam ſignat; proinde illud nomen convenit ad ſignandum Paradiſum, iſtud autem ad ſignandum Mundum hunc inſtabilem, in quem homo ejectus eſt. Qui *cùm deſcendiſſet*, *incidit in latrones*, quia in crudelium Dæmonum venit poteſtatem, a quibus tutus erat quamdiu in Jeruſalem ſe ſe continuit; *qui illum* & exuerunt, ac *ſpoliaverunt* veſtibus innocentiæ atque virtutum; & jam exutum etiam *plagis* multis *affecerunt*, Voluntatem quidem ejus, debilitate ad bonum, & ad malum facilitate; Intellectum autem, veri ignorantiâ & cæcitate vulnerantes. Primum autem ille innuebat inquiens: *Video meliora proboque*, *deteriora ſequor*; de ſecundo verò Peripateticorum Princeps Ariſtoteles dicebat, intellectum humanum tabulæ raſæ aſſimilari debere, in qua nihil eſſet omnino depictum.

Hujus verò peccati gravitas vèl hinc etiam maximè patet, ac immenſa Dei benignitas, quòd Cæci hi *erant ſedentes*: Videte enim, quamdiu in peccato & ejus vulneribus, ignorantiâ ac cæcitate permanſerant homines! nempe per quinque aut ſex annorum millia; &, quia in eo quodammodo acquieſcentes ejus poſſeſſionem acceperant, ideo *ſedentes*. Grave peccatum, in quo tamdiu hominum perſtitit genus! Sed major Dei miſericordia, quæ *omnia in incredulitate concluſerat*, *ut omnium miſereretur* (*b*), ac ejus magis eluceſceret bonitas, quàm ſi in ipſo Adam ſtatim remedium huic graviſſimæ infirmitati cœleſtis Medicus attuliſſet (*c*).

Et *ſecus viam* cæci homines ſedebant: Creaverat enim illos Deus ad ſe magis, quàm ad creaturas converſos; illi verò peccantes

(*a*) *Lucæ X. v.* 30. | (*b*) *Ad Roman. XI. v.* 32. | (*c*) S. Leo ſerm. III. de Epiph.

cantes terga verterant Deo, & ad creaturas magis fuerant converſi: *duo* namque *fecerant mala: dereliquerant* Deum *fontem aquæ vivæ, & foderant ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas* (*a*); *Et mutaverant gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium* (*b*). *Secus* hanc *viam* ille ſe querebatur ſedere, qui flens dicebat: *Quoniam mihi malum adjacet; condelector enim legi Dei ſecundùm interiorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis* (*c*). Unde, cùm ſecus hanc viam ſedere ei moleſtum eſſet, clamabat: *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*d*)? O qualis hæc via eſt! o quàm devitanda! quàm periculoſa! Et certè via hæc prope Jericho erat; periculis enim plenus fuit locus inter Jeruſalem & Jericho, ùt S. Hieronymi teſtimonio patet, qui in Epiſtola ad Euſtochium Virginem dicit: Inter Jeruſalem & Jericho fuiſſe locum, qui dictus eſt Adomim, quod Hebræâ linguâ ſanguinem ſignabat; quia multus in eo ſanguis crebris latronum fundebatur incurſibus. Via hæc pulchra quidem primo intuitu miſeris videtur, ac floribus conſita ſpecioſis; ſed per eam incedentes, nil niſi flores decerpunt, & extrema ejus ad perditionem ducunt (*e*). Quid feſſo præ longo itinere prodeſſet, filii, ſi fame conſumptus, nil præter fragrantes roſas, & ſuaviſſimas violas, ac hujuſmodi flores reperiret? Hujus certè famem odoris ſuavitas non levaret; ſed ſi nil aliud haberet, fame periret. Heu me miſerum! quia Mundus totus eſt via; & via Jericho, quia inſtabilis eſt, quia ſemper movetur, quia *numquam in eodem ſtatu permanet* (*f*), quia ad Lunam, per quam mortem Hebræi intelligebant, ducit. Unde quamdiu vivimus, non vivimus, ſed morimur potiùs; nam & me dicentem verba prætereunt & tempus, quo ea profero, cui jam cùm ea protuli mortuus ſum; tranſit enim irrecuperabile tempus. Et licèt dixerim, quia in hac via ſemper ambulandum eſt nobis, in ea tamen ſedere nos volumus; cùm nil niſi flores ibi reperiantur, qui manè quidem conſpicui ſunt, veſperè verò nil eis turpius. Quid enim Mundi honores omnes, quid pompæ, quid opes, quid divitiæ, niſi flores? Non floribus, ſed ſo-

(*a*) *Jerem. II. v.* 13.
(*b*) *Ad Rom. I. v.* 23.
(*c*) *Ibid. VII. v.* 21. *& ſeqq.*
(*d*) *Ibid. v.* 24.
(*e*) *Prov. XIV. v.* 12.
(*f*) *Job XIV. v.* 2.

lidis cibis egemus, qui longo & aſpero itinere fatigamur. Tuos tibi flores Munde teneto, qui famem noſtram explere non valent; nos aliunde cibos quæremus.

Neque enim *ſecus* hanc *viam* ampliùs mendicare ſtatuimus. Satis nos peccatum mendicos effecit, cùm, ùt audiſtis nos omnibus virtutum bonis latrones Dæmones ſpoliaverint, ut poſſit cum veritate dicere unuſquiſque noſtrùm: *Ego autem mendicus ſum, & pauper* (*a*). Numquid non ab omnibus mendicare compellimur; atque a ſingulis creaturis, quibus dominari debueramus, ſtipem ſupplices petere? Quid eſt enim aliud, cùm eſurimus, comedere; cùm ſitimus, bibere; cùm frigemus, ad ignem accedere; cùm calore opprimimur, ſuavem auram captare; cùm feſſi ſumus, equum conſcendere, ac alia innumera, quæ naturæ noſtræ calamitatibus ſublevandis ſunt neceſſaria, quàm ab igne & ab aëre, ab aqua & a terra, ab equis, ab ovibus, & a ſingulis creaturis eleemoſynam poſtulare? quibus quia maximè indigemus, idcirco earum imploramus auxilium; quod ſi illæ, permittente Deo, nobis denegarent, vitam protrahere nequiremus. Sed o deplorandam eorum cæcitatem, qui communi hac paupertate & mendicitate maxima non contenti, turpiori adhuc atque crudeliori egeſtatis jugo cervices ſubmittunt! Quid hìc de Curialibus loquar, & aulicis hominibus? Quàm ſunt hi omnes infeliciſſimi omnium ſervi! quàm turpem ab omnibus ſtipem petunt! quanta, etiam quandoque cum propriæ dignitatis imminutione, mendicant! O quàm bene optimi illi rerum æſtimatores, de quibus Pontitianus in aureo Confeſſionum Sancti Auguſtini libello (*b*) narrat, mendicitatis hujus noverant indignitatem, qui cùm in quamdam pauperem domum incidiſſent, ibique Codicem reperiſſent, in quo Antonii Abbatis vita deſcribebatur, *eam unus legere incœpit*, *&* legens *mirari & accendi, & inter legendum meditari & arripere talem vitam, & relicta militia ſeculari ſervire Deo! Tunc ſubitò repletus amore ſancto, & ſobrio pudore, iratus ſibi conjecit oculos in amicum, & ait illi: Dic, quæſo te, omnibus iſtis laboribus quid quærimus? cujus rei cauſa militamus? quò ambimus pervenire? Major ne expectatio nobis, aut ſpes in Palatio eſſe poteſt, quàm ut amici Imperatoris ſimus?* Sed cùm id aſſecuti fuerimus, quanta in hoc pœna? quanta noſtræ conditioni invidentium

(*a*) *Pſalm. XXXIX. v.* 18.

(*b*) Lib. VIII. Cap. VI.

tium caterva? per quot pericula ad majus periculum aſcendimus? unde tanto eſt pernicioſior lapſus futurus, quanto ex altiori dignitatis gradu deciderimus. Et quando hoc, quod ita emendicamus, poſſideremus; quid Principum gratiâ fragilius? qui ſuis omnia commodis metiri ſolent; apud quos plerumque nulla habetur amicitiæ ratio; qui ùt in majoribus poſiti ſolicitudinibus, ſæpe plus æquo aliis credentes, aliorum etiam fortè falſis mihi impictis calumniis, me ex favoris & gratiæ culmine præcipitabunt in miſeriæ profundum; ac qui ceteris fueram venerandus, vulgi ac vilium mancipiorum fabula efficiar. *Amicus autem Dei, ſi voluero*, qui eſt Regum Rex, & Dominantium omnium Dominus, *ecce nunc fio*; ejus mihi gratiam concilio, quæ æternis me cumulabit honoribus: *Nimis* enim *honorificati ſunt amici tui, Deus; nimis confortatus eſt Principatus eorum* (*a*). Et quid ad hunc accedere differo? quid ultra pono brachium meum carnem? *Dixit hoc, & turbidus parturitione novæ vitæ reddidit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus, & exuebatur Mundo mens ejus, ùt mox apparuit. Namque dum legit, & volvit fluctus cordis ſui, infremuit aliquando, & diſcrevit, decrevitque meliora;* ſtatimque *ait amico ſuo: Ego abrupi me ab illa ſpe noſtra, & Deo ſervire ſtatui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te ſi piget imitari, noli adverſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocium tantæ mercedis, tantæque militiæ.* Quamobrem ambo ſtatim Cœlo cor affigentes, in ea domo remanſerunt, & ambo habebant ſponſas; quæ, poſteaquam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipſæ virginitatem Deo, & Mundum illico negligentes in ſacrum ſe Religionis portum receperunt. O ſi hæc miſeri horum temporum mendici perpenderent, quomodo unà cum cæcis Dominum tranſire audientibus, hodie clamarent!

Et quidem multipliciter tranſit Dominus; nam, ut humanæ cæcitati propoſitæ inſiſtamus, cùm (ſicut audiviſtis) ſecus viam ſedentes qui apud homines olim habebantur Sapientes ac Philoſophi, *cæci* eſſent, nec unde originem traxiſſent, vel ad quid creati fuiſſent, ſcientes, ſed Deum ignorantes, turbæ prætereuntis ſtrepitu in aliqualem ejus devenire potuerunt cognitionem: Sicut etiam hi Cæci, Chriſtum minimè videre cùm poſſent, turbæ tamen tranſeuntis multitudinem ac pedum rumorem audientes, Chriſtum tranſeuntem intelligebant; ſic miſeri illi, cùm Deum

(*a*) *Pſalm. CXXXVIII. v. 17.*

Deum gloriæ non noſſent, Mundi tamen magnitudinem atque ordinem, Cœlorum motus continuos, perpetuas ſublunarium generationes atque corruptiones rerum animadvertentes, earumque varietatem, pulchritudinem, atque viciſſitudinem admirati, ex admiratione hac philoſophari cœperunt, atque ex creaturarum conſideratione in aliqualem, ſed obſcuram atque imperfectam Dei cognitionem venire. Hinc de Deo aliqua ipſi ſcripſerunt; hinc èt eorum princeps, unum Mundi Principem eſſe dumtaxat concluſit: *Invisibilia enim Dei a creatura Mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur* (*a*), & *Cœli enarrant gloriam Dei*, & *opera manuum ejus annunciat firmamentum* (*b*). Hinc etiam *omnia Dei opera in fide* (*c*) eſſe perhibentur; non quòd lapides aut ſaxa, & alia hujuſmodi Dei opera fidem habeant, ſed quòd ad Fidem homines inducant (*d*). Sed animadvertite, filii, quòd Turba, a qua de Chriſti adventu Cæci intellexerunt, præteribat; fecit enim Deus creaturas, ut per eas noſceretur: Verùm, ne ipſæ ob earum pulchritudinem atque præſtantiam Dii putarentur, aliquam iis reliquit imperfectionem (*e*); nam & Solis, licèt pulcherrimi, ſplendidiſſimi ac nobiliſſimi aſtri, parva nubes oppoſita lumen offuſcat; & Luna mutationibus ſuis adeò eſt inſtabilis; & cetera omnia paucis, quibus nitent, excellentiis tam multas habent admixtas & adjunctas imperfectiones. Ideo creaturæ iſtæ omnes ſunt, turba præteriens, inſtabilis & imperfecta, in quibus non eſt noſtra ſpes collocanda: *Præterit enim figura hujus Mundi* (*f*); ſed in Deo tranſeunte, ad quem cum Cæcis clamare debemus: *Domine miſerere noſtri, fili David* (*g*). O feliciſſimos Cæcos! o quàm eorum tenebræ omni fuerunt lumine clariores! o acutiſſimum eorum cæcitatis obtutum! Quot homines ſani, & juxta Jeſum, qui via eſt, ambulantes, illum dumtaxat hominem putabant; & duo Cæci a longè ſedentes Deum perſpexerunt? O præclariſſimam confeſſionem, ex occulto Spiritus Sancti magiſterio provenientem, utriuſque in Chriſto naturæ; Humanitatis nempe, cùm eum *David filium*, Divinitatis verò, cùm *Dominum* appellant, ac *ut miſereatur* rogant! ſolus enim Deus verus eſt Dominus, & ſolus Deus miſerendo miſericordiam exercet; quod homi-

(*a*) *Ad Rom. I. v.* 20.
(*b*) *Pſalm. XVIII. v.* 2.
(*c*) *Pſalm. XXXII. v.* 4.
(*d*) Baſilius M. Hom. in Pſal. XXXII.
(*e*) Chryſoſtomus Homilia X. ad Populum Antiochenum.
(*f*) *I. ad Corinth. VII. v.* 31.
(*g*) *Matth. XX. v.* 30.

homines præſtare non poſſunt, quia multa, quæ volunt facere, nequeunt: Omnipotens verò Deus quidquid vult poteſt, & facit; ideo cùm miſeretur, miſericordiam præſtat. Et videte, quàm egregii hi fuerint oratores, Tullio ſanè atque Demoſthene ipſo longè eloquentiores! quàm hæc eorum licèt brevis oratio, fuerit efficax, quàm altæ doctrinæ atque ſapientiæ dogmata continens, quàm breve univerſæ Theologiæ compendium includens! quidquid enim illa docet, hæc duobus verbis eminentiſſimè complectitur, Chriſtum, Deum & Hominem confitens. Miſericordiam hi petunt; & numquid eſt ſine arte eorum oratio? Imo èt maximè Deum ipſum movet; nam primò oſtendunt magnitudinem, dignitatem, atque præſtantiam illius, ad quem orant, cùm *Dominum* vocant. Secundò, propriam explicant indigentiam ei, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Tertiò *Fili David* ſubdunt: Sed cur potius Filium David, quàm filium Abraham aut Iſaac vocant? Nempe ut ſibi reddant benevolum, & ad miſericordiam provocent; ejus illi Patrem ob oculos ponentes, qui clementiſſimus fuit, qui etiam erga inimicum Saul (*a*), & perſequentem ſe Abſalom, & maledicentem ſibi Semei (*b*), adeò fuit miſericors; ut ſe talis patris filium eſſe reminiſcens, nec ab ejus nobiliſſimis moribus atque manſuetudine degenerans, eis miſericordiam tribuat. O pulcherrima & validiſſima oratio, quæ Chriſto, ut miſereretur, perſuaſiſti! Hac vos, filii, ad Dominum Jeſum Chriſtum, qui per vos hodie tranſivit manibus noſtris geſtatus, qui ſedet ſuper Altare Sanctiſſimum, qui vos intuetur, qui ut accedatis expectat, clamare debetis: *Domine miſerere noſtri, fili David;* qui, cùm Dei unigenitus ſis, ut nos redimeres, David hominis filius dignatus es fieri. Quam etiam ob cauſam Eccleſiæ hujus noſtræ inſtituto, ad Deum orantes, toties hæc verba repetimus: *Domine miſerere, Domine miſerere, Domine miſerere.*

Neque verò prætereuntis vos Turbæ increpatio aut comminatio a clamando retardare debet; nam èt Turba Cæcos increpabat, ut tacerent; &, ùt alius Evangeliſta ſcribit (*c*), eis comminabatur. Videbant illi ſordidas veſtes (*d*), & non conſiderabant Fidei ſplendorem, ac conſcientiæ claritatem. Ideo vetabant

(*a*) *I. Reg. XXIV. & XXVI.*
(*b*) *II. Reg. XV. & XVI.*
(*c*) *Marci X. v.* 48.
(*d*) Chryſoſt. Homil. XXXVI. in Cap. XX. Matth.

bant eos & increpabant; non invidentes eis, nec malo animo ducti, ſed honorantes Chriſtum, ac verentes, ne ei moleſti eſſent, aut ab eo pecuniariam eleemoſynam peterent; indignum enim eis videbatur, ut tales homines ad illum accederent. Sed o quàm fatua eſt Mundi ſapientia! Et quò tendebat hæc apud cæcum genus humanum Turbæ increpatio? niſi quòd illæ ipſæ met creaturarum turbæ, per quas in Dei cognitionem devenimus, nos vitio noſtro, cùm eas inordinatè diligimus, aut de iis nimiùm ſoliciti ſumus, etiam ab eodem Chriſto frequentiſſimè retrahunt; hinc etiam per Sapientem dicitur: *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum* (*a*).

At Cæci illi prudentiſſimi, quos cæcitatis infirmitas, & neceſſitatis magnitudo plus impellebat, quàm turbarum increpatio aut minæ retardarent, magis clamabant dicentes: *Domine miſerere noſtri, fili David;* talis enim eſt veræ ac vivæ Fidei natura, ut quantò magis vexatur, eò magis accendatur. Et nos hinc duo potiſſimùm, filii, docemur; primò quidem, ob Turbarum increpationem non eſſe a clamore deſiſtendum, nec per creaturas nos a Deo retrahi debere: Secundò verò, licèt clamantes nos Dominus audire non videatur, eſſe tamen in clamore perſiſtendum; nec diffidendum, ſed firmiſſima fide, non hæſitando, multò magis atque validiùs clamandum: *Domine miſerere noſtri, fili David.*

Nam videte Chriſti Domini benignitatem, qui *ſtetit, & vocavit eos, & ait: Quid vultis, ut faciam vobis* (*b*)? O quanta hic pauperum, & humilium, & afflictorum conſolatio, quos mundanæ increpant Turbæ, quibus comminantur! Ad eorum clamorem ſtat Dominus; eorum precibus atque orationibus, quot Dei pertranſeuntis flagella conſiſtunt! Videte, quomodo ad Alexii ſanctiſſimi Civis Romani, cujus hodie ſolemnitatem Catholica recolit Eccleſia, ſub ſcala in paternis ædibus tamdiu latentis, omnibus incogniti, pauperis & abjecti preces, quæ nubes penetrabant, a punienda Urbe Roma ita deſtiterit Deus, ut Summo Pontifice, atque Romanis omnibus in eo infortunio, quo maximè Urbs affligebatur, Dei miſericordiam implorantibus, e Cœlo audita ſit vox: Si Alexius ſervus meus in Euphemiani domo abjectus latitans pro vobis oraverit, a pœnæ inflictione deſi-

(*a*) *Sap. XIV. v.* 11. | (*b*) *Matth. XX. v.* 32.

deſiſtam, nec amplius per vos tranſibo, ſed ſtabo (*a*). Ergo pauperum clamores Deum ſiſtunt: & quid jam mihi, ſi me Mundus omnis negligat, ſi me Nobiles ejus audire dedignentur, dummodo Dominus audiat? *Et quid vultis*, inquit, *ut faciam vobis?* Animo æquiore eſtote, filii; nolite diffidere: a voluntate veſtra pendet ſalus veſtra; quodcumque volueritis, fiet vobis. Velitis tamen neceſſe eſt, conſenſum præſtetis: nam quos fecit ſine vobis, non vult ſalvare vos ſine vobis. Sed Domine Jeſu, quid interrogas, quod ipſe oculis vides? Infirmitas clamat, & ut-quid vocem perquiris? Non quæro propter paſſionem, ſed propter fidem. Non cupio audire quid doleant, ſed volo cognoſcere quid de me ſentiant. Tu Domine occultorum es cognitor, & corda ſcrutaris ac renes; & neſcis quid de te ſentiant? Etiam ſcio; ſed volo, ut procedant populi ad Medicum, & cunctis audientibus dicant quod volunt; & dum Cæci me Dei Filium confitentur, confundantur videntes, qui me hominem tantùm putant. Dominum me vocant, & verum dicunt; ſed dum filium David dicunt, diſſipant quod bene confeſſi ſunt: nam etiam homines minus appoſitè *Domini* dicuntur; verè autem nemo Dominus eſt, niſi Deus. Si ergo dicunt, *Domine fili David*, ſecundùm hominis appellationem tantùm me honorant; ſi autem ſolummodo Dominum, ſecundùm Divinitatem me confitentur; quia *unus Deus Pater ex quo omnia, & unus Dominus Jeſus Chriſtus per quem omnia* (*b*); Filius enim David Cæcos illuminare non poteſt; Filius autem Dei poteſt. Ideo interrogat: *Quid vultis?*

Tunc illi jam non dixerunt, *Domine fili David;* ſed tantùm *Domine*, *ut aperiantur oculi noſtri* (*c*). *Miſertus eſt autem eorum Jeſus, & tetigit oculos eorum, & confeſtim viderunt* (*d*). Quamdiu ergo dixerunt *Domine fili David*, ſuſpenſa eſt ſanitas: mox autem ut dixerunt tantummodo *Domine*, infuſa eſt ſanitas ſuper eos, quam etiam voluit, ut peterent; quia licèt infirmitates noſtræ Deo ſint perſpectæ, petere tamen jubemur ad humiliationem noſtram, & meriti augmentum, & ut orare aſſueſcamus; qua re

præ-

(*a*) Refert hanc hiſtoriam ex Metaphraſte Surius Tom. IV.; eam tamen in nonnullis emendandam animadvertit in notis ad Martyrologium Romanum Baronius. Prolixum & accuratum commentarium de vita Sancti Alexii edidere in Actis Sanctorum, Bollandi ſectatores ad diem XVII. Julii; atque in eo vera a falſis ſecernere nituntur.

(*b*) *I. ad Corinth. VIII. v. 6.*

(*c*) *Matth. XX. v. 33.*

(*d*) *Ibid. v. 34.*

præcipuum Deo exhibemus honorem. Hæc autem oratio numquam in vanum effunditur, ſed ſemper ad nos redit cum fructu; dummodo non hæſitantes, ſed fide firma, ùt hi Cæci, & perſeverantes, non ſuperfluis cogitationibus diſtracti, nec Mundi reſpectibus a bonis operibus deficientes, petamus; & quidem non indifferenter omnia, ſed quæ divinum ſolùm reſpiciant honorem, & animabus noſtris ſint profutura; nempe cum Cæcis, *ut aperiantur oculi noſtri*.

Quorum *miſertus* Dominus *Jeſus*, *tetigit oculos eorum*, *& confeſtim viderunt;* nam virtus ex ſanctiſſima Chriſti Humanitate exibat, quæ conjunctæ ſibi Divinitatis erat inſtrumentum. Sed numquid ingratos Cæcos hos fuiſſe exiſtimatis? Minimè profectò; nam *ſecuti ſunt Chriſtum*. Bonum munus & magnum obtulerunt Chriſto poſt ſanitatem receptam. Quale? *Secuti ſunt eum* (*a*). Nam quid homo in vicem reddat Deo, dignum pro beneficiis ejus? niſi quod ipſe admonet per Prophetam: *Indicabo tibi*, *o homo*, *quid ſit bonum*, *& quid Dominus requirat a te; Utique* (inter alia) *& ſolicitum ambulare cum Deo tuo* (*b*). Quomodo debuiſſent hi ampliùs mendicare, Chriſtum videntes, ac eum ſequi volentes? O qui Chriſtum videret, filii, quàm a Mundo deinceps mendicare dedignaretur! Guſtaverat Chriſti dulcedinem, Spiritu Sancto donante, Ninardus, licèt puerulus, Bernardi Abbatis Sanctiſſimi frater, qui, fratribus Monaſterium ingredientibus ac ei dicentibus: Jam ditiſſimus eris frater, magnam omnium noſtrûm tu ſolus poſſidens hæreditatem; indignatus: Et quàm iniqua, inquit, eſt hæc, o fratres, commutatio, ut cæleſtia vos poſſideatis, ego terrena? vos æterna, ego tranſitoria? vos ſtabilia, ego fluxa atque caduca? vos veras divitias, ego falſas & fictas? Unde relicta ampliſſima hæreditate pauperibus, ad Dei ipſe quoque ſervitutem acceſſit. Et quid Deo gratius, filii, quàm ut ipſum ſequamur in Cælum, ubi vacuas illas ſedes impleamus? Videte, quàm gratioſè ad id vos invitet: *Qui vult venire poſt me*, *abneget ſemetipſum*, *& tollat Crucem ſuam*, *& ſequatur me* (*c*). Quemnam, rogo, ſequemur, ſi non Chriſtum? Numquid Dæmonem, numquid Mundum, numquid Carnem, numquid mortem, numquid peccatum? Et non potiùs Chriſtum Dei Filium omnipotentem, ſapientiſſimum, æterna donantem, infinito nos amore proſequentem, noſtrî ſocietatem expetentem, ac cujus deliciæ ſunt eſſe inter filios hominum?

O

(*a*) *Matth. XX. v.* 34. | (*b*) *Mich. VI. v.* 8. | (*c*) *Matth. XVI. v.* 24.

O feliciſſimos Cæcos, quorum tenebræ plurimorum lumini prævaluerunt; quorum cæcitas ulteriùs intellectûs aciem produxit, quàm multorum Solis radios videntium! O beatos prudentiæ magiſtros! Utinam contingat nobis hodie, eorum regulas imbibere, ac imitari ſapientiam! Quis veſtrî prudentiam maximam non admiraretur; cùm ambulare non volentes, ſedere elegeritis, ne in lapides aut ſaxa impingentes, offenderemini; cùm ſecus viam moraremini, non autem intra, ne fortè beſtiis ſupervenientibus opprimeremini; cùm oculorum viſu privati, auditu ac lingua vobis conſulueritis; cùm paupertatem veſtram ac mendicitatem eleemoſynis levare ſtudueritis; cùm a Domino quid velletis rogati, non aurum aut argentum, quæ ab aliis conſequi poteratis, ſed viſum, quem nemo niſi ipſe vobis dare valebat, petieritis; cùm denique ſanati, ſanitatis reſtitutorem ſecuti fueritis? O præclara elementa prudentiæ! Sed me miſerum! Quàm multi in hac Civitate a vobis hodie ſunt diſſimiles, cùm non ſedere, ſed ambulare volunt, ac cæci & ignari aliorum negotia tractantes, ſe & alios in foveam præcipites dant; cum non ſecus viam, ſed in via ſedere audent, ac honores ambiunt, & aliis dominari quoquo modo cupiunt & quærunt, mille ſe Dæmonum inſultibus exponentes; cùm quid agendum ſit neſcientes neque videntes, audire tamen nolunt docentes, nec a ſcientibus petere; cùm mendici & virtutibus omnibus pauperrimi, mendicare tamen a te, o ditiſſime Deus, ac gratiam tuam petere negligunt; aut ſi petunt, non viſum, ſed corporis tantùm commoda, aut fluxas & fragiles opes petunt; & multis tamdem a te affecti muneribus, non te, ſed Mundum & deſideria ſua ſequuntur! Conſiderate, filii, Cæcorum prudentiam, & veſtram lugete dementiam. Illi a longè clamantes, quod petierunt, obtinuerunt. Vos Chriſtum habetis propinquum; inter vos eſt; a vobis tangi & manducari poteſt; inter vos paulò ante prodivit in medium, ſupplices libellos veſtros recepturus; ac quæ ritè petieritis conceſſurus, ùt videtis, ſtat. Stat in Cruce, caritate magis, quàm clavis confixus manus, & pedes, ne diſcedere poſſit. Stat in Altari ſub candidis panis ſpeciebus. Currite, filii, currite, *petite & accipietis* (*a*); eum ſequimini; ab eo numquam recedite, ut cum eo in æternum eſſe poſſitis, apud quem *eſt fons vitæ* (*b*), & omnium plenitudo bonorum. Amen.

(*a*) *Joannis XVI. v.* 24. | (*b*) *Pſalm. XXXV. v.* 10.

HOMILIA LII.

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XX.

De duobus Cæcis

Habita Dominica VII. poſt Pentecoſtem.

ANNO MDLXXXIII. XVII. JULII.

ASCENDENS ex Jericho Dominus, dilectiſſimi filii, Jeroſolymam versùs, quò Apoſtolos in itinere, ad Redemptionis humanæ Myſterium complendum, docebat ſe accedere; in illius Civitatis egreſſu, plurimis eum turbis comitantibus, pauperes quoſdam ac mendicos duos Cæcos obvios habuit, qui infirmitatis ſuæ gravitatem & paupertatem ſimul flentes, ſecus viam ſedebant, ut piorum eleemoſynis ſibi victum compararent. Sed cùm turbam frequentiorem ſolito, ac majori quàm conſueverat rumore tranſeuntem audirent, curiosè, ùt arbitror, interrogantes, quidnam id eſſet, reſciverunt, quia inde tranſiret Jeſus ille a Nazareth, Mariæ filius, Vir adeo celebris, & qui tam multa paſſim mirabilia operabatur. Audito hoc lætiſſimo nuncio, illi ſpe adipiſcendæ ſanitatis repleti, ac occulto Spiritûs Sancti magiſterio edocti, quòd hic eſſet Meſſias ille, de quo ante plures annos Prophetæ prædixerant, audituros eſſe ejus tempore *ſurdos verba libri, & de tenebris, & caligine oculos cæcorum* viſuros (*a*); & de quo Iſaias monuerat: *Ecce Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos: Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt* (*b*): cùm cœleſtem hunc Medicum ipſi videre non poſſent, nec proinde ad illum accedere, ut ejus in ſe ipſis experirentur virtutem, quod oculis & pedibus præſtare nequibant, hoc auribus edocti linguâ conſequi ſatagebant; ideoque flentes & læti, dolore ob infir-

(*a*) *Iſaiæ XXIX. v.* 18.

(*b*) *Ibid. XXXV. v.* 4. & 5.

infirmitatem, & ſpe repleti ob Medici potentiſſimi acceſſum, clamare cœperunt: *Domine miſerere noſtri, fili David* (*a*). Verùm turbis eos ut tacerent increpantibus, imo comminantibus etiam, ne Chriſto moleſti eſſent; ſpei ſuæ majorem, quàm increpationis illius rationem habentes, multò magis vocem extollentes clamare proſequebantur, atque miſericordiam poſtulare: quorum tamdem precibus benigniſſimus Dominus commotus cùm ſtetiſſet, eos ad ſe vocavit. Cùm autem nil gratius potuiſſet iis contingere, relictis ſtatim veſtimentis ac eleemoſynarum quæritationibus, illico exilientes, lætiſſimi accurrerunt ad Dominum, a quo interrogati quid vellent, ipſi visûs beneficium ſibi exhiberi poſtularunt, dicentes: *Domine, ut aperiantur oculi noſtri* (*b*). Neque eorum illos ſpes fefellit; ſed in Dei, qui in ſe ſperantes numquam confundit, benignitate confiſi, ejus experti ſunt liberalitatem; nam ſtatim ac ipſos tetigit, ſanati fuere: in cujus beneficii gratitudinem illum perpetuò ſecuti ſunt, ejus ſe mancipantes obſequio, a quo tam magnum receperant munus. Chriſti *opera*, Auditores, ùt Sanctus ſcribit Gregorius (*c*), *& per potentiam aliud oſtendunt, & per myſterium aliud;* nam quæcumque ille faciebat, ad noſtrî instructionem utilitatemque faciebat. Primum quidem, nempe præſentis hiſtoriæ, prout facta eſt, ſeriem, ad literæ ſenſum aliàs declaravimus: ſed altiùs hodie meditationis pedem figentes, quid in ea lateat myſterii, quidve tropologico ſenſu intelligatur, nobis eſt inquirendum. Requirit ſanè ab Auditoribus, quotieſcumque Sacri Evangelii lectiones in Miſſæ ſacrificio leguntur, magnam attentionem Sancta Mater Eccleſia: quod præcipuè Ritus hi ſanctiſſimi, quos ex Beatiſſimi Patris noſtri Ambroſii inſtituto retinemus, indicant; cùm ſinguli primùm fabulis parcere jubentur, tum duplicata monitione habere ſilentium (*d*); nempe ut non modò linguis extrinſecus ſileant, ſed multò magis etiam intrinſecus cordibus; ac nullus in eorum animis eo tempore ſuperfluarum ac alienarum cogitationum perſtre-

pat

(*a*) *Matth. XX. v.* 30.

(*b*) *Ibid. v.* 33.

(*c*) Homil. II. in Evang. Cap. XVIII. Lucæ, num. 1.

(*d*) Inter Ambroſianæ Eccleſiæ antiquiſſimos Ritus ille eſt, qui in præſentiarùm etiam ſervatur, ut nempe, cùm Miſſæ Pontificales celebrantur, ante Evangelii lectionem, alter ex Canonicis Ordinariis Diaconis alta voce in cornu Epiſtolæ clamet: *Parcite fabulis;* ſubinde e ſuggeſtu unus ex Oſtiariis elata pariter voce canat: *Silentium habete*, alterque in plano ante Aram maximam reſpondeat: *Habete ſilentium;* tum verò inchoatur lectio Evangelii. In triduanis quoque Rogationibus, in Eccleſia illa, in qua Statio ſolemnis celebratur, ritus idem adhibetur, antequam Evangelium e ſuggeſtu decantetur.

pat rumor, ſed ſileant omnia; in Deum corda rapiantur; ac quod legitur audiant, & meditentur. Hodiernus autem noſter ſermo hoc potiſſimùm a vobis requirit, cùm literæ corticem ſupergredientes, profundiſſima ſimus penetraturi myſteria, ac de cæcitatis miſeriis & cauſis ſimus verba facturi. Neceſſaria vobis, &, quia neceſſaria, jucunda etiam futura materia eſt; idcirco quæ dicere aggredimur, auribus attentis & mentibus excipite.

Joſeph Patriarcha Sanctiſſimus, quem præ ceteris filiis Jacob pater ejus diligebat, cùm ejuſdem fratres in paſcendis gregibus Patris morarentur in Sichem, dixit ad eum pater ejus: *Fratres tui paſcunt oves in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo reſpondente: præſto ſum, ait ei: Vade & vide ſi cuncta proſpera ſint erga fratres tuos, & pecora; & renuncia mihi quid agatur. Miſſus de valle Hebron venit in Sichem; invenitque eum vir errantem in agro, & interrogavit quid quæreret. At ille reſpondit: fratres meos quæro; indica mihi ubi paſcant greges* (a). O pulcherrimum, ac myſteriis plenum Chriſti Domini typum! Diligebat præ ceteris omnibus magnus Jacob, Pater æternus, Filium ſuum Dominum Jeſum; ſed èt ceteros filios ſuos, hoc eſt nos, amabat, qui greges noſtros, nempe concupiſcentias, in hac valle miſeriarum paſcebamus. Illum ergo ad nos quærendos mittere ſtatuit: cujus videte promptitudinem, ac in ſuſcipiendæ Redemptionis noſtræ laborioſo miniſterio hilaritatem, dicentis: *Præſto ſum*: En me, æterne Pater, ut fratres inveniam, ire paratum & mori. Venit hic in Mundum, ac *per* hunc *agrum* vagari cœpit atque *errare*, Civitates percurrens, Caſtella pertranſiens, luſtrans regiones, in deſerta ſecedens, ambulans & laborans, ſudans & defatigatus, diu noctuque animas noſtras quærens, nullis parcens incommodis. Sed cur dulciſſime Joſeph in agro vagaris? *Quid quæris?* Quare hodie potiſſimùm circa Jericho diſcurris? Quid quæro! Et cur Sol per orbem quotidie vagatur, niſi ut Mundum illuminet? Quid Joſeph niſi fratres quærebat? Annon ego ſum Mundi lux? Nonne ego *vera* ſum *lux*, *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum* (b)? Nonne cùm homo ſim factus, & carnem aſſumpſerim, ceterorum hominum frater ipſe ſum? Quæro igitur, quæro miſeras oves in ſolitudine errantes; *quæro fratres meos*. Et quid tibi de fratribus his tuis rebellibus, tibi mortem meditantibus, ac te odio habentibus? Eos potiùs in diſperſionem abire permit-

(*b*) *Geneſ. XXXVII. v.* 13. *& ſeqq.* | (*b*) *Joann. I. v.* 9.

permitte. Non id infinita meî patitur caritas, cùm plus ego amare poſſim, quàm illi odiſſe; plus ego benefacere, quàm illi male retribuere: Et ego juſtitiæ Sol hos quæro, ut illuminem; ut duorum hodie ex ipſis Cæcorum oculos pariter corporis aperiam, & ſpiritus. O infinitam Salvatoris noſtri bonitatem, atque in nobis juvandis, & quærendis præſertim animabus noſtris diligentiam! Quàm apertè nos omnes animarum Paſtores docet, non hìc nobis eſſe dormiendum, ſed diu noctuque, per frigus & pluvias, cœli ardorem ac æſtum, in periculis ac ſolitudinibus eſſe diſcurrendum, vagandum atque errandum, ut fratres, & filios noſtros, qui noſtræ ſunt fidei commiſſi, quæramus! Ad hoc etiam ab Apoſtolo Paulo electionis vaſe monemur, dicente: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple* (*a*). Neque verò quod monuit, priùs ipſe non adimplevit, ac opere perfecit: Ipſum de ſe loquentem audite: *Miniſtri Chriſti ſunt* (*ùt minus ſapiens dico*) *plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs &c.* (*b*); quid enim ſibi aliud, quæ paulò poſt ait, volunt: *inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non uror* (*c*)? Quod ſi apertiùs vos videre delectat, evolvite Acta Apoſtolorum: illic plurimas ejus peregrinationes, varia ſuſcepta itinera invenietis, ut Magiſtri ſui inhærendo veſtigiis fratres ſuos quæreret, pro quibus etiam, ſi opus fuiſſet, anathema fieri optabat (*d*). Nos in hujus ſolicitudinis partem a Domino vocati, ſi non, quantum deberemus, diſcurrimus ac laboramus, ut fratres inveniamus; id certè valde dolemus, & quatenus poterimus, exequi deſideramus, verbi divini prædicatione potiſſimùm, quod & lucerna erit pedibus noſtris, & lumen ſemitis noſtris (*e*), & in tenebris etiam conſiſtentes illuminabit.

Quærebat ergo hodie Dominus Cæcos, ut eis benefaceret. Quæramus èt nos, qui inter vos ſunt, cæcos, ut Domino illuminandos offeramus. Sunt igitur, filii, planè cæci peccatores, qui id non modò cum ceteris omnibus habent commune, quòd Protoparentum peccato, divinis ac ſupernaturalibus ſpoliati muneribus, in naturalibus quoque admodum debilitati fuerunt, ac eorum ſauciata voluntas, ut bonum quod velit difficilè amplectatur,

(*a*) *II. ad Timoth. IV. v.* 5.
(*b*) *II. ad Cor. XI. v.* 13.
(*c*) *Ibidem v.* 28. *& ſeq.*
(*d*) *Ad Rom. IX. v.* 3.
(*e*) *Pſalm. CXVIII. v.* 105.

ctatur, & obſcurata mentis ac intellectûs acies ad divina perſcrutanda, ad quæ animus noſter ſe habet, prout oculus veſpertilionis ad lumen Solis (*a*); ſed èt modicum hoc, quod in iis naturale lumen remanſerat, peccatis quibuſdam ferè extinguitur penitus. Quales ergo horum tenebræ ſunt, ſi quod in ipſis lumen erat tenebræ ſunt (*b*)? Hinc Sapiens congruè ſcripſit: *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt* (*c*); ſed illud quoque eſt addendum, aliis eas peccatis augeri admodum, atque effici craſſiores. Quot ſunt, dilectiſſimi filii, qui licèt temporalia ſæpe acutè videant & aliena, ſpiritualia tamen, & quæ ad ſuî cognitionem atque animæ ſalutem ſpectant, nihil prorſus perſpiciunt; ideo in multa lethalia crimina præcipites corruunt, & in mille ſaxa atque offendicula impingunt: quos tamen Mundus non modò oculis captos non eſſe, ſed etiam prudentiſſimos prædicat; illos enim, inquit, quos videmus in rebus gerendis, in novis deliciis excogitandis, in novis lucris perquirendis, in novis honoribus ambiendis oculos pluſquam lynceos habere, quomodo cæcos eſſe dixerimus? Sed neſciunt infelices, quia miſeri ſunt, & miſerabiles, & pauperes, & cæci, & nudi (*d*): Habent planè oculos, ſed, ùt Propheta ait, *ſapientes ſunt ut faciant mala; bene autem facere neſcierunt* (*e*); ad illud oculatiſſimi, ad hoc oculis capti ſunt: & meritò Vates ille id admirabatur, dicens: *Qui vides multa, nonne cuſtodies? qui apertas habes aures, nonne audies* (*f*)? Et profectò hoc cogitatu mirum eſt, quòd ad corporis commoda invenienda, ac perquirendas voluptates adeò ſint homines oculati, & eorum ſenſus ad malum proni; ad animæ verò dignitatem procurandam atque ſalutem, adeò allucinentur, & hebetes ſint. Miſeranda ſanè Adæ hæreditas in nos tranſmiſſa! cui ſerpens pollicitus fuerat, quòd aperiendi eſſent ejus & Evæ oculi, ad videndum bonum & malum; ad quod tamen occluſi, ubi primùm peccarunt, ad propriam dumtaxat infirmitatem agnoſcendam aperti fuerunt: *Et aperti ſunt oculi amborum; cùmque cognoviſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata* (*g*). Quam humanæ mentis perverſitatem aptiſſima ſimilitudine Naas Ammonitarum Rex adumbravit, qui habitatoribus Jabes Galaad a ſe in maximum vitæ diſcrimen adductis, & pacem ſuppliciter poſtu-

(*a*) Ariſtoteles primo Metaphyſicorum.
(*b*) *Lucæ XI. v.* 35.
(*c*) *Eccleſiaſtici XI. v.* 16.
(*d*) *Apocal. III. v.* 17.
(*e*) *Jerem. IV. v.* 22.
(*f*) *Iſaiæ XLII. v.* 20.
(*g*) *Geneſ. III. v.* 7.

poſtulantibus reſpondit: *In hoc feriam vobiſcum fœdus, ut eruam omnium veſtrûm oculos dextros, ponamque vos opprobrium in univerſo Iſraël* (*a*).

Hoc ergo fœdus humani generis Hoſtis cum ſectatoribus ſibi ſubditis ferit: cùm nempe dextros omnium oculos lumine privet. Habent omnes ſiquidem binos oculos, quorum dextro ſpiritualia, æterna atque divina; ſiniſtro verò humana, tranſitoria atque carnalia videant. Relinquit Dæmon ſiniſtrum, dextero ſolo contentus; & quemadmodum qui balliſtam in ſcopum aliquem dirigunt, ac ſagittam, alterum ſolent oculum claudere, quò viſiva omnis virtus in aperto oculo colligatur, ac ipſi rectiùs quò tendunt videant (virtus namque unita fortior); ſic in hujuſmodi Mundi ſectatoribus quid mirum eſt, ſi quæ ad Mundum ſpectant & corpus, adeò ſubtiliter vident, unicum tantùm habentes oculum, quem totum eò dirigunt?

Ideo cæci profectò ſunt peccatores, quos *excæcavit malitia eorum, & neſcierunt Sacramenta Dei; neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ, nec judicaverunt honorem animarum ſanctarum* (*b*): ſimiles profectò canibus, quibus ad venandum utimur, qui cùm varios in nemore ferarum odores præſentiant, modò huc modò illuc præcipiti curſu feruntur; nec certò ſciunt quò tendere debeant: ſic planè miſerrimis his hominibus contingit, quos hinc manifeſta virtutis dignitas, continua divini verbi prædicatio, internæ Dei inſpirationes, propoſita Inferni tormenta, vermis conſcientiæ rodens ad bonum adigunt; inde verò proprius ſuî amor, ſuperbiæ fumus, honorum ambitus, auri cupiditas, veluti quædam nebulæ, excæcant, ac ad malum, quod èt ipſi norunt, inclinant. Proh dolor! Quàm multi inter hos filios meos, Domine, ſunt hac cæcitate vexati; quàm multorum impiiſſimus Ammonitarum Rex Dæmon (verè Ammonitarum, quia cùm populus tuus eſſent, a te creati & redempti, a te ad pœnitentiam expectati; ſponte tamen & ultro ejus populus eſſe voluerunt) quàm multorum, inquam, in hac ampliſſima Civitate, quæ mihi oculorum lumine carior eſt, dexteros oculos cruentus effodit, ac verè cæci ſecus amplam peccati viam ſedentes, te jam amplius videre non poſſunt; ſed creaturas tantùm ac terram, animalium inſipientium more, conſpiciunt: Quinimo Majeſtatis tuæ atque Deitatis immemores, ac propriæ obliti naturæ, quæ eos ad Cœlum con-

(*a*) *I. Reg. XI. v. 2.* | (*b*) *Sap. II. v. 21. & ſeq.*

converſos fecerat, *ſtatuerunt* ipſi *oculos ſuos declinare in terram* (*a*); unde ſimiles iis ſint, de quibus Propheta dicebat: *Oculos habent, & non videbunt* (*b*); & de quibus utinam ego cum Moyſe ad te clamare non compellar: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent & intelligerent, ac noviſſima providerent* (*c*)! Quòd ſi hodie ſe cæcos ſaltem cognoſcant, ac cæcitatis hujuſce mecum cauſas perquirant, tunc me non parum meo hoc ſermone crediderim aſſecutum.

Idcirco, in quo homines potiſſimùm ſint cæci, videamus; ut deinde ad cæcitatis cauſas accedamus. Ac profectò ſicuti plures, quas Ægyptius populus pertulit, plagæ varias peccatorum ſignificant calamitates; ſic tenebræ illæ palpabiles, nemini dubium eſt, quin horum præmonſtrarent intellectûs cæcitatem. Quoniam autem magnum eſſet opus, omnes improborum cæcitates perſequi, ex iis tres tantùm indicemus.

Ac primùm quidem, quis ignoret, ex corpore & anima hominem eſſe compoſitum? Inter quæ quidem corpus, abſque anima, fœtidum fit ac turpe cadaver; quidquid verò, dum ab anima regitur, pulchri habet ſive venuſti, id totum ab anima habere novimus: Anima verò adeò nobilis eſt, ut Deum ipſum aliquatenus referat, ad cujus eſt imaginem atque ſimilitudinem creata, ac Chriſti pretioſiſſimo ſanguine redempta. Quis verò jam neſciat, earum rerum longè majorem habendam eſſe rationem, quæ digniores ſunt atque pretioſiores? Sed miſeri cæci peccatores, hæc non videntes, viâ incedunt prorſus adversâ: Sunt de corpore plus æquo ſoliciti, erga animam verò ita ſunt affecti, ac ſi ad ipſos nil pertineret; corpori omnes parant delicias, cibos diverſiſſimos diſquirunt, omnia excogitant commoda; ſi infirmatur ſtatim undequaque peritiſſimos advocant Medicos; ei veſtes pretioſiſſimas conſuunt, ampliſſima extruunt palatia: anima autem fame conſumitur, jacet infirma, nuda remanet. Et nonne magna hæc vobis, filii, cæcitas videtur, eaque infeliciſſima, quæ tam longè lateque graſſatur, ac tam multorum obtenebrat oculos?

Sed ſecunda adhuc major cæcitas extat; ex præſentis cum futura vita comparatione: nam ſi ſermonis efficaciâ, animæ ſupra corpus præſtantiam nemo exprimere valet; certè quantum æterna

(*a*) *Pſalm. XVI. v.* 11.
(*b*) *Pſalm. CXIII. v.* 5.
(*c*) *Deuter. XXXII. v.* 28. *& ſeq.*

æterna illa vita huic fluxæ atque caducæ præcellat, nemo poteſt meditatione complecti: Illa enim perpetua eſt, bonis omnibus conferta, malorum omnium expers, ſemper vivens; hæc verò momentanea, bonis omnibus nuda, malis omnibus repleta, ac ſemper tendens ad mortem. De illa dicitur: *Oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te* (*a*); de præſenti verò Apoſtolus Jacobus ait: *Quæ eſt enim vita veſtra? vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur* (*b*): tot denique malis præſens hæc vita repletur, ut ejus innumeris incommodis plurimorum & Chriſtianorum & Gentilium etiam pleni ſint libri; æternæ verò vitæ bona ſolus Deus novit. Nihilominus adeò cæci ſunt homines, ut his tantùm bonis congerendis incumbant; de futura autem vita numquam cogitent, ac ſi cum corporibus animæ quoque eſſent interituræ.

Maxima adhuc tertia ſupereſt cæcitas, duabus aliis eò deterior, quò creaturis ſuis omnibus ſuperior eſt Deus. Ac profectò, ſi dati & accepti rationem ineamus, cui, quæſo, quidquid ſumus habemus & poſſumus, acceptum referre debemus, niſi Deo? Quis nos creavit, quis nobiliſſimos fecit, quis ad Dei ſimilitudinem effinxit? Deus. Quis ceteris omnibus creaturis nos præfecit, quis omnia ad noſtrì uſum inſtituit, quis Angelos nobis adminiſtratorios Spiritus eſſe voluit? Deus. Quis nos in Catholicis regionibus natos Sancto Baptiſmi lavacro regeneravit? Quis nobis ſanandis, confirmandis, promovendis, roborandis tot Sacramenta inſtituit? Quis terram fruges producere facit, ac ſegetes? Quis nos a tot periculis liberat? Quis tam amplas Cœli regiones nobis poſſidendas paravit? Deus. Et cui honorem debemus, cui reverentiam, cui amorem omnem, niſi Deo? Et tamen cæci, miſeri ac miſerabiles plerique omnia Deo præponunt, obolum, ſcorta, ventrem ſuum, Mundum, Dæmonem denique viliſſimum Deo præferunt. Annon pluris hi faciunt fluxa hæc Mundi bona (ſi bona vocari merentur) quàm Deum; quando, ut ea conſequantur, ſive jure ſive injuria, Dei violant leges, ejus tranſgrediuntur præcepta, illius negligunt mandata? Qualia tamen ſunt hæc, quæ iſti tantì faciunt? quàm vilia, quàm fallacia, quàm parva! ut iis omnibus ſervum ſuum dilectiſſimum Job Deus Optimus Maximus, Satanæ creaturarum omnium infimo annuens, privarit; quæ ſi ullius fuiſſent momenti, annon

(*a*) *Iſai. LXIV. v.* 4.

(*b*) *Jacobi IV. v.* 5.

Job ſanctitas, atque ea dilectio, qua illum Deus proſequebatur, requirebat, ut ei potiùs relinquerentur, quàm univerſis, viliſſimi, inimiciſſimi ac turpiſſimi cacodæmonis causâ ſpoliaretur; O cæcitates, o tenebræ, Ægyptiis palpabiliores, quæ adeò erant denſæ, ut tangi poſſent, ita ut in illa nocte profunda, quæ triduo eam regionem oppreſſit, nemo nec proximum ſibi hominem viderit, nec loco motus ſit! O cæci, o cæci; oculos ad modicum ſaltem aperite, & quàm ſitis cæci animadvertite!

Verùm quæ ſint harum tenebrarum origines perpendamus; ut, remotâ causâ, faciliùs ejus etiam tollatur effectus; nec cauſæ ignoratione ſe quiſquam excuſare valeat, quòd morbum a ſe minimè depellat. Et certè unâ ex duabus cauſis hominum mentes cæcas eſſe dixerimus; aut quia intellectus falſis doctrinis corruptus caligat circa dogmata ſinceræ Fidei; aut quia cognationem magnam habet cum voluntate, quæ vehementibus affectibus atque cupiditatibus ad malum ſæpe, bono relicto, pertrahitur; unde èt eodem morbo etiam intellectus vexatur, ita ut ea non videat, quæ videre non velit: impio Regi Achab ſimiles homines reddens (*a*), qui eos ſolùm Prophetas vera nunciare credebat, qui ſibi placita prædicebant; Michææ autem, vera ſed ingrata nuncianti nedum fidem non adhibebat, quin etiam eum in carcerem detrudi mandavit, ac pane tribulationis & aqua anguſtiæ ſuſtentari. Quæ quidem cæcitas quoniam latiùs patet (nec jam apud Hæreticos loquor, quorum magis propria altera eſt) idcirco hujus quæ communior eſt cauſas indagemus.

Profectò cæcitatis hujus latiſſimam & generalem cauſam eſſe humanos affectus, atque inordinatos animi motus, vix dubitare quiſpiam poteſt, de quibus rectè per Jeremiam dicitur: *Sordes ejus in pedibus ejus, nec recordata eſt finis ſui* (*b*); *pedes* enim animæ, ſunt affectus ejus & deſideria, quæ non minus illam, quàm pedes corpus, quòcumque voluerit deferunt: quia ergo deſideria hæc terrenorum bonorum luto fœdata & implicata ſunt, illiſque glutino amoris copulata; hinc fit, ut his tamquam vinculis quibuſdam alligata anima, vix ſeſe in Cœlum attollere valeat, & *finis ſui*, ad quem eſt a Deo condita, *raró recordetur*. Et rectè non modò vinculis hujuſmodi, ſed fumo etiam atro, atque denſiſſimæ nebulæ, cupiditatem omnem Sapientes viri comparant; ſicut enim aër, hujuſmodi nebulâ oppletus, ipſum etiam meri-

(*a*) *III. Reg. XXII.*

(*b*) *Thren. I. v. 9.*

meridiani Solis aſpectum ita adimit, ut nec, qua iſte Cœli parte vagetur, caligine impediente videamus; ita mentis noſtræ acies vehementioris cupiditatis nebulà obſcurata, in rerum expetendarum judicio ſummopere caligat. Sic Adam non errore deceptus, ſed inordinato uxoris affectu, Evæ vocem Dei prætulit præcepto.

Sed peſſimæ hujus cæcitatis cauſa plerumque etiam eſt, divinorum beneficiorum abuſus, & frequens lapſus in eadem ſcelera; his namque veluti gradibus ad cæcitatem cordis, & animi obſtinationem, quæ maxima eſt reputanda miſeria, pervenitur. Hinc tanta in bono ſegnities, & ad malum promptitudo; hinc tam multi, vix a Confeſſorum aſpectu recedunt, ac Eccleſiæ limites prætergrediuntur, ad vetera illico ſtudia revertuntur, & quæ evomuerant, peccata reſumunt; eò quòd peccata frequentando, Deum ſibi infenſiorem, hoſtem Dæmonem ad impugnandum validiorem, & ſeſe ad reſiſtendum reddiderint debiliores, ac in cæcitate confirmaverint. Unde, filii animadvertite, obſecro, quanto periculo pœnitentia differatur, & quanto damno in peccatis perſeveretur, quæ veluti malignæ febres, niſi lacrymis & Pœnitentiæ Sacramento pellantur ex animis, phthiſicos homines reddunt; & cùm poſtea ſanari cupiunt, difficilè poſſunt: quò enim plura peccata homo committit, eò magis nubes illa obſcuratur atque denſatur, donec tamdem Ægypti tenebris ſimilis fiat. Hinc hujuſmodi homines apertiſſimis etiam ſeſe exponunt periculis, nec præteritis Dei terrentur flagellis, aut mirabilium ſignorum operationibus commoventur, ùt in Ægyptiorum illorum, de quorum tenebris loquimur, obſtinatione dignoſcimus; de iis namque in ſacris Literis ſic legimus: *Adhuc inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam ſibi aſſumpſerunt cogitationem inſcientiæ; & quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos perſequebantur: Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas; & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio* (*a*): ideſt, ut præteritis ſuppliciis, quæ perpeſſi fuerant, hoc etiam extremum adderetur, ut quam pœnam infantibus Hebræorum irrogaverant, ipſi ſubirent; videlicet aquis interirent (*b*), qui innoxios parvulos in aquas fluminis projecerant. Hinc, filii, in miſeris illis Ægyptiis, Pharaonis partes ſequentibus,

(*a*) *Sap. XIX. v. 3. & ſeq.* | (*b*) *Exod. XIV. & XV.*

bus, obſtinati animi ſtuporem ac cæcitatem apertiſſimè videre poteſtis.

Quòd ſi, quænam peccata in hunc mentis ſtuporem homines inducant, rogetis; ego ſanè ea in primis eſſe puto, quibus non modò nobis, ſed aliis etiam diverſimode obſumus, ac perniciem & ſpiritualem animarum interitum machinamur; quibus utinam nemo ex his, qui hìc adſunt, commaculatus exiſtat! Ea verò ab illis patrantur, qui pravis ſuis exemplis, ſuggeſtionibus atque conſiliis, in corrigendo negligentiâ, in reprimendo ac coërcendo ſegnitie, aliorum animas perdunt. Quod certè ii attendere potiſſimùm deberent, quibus aliorum eſt a Domino cura commiſſa; præſertim verò miſeri Patres, qui ſingulis pene verbis juramenta, & quandoque etiam blaſphemias admiſcentes, liberos ſuos hujus peſſimæ conſuetudinis hæredes inſtituunt. Attendant hoc etiam Domini, qui dies noctesque alearum ludis inſumentes, famulos quoque ſuos in idem malum impingere faciunt; quibus etiam tam multa præcipiunt, ut nullum eis reliquum ſit tempus, quo diebus feſtis ad Miſſas accedant; quo peccata ſua confiteri poſſint, ac animæ ſalutem curare: qui certè omnes animarum interemptores dici meritò poſſunt; & adhuc viventes hac potiſſimum quandoque a Domino pœna plectuntur, ut in peccatis callum obducant, ac eorum, quàm ceterorum, major ſit atque perniciosior mentis ſtupor & cæcitas.

Verùm èt ſingula illa peccata, quæ capitalia ſive lethalia nuncupamus, eò quòd aliorum, veluti hydræ, ſint maledictâ fœcunditate perniciosiſſima capita, & animæ afferant mortem, ſingula, inquam, illa peccata ſpiritualis hujuſce cæcitatis cauſæ ſunt proximæ; quas libet ſingulas ſaltem attingere, ut quæ ſint vobis vitanda noſcatis. Ac primùm quidem malorum omnium regina Superbia ſuâ nimia claritate excæcat oculos mentis: Hoc eſt, quod Sapiens dixit: *Sol refulgens radiis ſuis obcæcat oculos* (*a*); adeo enim hujuſmodi homines ſunt in oculis ſuis conſpicui, adeò ſibi videntur omni honore digni, ut nullius ope aut auxilio ſe indigere arbitrentur, quin èt omnes negligant atque contemnant, & latentes intrinſecus miſerias ſuas minimè videant; imo nec eas indicantibus credant, ſed veluti pavones, pennarum ſuarum pulchritudinem, ac caudæ ſplendorem admirentur. Sed o miſeri, ſi pedum ſordes aſpicerent, ſi peccata recogitarent, ſi mortis

(*a*) *Eccleſiaſtici XLIII. v.* 4.

mortis meminiſſent; heu quàm altos clamores emitterent, quàm ſe imperfectos eſſe cognoſcerent! Sic Satan princeps ſuperbiæ, ac ſuperborum magiſter & pater, dignitatis ac pulchritudinis ſuæ magnitudine captus, *In Cœlum*, dixit, *conſcendam*, *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, *ſedebo in monte Teſtamenti*, *in lateribus Aquilonis*. *Aſcendam ſuper altitudinem nubium*, *ſimilis ero Altiſſimo* (*a*). Sed finem videte ſuperbi: *Verumtamen ad Infernum detraheris in profundum laci* (*b*). O quàm ater fumus eſt ſuperbia, quantas menti tenebras offundit! Quæ major excogitari poteſt cæcitas, ſuperbæ mentis ſtupore? quæ tantò perniciosior eſt, quantò infirmitatem ſuam ſanitatem exiſtimat, & mendicitatem divitias, ac cæcitatem viſum; unde fit ejus incurabilis languor, major paupertas, & denſior cæcitas.

Secunda cæcitatis cauſa Avaritia eſt, quæ talpis animalibus viliſſimis homines reddit ſimillimos; nam ſicuti talpa cæcum animal eſt, in terra ſemper moratur ac latet, & terrâ paſcitur; ſic èt avari terra ſunt, terram quærunt, terram ſemper cogitant, terram tractant, nil niſi terram curant, Cœlo præferunt terram. Infeliciſſimæ talpæ, nocturnis plane animalibus ſimiles, quæ propter oculorum imbecillitatem, ſplendorem Solis ferre non valent; & unde ceteræ aves videndi facultatem accipiunt, ipſæ cæcutiunt, ac volantes paſſim offendunt! Hujus cæcitatis pulcherrimum exemplum conſiderate, filii, in Evangelico illo Divite, *cujus ager uberes fructus attulit*, & *cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam* (*c*)? Magnâ ſanè curâ infelix diſtineris, quid in tanta frugum ubertate facere debeas. Si expetis, quid à te Deus exigat, & peccata tua requirant, ecce reſpondeo: *Honora Dominum de tua ſubſtantia*, *de primitiis omnium frugum tuarum da ei* (*d*): *Peccata tua Eleemoſynis redime* (*e*): *Theſauriza* tibi *theſauros* permanentes *in Cœlo*, *ubi neque ærugo*, *neque tinea demolitur*, & *ubi fures non effodiunt*, *nec furantur* (*f*): *Fac* tibi *amicos de mammona iniquitatis*, *ut cùm defeceris recipiant te in æterna tabernacula* (*g*). Si conſilium quæris, hoc tibi Deus proponit, hoc ſuſcipe. Sed cæcus & miſer, unde ſibi Cœlum comparare potuit, emit Infernum: *Deſtruam*, inquit, *horrea mea*, & *majora faciam*, & *illuc congregabo omnia*,

(*a*) *Iſaiæ XIV. v.* 13. & *ſeq.*
(*b*) *Ibid. v.* 15.
(*c*) *Lucæ XII. v.* 16. & *ſeq.*
(*d*) *Proverb. III. v.* 9.
(*e*) *Daniel. IV. v.* 24.
(*f*) *Matth. VI. v.* 20.
(*g*) *Lucæ XVI. v.* 9.

omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona poſita in annos plurimos; requieſce, comede, bibe, epulare (*a*). Verùm infelix hic Dives (o avari, o divites Mundi animadvertite) cæcitatis ſuæ dedit acerbiſſimas pœnas: *Dixit* enim *illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te; quæ autem paraſti, cujus erunt* (*b*)? Sed cur avaritiæ cæcitatem non admiramur omnes, in Judæ Chriſti Diſcipuli atque Apoſtoli exemplo? O quomodo nebula hæc oculos tuos (miſerrimè!) denſa excæcavit caligine! Ah ingratiſſime hominum, argento Magiſtrum tuum, Dominum tuum, Patrem tuum amantiſſimum, qui te in Apoſtolorum Collegium admiſerat, qui tibi laverat pedes, qui ſuis te carnibus paverat, hunc argento vendis? *Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam* (*c*)? Et quæ digna poterat hujus eſſe commutatio, apud quem ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei? O inaudita ignorantia, o inæſtimabilis cæcitas, quæ infinitum theſaurum, quæ Dei Filium, quæ Chriſtum triginta argenteis te compulit vendere! Quis veſtrùm hæc audiens non exhorret? Quis, ſi Judam hunc præ manibus haberet, dentibus non laceraret, ac vivum devoraret? Et tamen, o filii, o filii, utinam hìc aliqui Juda pejores non adſint, qui Chriſtum & ejus gratiam, non triginta argenteis, ſed viliori etiam pretio vendant! illo ſanè graviores pœnas ſubituri, quò viliùs vendunt. Quòd ſi illum nullius fortè terruerat exemplum, hos quidem Judæ avaritiam deteſtantes paſſim audimus, eam tamen quam execrantur imitari, ac etiam ſuperare videmus. Avaritia, filii, tam denſa eſt cæcitas, quæ etiam a Fide deſciſcere homines facit. Audite Paulum: *Quam quidam*, inquit, *appetentes erraverunt a Fide* (*d*): quæ verba aliàs explicavimus vobis. Fugite igitur maledictam hanc auri cupiditatem, excæcant namque oculos munera; & cupiditas hoc in primis malum habet, quòd cùm ingerit tranſitoria, abſcondit æterna, & dum foris cumulata conſpicit, quæ intra ſe latent non videt (*e*).

Excæcat tertiò Luxuria, quinimo etiam cæcitas mentis prima eſt luxuriæ filia; luxuriæ namque ignis, Infernali igni conſimillimus eſt, dum non ſplendet, ſed ardet tantummodo; ſic libidinis ardor mentem adurit, intellectum verò excæcat, ut de hoc

(*a*) *Lucæ XII. v.* 18. *& ſeq.*
(*b*) *Ibid. v.* 20.
(*c*) *Matth. XXVI. v.* 15.
(*d*) *I. ad Timoth. VI. v.* 10.
(*e*) Sanctus Gregorius in Moral. Lib. XV. num. 30.

hoc per Prophetam exiſtimare poſſimus dictum: *Supercecidit ignis*, *& non viderunt Solem* (*a*). Vultis videre, quàm cæcos homines reddat libido? Recolite Dominicæ præteritæ Evangelium, in quo a Cœna & ſuperbi & avari aliqua ſaltem ſe ratione excuſabant; libidinoſus verò, per eum, qui uxorem duxerat, deſignatus nec excuſationem adducit, nec veniam poſtulat; ſed effrons, ac verè cæcus, omnia negligens, *non poſſum*, inquit, *venire* (*b*). O filii cavete luxuriam, quæ ſtatim ac animam fœdat, intellectum obtenebrat; in hunc enim primum jaculum tendit, primam dirigit ſagittam. Cavete omnia, quæ ad illam inducunt aut juvant; fugâ enim evadimus hanc peſtem, ac de ea victoriam reportamus. Et quid me miſerum audio! (ut hic breviter digrediar) adeò nempe in hac Civitate ſæviſſimam illam libidinum ac impudicitiarum officinam patère, ut frequentes Comœdiæ recitentur, ac in ſcenis perſonati hyſtriones, indigniſſimi homines, in Diaboli retia innumeros Urbis hujus juvenes incautos adducant. Quid Concilii Tridentini decreta profuerunt, quibus tam diligenter in libros obſcœnos eſt cautum, ut comburi præcipiantur, atque ex hominum memoria eradicari; & illos legentes ſeveriſſimis pœnis plectantur? Quantò magis in animas ea quæ oculis ipſi aſpicimus penetrant, quàm quæ in libris hujuſmodi legimus? Quàm graviùs adoleſcentium mentes viva illorum vox ferit, quàm mortua, libris inſculpta? Fateor ſanè, filii, me fortè dormiente, inimicum hominem hæc ſuperſeminaſſe zizania, & me neſciente, peſtem hanc irrepſiſſe; ſed ſtudebimus certè in poſterùm, eam Deo dante reprimere. Vos interim, filii, ſi intellectûs atque animæ lumen veſtros oblectat oculos, quæſo, abſtinete ab his ſcenis; ac ſpectacula hujuſmodi, veluti Dæmonum laqueos atque tendiculas fugite.

Sed quarta adeſt cæcitatis cauſa; nempe fœcunda ſoboles Invidia, quam fortè Heli Sacerdotis cæcitas præſignabat, *cujus oculi caligabant*, *& videre non poterat lucernam Dei*, *antequam extingueretur* (*c*); nam ſic etiam invidi homines alios proſperè ac feliciter coram Deo viventes videre non poſſunt, quin corde lædantur. Hæc autem ita miſerabilis eſt, ut unde fructum percipiendi ampliſſimus nobis campus offertur, inde damnum capiamus: ſic eorum, qui imbecillioribus ſunt oculis, viſum Sol offendit, qui aliis ta-

(*a*) *Pſalm. LVII. v. 9.*
(*b*) *Lucæ XIV. v. 20.*
(*c*) *I. Reg. III. v. 2. & ſeq.*

men lumen tribuit; nam quos aliorum virtus exhilarare debuiſſet, ac ad bonum impellere, eos contriſtari facit, & odio proſequi bonos. Et profectò invidos quidquid vident torquet; nam araneis ſimiles cibum ſuum omnem in venenum convertunt; cùm e converſo homines caritate perfuſi, veluti apes, mel ex omnibus eliciant ſuaviſſimum: qua ratione cæci illi miſerrimi Judæorum Principes, & Phariſæi, ex miraculis & virtutibus Chriſti, occaſionem eum perſequendi, mortem ei parandi ceperunt, unde in ejus Divinitatis cognitionem venire debuiſſent. O ſummam invidiæ cæcitatem, filii, quæ proximorum virtutes aut non videre facit, aut in vitium convertit: pro ut e converſo parvos eorum defectus, maximos facit exiſtimari, ac aliorum feſtucas veluti longiſſimas trabes efficit; quocirca de omnibus invidi offenduntur, de ipſis etiam ſomniis, qua major non poteſt excogitari ſtultitia. In hanc certè cæcitatem Patriarchæ Joſeph Fratres inciderunt, quibus cùm ille Principatûs ſui ſomnium enarraſſet, tanta adverſus illum invidia concitati fuere, ut de ejus nece conjuraverint; nec illos aut ſanguinis communio, aut fraternæ caritatis vinculum, aut ſenis Parentis reverentia, aut (quod his mirabilius eſt) ſomnii nomen ab hoc immani facinore revocaverit. Sed incidunt tamdem in foveam cæci Invidi, quam ceteris parant; neminemque magis, quàm invidentem ipſum, lædit invidia, quæ veluti viperæ germen erumpens, matris ſuæ in primis ventrem corrodit.

Eſt quinta cæcitatis cauſa, turpe Gulæ peccatum, quod homines penitus excæcat, non modò ſpiritu, ſed etiam corpore; nam ea plerumque avidè manducant, quæ ipſis afferunt mortem, cùm plures interficiat gula quàm gladius: Ac certè per Dominum guloſis hominibus in pœnam miſerrima hæc cæcitas, inter cetera prædici videtur, cùm dicitur: *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? Nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis* (*a*)? Quid ſtolidius hiſce cæcis reperitur, qui ſpontè currunt in foveam, ſibi ipſis inferunt mortem, ùt epulones faciunt, de quibus alibi dicitur: *Sepulchrum patens eſt guttur eorum* (*b*)?

Sexta ſupereſt cæcitatis cauſa, & quidem proxima, Ira, de qua ille optimè dixerat, quòd animum impedit, ne poſſit cernere verum; unde èt de hoc Propheta querebatur dicens: *Turbatus eſt a fu-*

(*a*) *Proverb. XXIII. v.* 29. & 30. | (*b*) *Pſalm. V. v.* 11.

a furore oculus meus (*a*); ira enim furentes homines atque amentes reddit, cujus cùm impetu ducuntur, cæcorum more neque Dominum audiunt clamantem: *Diligite inimicos veſtros* (*b*); neque ipſum aſpiciunt, in Cruce pro inimicis morientem, & pro crucifigentibus orantem; neque pœnarum recordantur, quas ſubibunt qui vindictam a Domino ſibi reſervatam audent uſurpare; neque oculos in Cœlum tollunt, aut præmia pro Dei amore injurias condonantibus parata conſiderant: Sed ebrii, ſed amentes, ſed cæci currunt in foveam, ad vindictam præcipites ruunt, quid æquum quidve juſtum ſit non perpendentes, nec eos, qui hujuſmodi ſuggerunt, audire ferentes: quorum idcirco magna cæcitas eſt, cùm eos Chriſto Regi inimiciſſimos reddat, qui patientiæ fuit ac benignitatis exemplar.

Septima demum cæcitatis origo Accidia eſt, qua fortè homines, qui in peccatis dormientes ad Dei opera ſomnolenti exiſtunt, puniuntur; Tobiæ exemplo, quem dormientem hirundinis ſtercus excæcavit (*c*). Sed utinam ipſi cæcitate uterentur, prout ille! cui cæcitas vitio non fuit aut culpæ, quemadmodum eſt iſtis.

Has omnes, dilectiſſimi filii, ſatagite radices obtruncare, hæc venenata capita abſcindere, hæc velamina ab oculis tollere. Agnoſcite quicumque tales eſtis, cæcos vos eſſe, & jam in primo eritis conſequendæ ſanitatis gradu; ceteros ipſe vobis aliàs oſtendam; cæcitatis etiam hujus ſpiritualis damna recenſens, ne in præſentiarum Orationis terminum nimiùm excedam. Deum Optimum Maximum, filii, ſupplex obteſtor hodie, ut eorum qui vident, viſum conſervet; cæcorum verò mentes aliqua ex parte illuſtrare incipiens, quando eæ nondum perfectò lumini recipiendo exiſtant idoneæ, paupertatis ſaltem mendicitatis ac cæcitatis ſuæ conſcias eſſe concedat. Amen.

(*a*) *Pſalm. VI. v.* 8.
(*b*) *Matth. V. v.* 44.
(*c*) *Tob. II. v.* 11.

HOMILIA LIII.

IN EVANGELIUM MATTHÆI CAP. XX.

De duobus Cæcis

Habita Dominica VII. poſt Pentecoſtem.

ANNO MDLXXXIII. XVII. JULII.

QUEMADMODUM ad ea, quæ nobis ſunt agenda, maximæ plerumque utilitatis inde proventuræ meditatione incendimur, unde èt ille *inclinaverat cor ſuum ad faciendas juſtificationes propter retributionem* (*a*); ita ad effugiendum aliquid non minimam vim habet, ſi damna,. quæ nos illud agentes inde conſequerentur, perpendamus: omnium enim bonorum operum noſtrorum ſolus ipſe Deus nobis eſſe debet præmium, & ſola ejus inimicitia eſt omnibus pœnis cum timore præferenda; cùm nemini dubium eſſe poſſit, quin Regius Pſaltes de *retributione* loquens, de ea ſanè intellexerit, quæ eminentiſſimè bona omnia continet, Dei nempe fruitione, felicitatem omnem complectente; de qua ipſe met dixerat Deus: *Ero merces tua magna nimis* (*b*). Equidem ipſum dumtaxat cæcitatis ſpiritualis nomen, ac ejus deſcripſiſſe fœditatem, debuiſſet ab ea omnes adeò terrere, ut nullà ampliùs ad id eſſent tractatione compellendi. Verùm quò eam omnes fugiatis ſtudioſiùs, & qui cæci non eſtis, omni diligentia ſummum hoc Dei munus conſervare nitamini, pauca de maximis cæcitatis hujuſce damnis excerpentes, in medium proferemus: Tum quibus ea ſit pellenda remediis breviter conſiderabimus. Faxit, dilectiſſimi filii, Deus Optimus Maximus, ut & illa vos terreant, & hæc inſtruant; quò a damnis caveatis, remedia verò amplectamini.

Samſon virorum fortiſſimus (*c*) cùm *mulierem amaſſet, quæ erat in*

(*a*) *Pſalm. CXVIII. v.* 112. | (*b*) *Geneſ. XV. v.* 1. | (*c*) *Judic. XVI. v.* 4.

in valle Sorec, & vocabatur Dalila, ab ea plurimùm rogatus, ut in quo propria conſiſteret fortitudo, ei aperiret, & quid eſſet, quo ligatus nequiret erumpere; cùm ei tertiò mentitus, verum indicare noluiſſet, illaque, cui a Philiſthæis maximum fuerat pretium promiſſum, *moleſta eſſet, & per multos dies jugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit* Samſonis *anima, & ad mortem uſque laſſata eſt. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum numquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, ideſt conſecratus Deo ſum de utero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet a me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicuti ceteri homines. Videnſque illa, quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad Principes Philiſthinorum, ac mandavit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum* (*a*). *At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocavitque tonſorem, & raſit ſeptem crines ejus, & cœpit abigere eum, & a ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit. Qui de ſomno conſurgens*, cùm, ùt aliàs fecerat, egredi ſe poſſe confideret, ſeſeque excutere, *neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus*, a Philiſthæis apprehenſus fuit, eique *ſtatim oculos eruerunt, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere*, jumentorum more *molere fecerunt* (*b*). O quàm pulchrè hominis peccantis, & in Dæmonis manus redacti calamitatem exprimit Samſon! Eſt enim fortis, ùt Samſon, uniuſcujuſque noſtrùm anima, quæ Dei gratiâ mediante adeò viget, ut omnia poſſit in eo, qui illam confortat. Quæ, ſi quando uxorem ſuam, hoc eſt carnem propriam & affectiones nimiùm diligit, ejus ſuaſionibus in peccatum prolabitur, in eoque *dormiens ſeptem* privatur *crinibus*, hoc eſt ſeptem Sancti Spiritùs donis. In hanc ſic debilem effectam, ſæviſſimi hoſtes humani generis Dæmones, manus injicientes, ei ſtatim *oculos eruunt* atque excæcant, de quibus per Apoſtolum dicitur, quòd *excæcavit Deus hujus ſeculi mentes infidelium* (*c*); per quem ſanè *Deum*, Philiſthinorum Rex Diabolus hìc intelligendus eſt (*d*), qui *ſeculi hujus* dicitur *Deus*, hoc eſt juxta ſeculum viventium, non quidem creatione, ſed imitatione, eò quòd illum, relicto Deo, imitentur. Diabolus namque, ubi hominem lethali aliquo crimine illaqueavit, protinus, ùt audiſtis, ejus menti tenebras offundit, quem mox *in carcerem* pravæ conſuetudinis trudit, & tamdem *molere*, jumentorum more, compellit; hoc eſt, jugum trahere cum bobus, & in peſſimis operibus totum ita implicari, ut Deum penè videatur ignorare. Sed quid adhuc filii? Coram ſe etiam ludere facit, hoc eſt in multa alia malorum & peccatorum præcipitia detrudit, quibus, veluti

(*a*) *Judic. XVI. v. 16. & ſeq.* | (*b*) *Ibid. v. 19. & ſeqq.* | (*c*) *II. ad Cor. IV. v. 4.* | (*d*) *S. Thom. ibi.*

luti ludens, miſer delectatur, ac ipſiſmet Dæmonibus ludibrio fit & joco, qui ejus animam quocumque volunt, pertrahunt, donec tamdem cum ipſis in Inferno ſine fine moriatur. O quale & quantum damnum iſtud eſt, fratres! ex quo in tam multas criminum foveas præcipites feruntur hi cæci, & *per diem incurrunt tenebras, & quaſi in nocte, ſic palpant in meridie* (*a*). Quod quidem Salvator ipſe apud Joannem aperta ſimilitudine teſtatur, cùm ait: *Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus Mundi videt: ſi autem ambulaverit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo* (*b*). Cæcitatem hanc poſtea mira conſequitur ignorantia, eorum etiam quæ meridiana ſunt luce clariora, & quorum inſcitia nullam patitur excuſationem. *Neſcierunt* enim (dicitur), *in tenebris ambulant* (*c*). Vultis videre, quàm evadant ignari? Neque finem vident, neque viam. Putatiſ-ne, quia ſuperbi, avari, libidinoſi, Comœdiarum aſſidui ſpectatores, de quibus aliàs dicebamus, finem ſciant, aut viam? *Neſciunt* profectò; nam illi quidem honores & pompas ſibi finem proponunt, alii verò auri copiam atque argenti, poſtremi demum turpes & vanas oblectationes. Videte, quàm aberrent a fine, proinde etiam a via: & horum profectò *mentes Deus hujus ſeculi excæcavit*; nam cùm Deus habeat rationem ultimi finis, & complementi deſideriorum totius creaturæ, quidquid aliquis ſibi pro fine ſuo ultimo conſtituit, in quo ejus deſiderium quieſcit, poteſt dici Deus illius: Unde, cùm pro fine illi delicias habent, tunc deliciæ dicuntur eorum Deus (*d*); ſimiliter etiam, ſi honores, aut carnis voluptates: & ſic *Deus hujus ſeculi*, nempe id, quod homines mundana lege viventes ſibi pro fine conſtituunt, eorum *mentes excæcat*; quapropter horum omnium *via tenebroſa eſt, nec ſciunt ubi corruant* (*e*). Et eò hæc ipſorum ignorantia progreditur, ut èt Deum ipſum eorum flagitia ignorare arbitrentur, ac intra ſe dicant: *Quomodo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo* (*f*)? Ab ignorantia autem iſtà innumera deinde mala proveniunt, ac veluti ab ampliſſimo fonte venenati ſcelerum rivuli emanant; ideoque lugens Propheta conqueritur: *Non eſt ſcientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & ſanguis ſanguinem tetigit* (*g*). Hæc maledicta ignorantia omnium eſt pernicioſa mater errorum; *errant* namque in omnibus, *qui operantur malum* (*h*).

Sed tertium adeſt præcipuum damnum, quod cæcitatis hujus eſt

(*a*) *Job V. v. 14.*
(*b*) *Joann. XI. v. 9. & ſeq.*
(*c*) *Pſal. LXXXI. v. 5.*
(*d*) *S. Thom. in II. ad Corinth. IV. v. 4.*
(*e*) *Proverb. IV. v. 19.*
(*f*) *Pſal. LXXII. v. 11.*
(*g*) *Oſee IV. v. 1. & ſeq.*
(*h*) *Proverb. XIV. v. 22.*

eſt fructus, nempe in ea obſtinatio, ut jam non videntes reſpuant, cùm etiam Deo dante poſſint, videre; imo èt videntes oderunt, & *dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus: Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores* (*a*). Quinam ſunt, rogo, hi *videntes*, & *aſpicientes*, quos illi *videre* prohibent atque *aſpicere*, niſi illi, quibus eorum animarum cura commiſſa eſt? niſi Confeſſarii eorum, niſi Paſtores, quos, ſi illorum arguant cæcitatem, ipſi pro eo quòd diligere debuiſſent, odio maximo proſequuntur? Sic Herodes Joannem Baptiſtam de adulterio ac ſtupro reprehendentem, eique liberè dicentem: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui* (*b*), non modò iniquo animo audiebat, ſed ad impudentis puellæ, & ignobilis ſaltatricis ſuaſionem, Sanctiſſimum Chriſti Præcurſorem, quo *inter natos mulierum major nemo ſurrexerat* (*c*), juſſit capite plecti. O quàm hi ſunt æterno vicini ſupplicio, qui videre cùm poſſint, cæci tamen eſſe malunt, nec oculos volunt aperire, de quibus Sanctiſſimus Job dicebat: *Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierunt vias ejus, nec reverſi ſunt per ſemitas ejus* (*d*). Et pulchrè *rebelles lumini* vocat eos, de quibus Joannes inquit: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum. In Mundo erat, & Mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt* (*e*). Hinc Mundi occaſum alibi ipſe Chriſtus conſiderans, & cui tribuendus eſſet perquirens inquit: *Hoc eſt judicium, quia lux venit in Mundum; & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem; erant enim eorum mala opera* (*f*): ut unà cum tertio hoc, quod recenſuimus, damno, quartum aliud immediatè ſubjungere poſſimus, nempe ſtultitiam; quæ namque major excogitari poteſt ſtultitia, quàm luci tenebras præferre? O damna, o damna malè percepta, non curata, nec ſeria conſideratione perpenſa! Si hæc homines perpenderent, quàm illos iſtiuſmodi perterrefaceret cæcitas!

Sed adhuc alia tria ex ſacri Evangelii contextu diligenter attendite: de duobus enim illis Cæcis dicitur, quòd erant *ſedentes*. Et fortè vobis modicum damnum ſedere videtur; imo verò ſi audiveritis, veluti maximum horrebitis. Nam ſicut is, qui ſedet, ſedis ſe illius poſſeſſorem oſtendit; ſic qui peccato cæcus effectus eſt, *ſedere* meritò dicitur; ſed longè aliter, quàm ille: nam ille quidem ſedem poſſidet, hic verò etiam a ſede, ideſt a peccato, poſſidetur: Et heu, quàm duro Domino ſervire compellitur, a quo nullam ſperare poteſt

(*a*) *Iſaiæ XXX. v.* 10.
(*b*) *Marci VI. v.* 18.
(*c*) *Matth. XI. v.* 11.
(*d*) *Job XXIV. v.* 13.
(*e*) *Joann. I. v.* 9. *& ſeqq.*
(*f*) *Ibid. III. v.* 19.

teſt requiem, a quo non niſi perpetuas pœnas, æternos expectat cruciatus! O deteſtandam ſedem! O verè *beatum* illum, *qui in* hujuſmodi *cathedra peſtilentiæ non ſedit* (*a*): ſed ab ea, tamquam a peſte, procul recedens, ambulare mavult, etiam cum labore, quàm cum ficta quiete ſedere! Sedent ergo cæci & ſtulti peccatores, dum in peccatis perſeverantes, & pravum in eis habitum contrahentes, *ducunt* ſedentes *in bonis dies ſuos*, & *in puncto ad Inferna deſcendunt* (*b*), & cum Philiſthæis infeliciſſimis menſæ aſſidentes, & conviviis epotandiſque calicibus incumbentes, accedente morte, ac vitæ columnam concutiente, præcipites ruunt *in ignem æternum*, *qui paratus eſt Diabolo*, & *Angelis ejus* (*c*). Ut tamen majorem horum ſtultitiam intelligatis, ac cæcitatis damnum magis agnoſcatis, videte, ubi ſedeant. Certè *ſecus viam* (*d*), in qua, ſive Chriſtus *via* ſit, ſive præſens hæc vita, utrâque ratione miſeri ſunt & infelices; nam ſi de Chriſto loquamur, qui *via* eſt, & *veritas*, & *vita*, & per quem ſolum ad Patrem accedimus (*e*); deplorandi hi cæci peccatores *ſecus viam* ſedent, prope Chriſtum ſunt; nam quamdiu vivunt, licèt ab eo per peccatum diſtent, dum tamen pœnitendi ſupereſt tempus, adhuc prope & ſecus viam eſſe dici poſſunt, cùm eam quoties velint, ingredi poſſint: a qua ſunt omnino diſtantes, qui penitus erraverunt a via, & in barathrum proruerunt. Et tamen cùm ſecus viam cæci ſint, viam ingredi recuſant; & recuſant, quia non poſſunt; & non poſſunt, quia cæci ſunt; & cæci ſunt, quia eſſe volunt: Hoc namque inter corporalem & ſpiritualem cæcitatem diſcrimen eſt, quòd illâ vexati, videre quidem vellent, ſed per ſe id aſſequi minimè poſſunt; cùm illud iis tribuere proprium ſit ejus, qui naturæ Dominus eſt: Hi verò, ſi volunt, videre poſſunt; nam, ùt intelligetis, hos curaturus Dominus, ab iis primùm quid velint, ſcrutatur. Quòd ſi *via* eſt præſens hæc vita; proh quanta dementia, ſecus viam, in qua ambulandum eſt, ſedere! Infelix viator in longinquam regionem profecturus, ſi totos dies ſecus viam ſederet, quantum ex hujuſmodi ſeſſione traheret detrimenti! Et miſeri hi peccatores, peregrini cùm ſint, & ad Patriam adeò diſtantem ambulare debuiſſent, ſecus viam tamen ſedent. Sed, quàm grave hinc damnum perceperint, cùm nox acceſſerit, cùm ſe ab hoſpitio diſtantes viderint, ac inter latrones & ſicarios homines poſitos, tunc optimè noſcent: Cùm nempe vitæ præſentis veſperus, hoc eſt

(*a*) *Pſalm. I. v.* 1.
(*b*) *Job XXI. v.* 13.
(*c*) *Matth. XXV. v.* 41.
(*d*) *Ibid. XX. v.* 30.
(*e*) *Joann. XIV. v.* 6.

eſt dies mortis, advenerit; tunc non modò ſedebunt, & *ſecus viam*, ſed *mendicantes*, ùt addidit Marcus (*a*). Et eò certè infeliciores ſunt hi *mendicantes*, quò a durioribus ſtipem ſupplices petunt, ab iis nempe, a quibus nihil eſt, quod ſe obtinere poſſe confidant. Mendicant namque peccatores a Mundo; & quid mendicant? felicitatem: & hanc-ne illis infeliciſſimus Mundus dare poterit, cùm ejus ſit omnino expers? Et quid mendicant? honores: & quos habet Mundus honores, cùm *honorificati* ſolùm *ſint amici Dei* (*b*), cujus ipſe apertus eſt inimicus? Et quid mendicant? ab auro ſatietatem. O miſeri! Et terrâ ſpiritum ſatiare ſe poſſe ſperabunt? Verè mendici, quia ſemper mendicantes mendici erunt. Mendicus, licèt paucos quotidie ab aliquibus conſequatur quadrantes aut obolos, ſemper tamen erit pauper atque mendicus, cùm omnibus egeat. Habeant hi a Mundo omnes honores, pompas, ac divitias, omnes Orientis gemmas, omnes Indici auri & argenti maſſas; Mundum totum poſſideant, Civitatibus omnibus imperent, Regnis omnibus jura dent; habeant omnes carnis delicias, voluptatibus diffluant, ſemper in prandiis ſint, poſt prandia in muſicis inſtrumentis, poſt ea in ſpectaculis ſcenis atque comœdiis: Mihi credite, cùm hæc omnia habuerint, ſemper adhuc erunt mendici. Nam ſicut ſi quis fame conſumeretur, & omnes ei ab aliis deferrentur honores, a nullo tamen cibum aut panem obtinere poſſet, hic certè, quia non quæ neceſſitati ſuæ expediunt, conſequitur, continuò langueret, ac tamdem fame periret; ſic Mundi omnia quæ vocant bona, & fortunæ & carnis, quia infinitæ animi noſtri appetentiæ minimè conveniunt, ejus numquam explere poterunt eſuriem, numquam ſitim extinguere, numquam mendicitatem tollere. Solus Deus, filii, ſolus inquam Deus, ad quem creati ſumus, nos ex mendicis divites reddet, ac deſideria noſtra implebit perfectè: a quo cùm cæci peccatores longiſſimè abſint, eò quòd cæci ſint; videte, quomodo mendicare cogantur, ac quantum eis mendicitas hæc adferat damnum. Sed in Inferno tamdem (ut damnis his finem imponamus) etſi inutiliter atque infructuosè, miſeri intelligent, quantum illis hæc eorum obfuerit cæcitas, cùm fletibus ac querimoniis & lamentationibus omnia replentes, ac intra ſe vanam, ſed maximam pœnitentiam agentes, dicent: *Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non eſt ortus nobis* (*c*). Sed mentimini, impii; nam *Solem ſuum oriri fecerat* benigniſ-

(*a*) *Marci X. v. 46.*
(*b*) *Pſalm. CXXXVIII. v. 17.*
(*c*) *Sap. V. v. 6.*

ſimus Dominus *ſuper bonos & malos* (*a*): Illi quidem eum promptè exceperunt; vobis verò minimè illuxit, quia poſuiſtis obſtaculum, & noluiſtis, quia cordis veſtri feneſtras occluſiſtis, & ad oſtium pulſanti, ac radios ſuos introducere volenti renuiſtis aperire. Tunc miſeri dicent: *Palpavimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectavimus; impegimus meridie quaſi in tenebris* (*b*). Hæc autem quid proderunt illis, cùm jam ab eis receſſerit Medicus; cùm medendi tempus abierit; cùm longum & magnum inter illos & Medicum chaos firmetur? Hìc, hìc, filii, cæcitatis miſeriam & damna cognoſcite, ac cavere ſatagite. Sed jam certè arbitror vos hujuſmodi ægritudinem exhorrere, ac ſi quis veſtrûm eà hactenus fuerit vexatus, ſanitatem appetere. Eja igitur, filii, bono corde accedite, animo æquiores eſtote, quoniam cœleſtis vos hodie Medicus Chriſtus, miraculo propoſito, recuperandæ ſanitatis viam edocuit. Gaudete fratres, gaudium magnum recepturi: *forti animo eſtote, in proximo eſt, ut a Deo curemini* (*c*).

Ecce enim quia duplicia vobis remedia proponam: quorum quidem priora veſtrum erit vobis ipſis adhibere; alia verò Medicus Chriſtus exhibere paratus eſt; nec procul hinc abeſt. In eum oculos intendite, ſuper Altari ſedentem cum aromatibus Myrrhæ, quæ ſunt peccatorum omnium veſtrorum medicamenta. Ac primùm quidem clamare vos expedit, & vocem attollere; qui clamor ſenſùs infirmitatem indicet, cùm qui valde torquentur, in magnos præ dolore gemitus prorumpere ſoleant: licèt enim tacentes ſanare valeat Chriſtus, ſolis tamen clamantibus vult valetudinem impendere, ut cognoſcant, ab eo dona cuncta defluere. Sed quid clamemus? Hoc vos Cæci Evangelici docent, clamare videlicet: *Domine miſerere noſtri, fili David*. Ad Dominum clamate, ad quem Propheta (*d*) cùm tribularetur exclamans exaudiebatur. Diligit nos profectò, veluti cariſſimos filios, hic Medicus, licèt indignos: ideoque vult, ut filiali affectu & confidentia miſerias noſtras ei explicemus, ejus miſericordiam implorantes; ad quod vos per Prophetam ſuum benignè invitat, cùm dicit: *Revela Domino viam tuam* (*e*). Et profectò cui utiliùs plagas noſtras revelare poſſumus, quàm illi, cui tanta cura eſt de nobis, ut nec capillus de capite noſtro cadat abſque expreſſo ejus conſenſu (*f*), qui nos adeò diligit, qui animam ſuam dat

(*a*) *Matth. V. v. 45.*
(*b*) *Iſai. LIX. v. 10.*
(*c*) *Tob. V. v. 13.*
(*d*) *Pſalm. CXIX. v. 1.*
(*e*) *Pſalm. XXXVI. v. 5.*
(*f*) *Luc. XXI. v. 18.*

dat pro ovibus ſuis (*a*)? Et certè; vultis videre, quàm proxima ſit ſanitati hæc propriæ infirmitatis manifeſtatio? Audite Davidem vos id docentem: *Dixi: Confitebor adverſùm me injuſtitiam meam Domino*. Et quid tibi inde? *Et tu remiſiſti impietatem peccati mei* (*b*). Hunc vos clamorem, Jeremias Sanctiſſimus in matris utero ſanctificatus optimè docet, ubi ait: *Deduc quaſi torrentem lacrymas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui. Conſurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum: effunde ſicut aquam cor tuum ante conſpectum Domini: leva ad eum manus tuas* (*c*). Effundite corda veſtra, filii, ante Chriſti conſpectum, quidquid in penetralibus animæ veſtræ latet, quidquid urget, ante illum proferte; omnem ſolicitudinem veſtram in illum projicite. Sic olim Ezechias Rex (*d*) feciſſe legitur, qui quas literas minarum & blaſphemiæ plenas a Sennacherib Rege Aſſyriorum acceperat, aſcendens in Templum, expandit coram Domino: perinde enim, ac ſi Dominum coram videret, ita literas ante illum propoſuit; ut hac ratione intelligamus, qua fiducia ſanctus ille Rex ad Dominum confugerit, qui quaſi cum amico familiariter agens, literas ante eum, velut ab eodem legendas, expandit. Ita èt vos quas vobis quotidie terrore plenas Dæmon literas mittit, cùm ad peccata provocat, cùm peſſima ſuggerit, coram Domino expandite; nam ſimili conſilio David ſanctiſſimus in omni calamitate, ad hoc ſalutare præſidium ſe confugere ſolitum teſtatur, cùm ait: *Effundo in conſpectu ejus orationem meam, & tribulationem meam ante ipſum pronuncio. In deficiendo ex me ſpiritum meum* (*e*). Hoc ergo èt vobis faciendum eſt; ſic ad Dominum primò clamare debetis.

Verùm increpabunt, filii, vos Turbæ; perſequetur vos Mundus, vos hypocritas appellabit, veſtram hanc illudet converſionem, eritis peripſema Mundi hujus; redarguent vos impii, & *circumvenient* vos, *quoniam inutiles eritis iis, & contrarii operibus eorum. Graves iis eritis etiam ad videndum, quoniam diſſimilis erit aliis vita veſtra, & immutatæ erunt viæ veſtræ* (*f*). Turbæ etiam præcedentium peccatorum veſtrorum ac malorum habituum vobis comminabuntur, ne clametis ad Dominum, ac ab illo vos retrahere fortiſſimis veluti quibuſdam funibus contendent. Sed tunc, cùm magis vobis obſiſtent, multò magis clamandum eſt; ac vos forti animo, tamquam generoſos canes, oblatrantes catellos non oportet attendere, ſed ſecuros per viam

(*a*) *Joann. X. v.* 15.
(*b*) *Pſalm. XXXI. v.* 5.
(*c*) *Thren. II. v.* 18. *& ſeq.*
(*d*) *II. Paralip. XXXII.*
(*e*) *Pſalm. CXLI. v.* 3. *& ſeq.*
(*f*) *Sap. II. v.* 12. *&* 15.

veſtram incedere, ac bonis cœptis inſiſtere: Sola namque perſeverantia coronabitur; nec qui incœperit tantùm, ſed qui clamare perſeveraverit, hic a Domino ſanabitur, & oculorum lumen recipiet. Quid vobis cum Mundi clamoribus? Ille, quia malus eſt, Chriſtum odit; idcirco a Chriſto quoſcumque poteſt, retrahit. Fungatur ille officio ſuo; vos veſtro fungimini. Annon illius meminiſtis, qui, cùm intempeſta nocte ad amici oſtium acceſſiſſet, eum importunitate conſtringens, quibus egebat panes ſibi commodare coëgit (*a*)? Excidit-ne animo veſtro illuſtris Cananææ mulieris perſeverantia, quæ licèt a Domino repulſa, ac cani comparata, nedum a petendo deſtitit, aut ob turpem ſimilitudinem fuit indignata; quin etiam inquit: *Domine; nam èt catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum* (*b*); qua tamdem importunitate & quod petebat obtinuit, & ob Fidem a Domino inſigniter fuit laudata? Poſſet quidem primò clamantes Chriſtus exaudire, cùm ſit promptus ad gratiam, nec ignoret, eum, qui citò dat, bis dare; & *non protrahendum datum anguſtianti* (*c*) præceperit: ſed nobis hac tarditate conſuluit, ne diffideremus dilatione bonorum. Quid enim non obtinet perſeverans oratio? Duriſſimos lapides aquæ gutta non ſemel cadens excavat; & tenerrimum ac benigniſſimum Chriſtum iterata non exorabit oratio? Lapidis repetita percuſſio in ſacris literis aquas eduxit (*d*); & geminata ſupplicatio miſericordiam Chriſti non promerebitur? Non unicam, aut alteram ſat eſt in Deum orationis ſagittam mittere; nam quò plures miſeritis, eò majora conſequemini. An hi Cæci, ſi Turbæ increpanti attendiſſent, ſanati fuiſſent? Non eſt profectò quod timeatis, ne importunitate Chriſto ſitis moleſti, cùm hanc ipſe a vobis avidiſſimè expetat, dicens unicuique veſtrùm, quod dilectus Sponſæ: *Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora* (*e*).

Et ecce quia ad veſtros clamores Dominus ſtabit, voſque ad ſe vocabit, ac remedia jam ſua proponere incipiet, dummodo cæci ſimul & ſurdi non ſitis ac claudi, ſed accurratis: & quò promptiùs accedatis, veſtimenta projicite; nam & Mundus vobis eſt deſerendus, & facultates omnes projiciendæ pro vitando peccato, ſi opus ſit. Et non modò hoc, *ſed èt ſi oculus tuus*, o fili, *ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te; & ſi pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs*

(*a*) *Lucæ XI. v.* 5. *& ſeq.*
(*b*) *Matth. XV. v.* 27.
(*c*) *Eccleſiaſtici IV. v.* 3.
(*d*) *Num. XX. v.* 11.
(*e*) *Cant. Cantic. II. v.* 14.

abs te; melius eſt enim tibi, te claudum, & debilem, & cum uno tantùm oculo ad vitam ingredi, quàm duos oculos habentem & pedes mitti in gehennam ignis (*a*). Sic Joſeph Sanctiſſimus, ne caſtitatem amitteret, pallium reliquit (*b*): Sic Juvenis ille Evangelicus, ut Chriſti perſecutionem effugeret, ſindone, qua operiebatur, relictâ, nudus receſſit (*c*): Sic demum Cæcus hic, cujus meminit Marcus, relicto accurrit veſtimento (*d*). Et certè ſi corporis membra pro conſervanda vita, aut eorum recuperanda valetudine, igni ſæviſſimo, ac crudeliſſimis inciſionibus exponimus; cur non etiam facultates, & omnia pro animæ recipienda ſanitate relinquamus, & exilientes curramus ad Medicum? celeriter enim eſt ab hac peccati cæcitate ſurgendum. Quòd ſi Cæcus ille, de quo Lucas (*e*) meminit, tanta celeritate ad corporeum lumen accipiendum properabat; quid nos facere par eſt, ut ſpirituale mentis lumen a Domino conſequamur? Nec tamen abnuo, jucundiſſimam eſſe externam lucis hujus uſuram; ſed quantò pretioſius, quantò dignius atque ſublimius internum Sancti Spiritùs lumen eſt, quo ſummam Divinæ pulchritudinis ſpeciem contemplamur! Mulier illa, quæ Eliſeum hoſpitio excipere ſolita erat, ubi unicum, quem habebat, filium, mortuum vidit, ad montem Carmeli, jumento inſidens, quantâ potuit celeritate contendit ad Virum Dei, puerumque ſe inſequentem urgebat acriter, dicens: *Propera, ne mihi moram facias in eundo* (*f*). Certè, filii, ſi vos ita animæ veſtræ mortem, ſicut iſta filii ſui, deploraretis, &, quid ſit in corpore vivo mortuam geſtare animam cogitaretis, non dubito, quin majori feſtinatione atque ſtudio illius ſalutem & vitam quæreretis. Hinc jaculatoriæ illæ voces Dei aures ferirent: *Domine ad adjuvandum me feſtina* (*g*). *Domine ne moreris* (*h*). *Deus meus ne tardaveris* (*i*). *Accelera, ut eruas me* (*k*).

Quos ſi adeò ſolicitos videret Chriſtus, pro certo habetote, quia èt a vobis adſtans quæreret: *Quid vultis, ut faciam vobis?* Licèt enim ſanitatem conferre paratus ſit, vult a nobis tamen rogari, nec in invitos beneficia conferre; cùm, ùt audiviſtis, mors & vita, ſanitas & infirmitas, cæcitas ſpiritùs & viſio in manibus noſtris poſita ſint.

Sed heu me miſerum! Accedat ad nos Chriſtus, & petat, quid nobis

(*a*) *Matth. V. v. 29. & ſeq., & Marc. IX. v. 42. & ſeqq.*
(*b*) *Gen. XXXIX. v. 12.*
(*c*) *Marc. XIV. v. 51. & ſeq.*
(*d*) *Ibid. X. v. 50.*
(*e*) *Cap. XVIII. v. 35. & ſeqq.*
(*f*) *IV. Reg. IV. v. 24.*
(*g*) *Pſalm. LXIX. v. 2.*
(*h*) *Ibid. v. 6.*
(*i*) *Pſalm. XXXIX. v. 18.*
(*k*) *Pſalm. XXX. v. 3.*

nobis fieri velimus; numquid *ut oculi noſtri aperiantur*, omnes peteremus? Eſſent ſanè vereor plurimi, qui omnia alia, præter hoc, peterent; nam aliqui arcas auro repleri poſtularent; alii agros poſſeſſionibus ſuis addi; nonnulli mille alia, quæ ipſis fortè etiam futura eſſent noxia & perniciosa. Et utinam non reperirentur adeò inverecundi, qui etiam, ut turpes eis amores exercere liceret, vel fraterno ſanguine manus aſpergere, a Deo poſtularent! Videnturne vobis hæc a Deo petenda? Quid mirum, ſi *petitis, & non accipitis, cùm malè petatis* (*a*)? Videte, quid Salomon petendo tam dives evaſerit; cùm enim ei *apparuiſſet Dominus per ſomnium nocte, dicens: Poſtula quod vis, ut dem tibi* (*b*), audite quid petierit poſt multa: *Dabis ergo ſervo tuo cor docile, ut populum tuum judicare poſſit, & diſcernere inter bonum & malum* (*c*). *Placuit ergo ſermo coram Domino, quòd Salomon poſtulaſſet hujuſcemodi rem. Et dixit Dominus Salomoni: Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi ſapientiam ad diſcernendum judicium; ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens in tantùm, ut nullus ante te ſimilis tuì fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed èt hæc, quæ non poſtulaſti dedi tibi: divitias ſcilicet, & gloriam, ut nemo fuerit ſimilis tuì in Regibus, cunctis retrò diebus* (*d*). Videte, quomodo quod poſtea promiſit, antea adimpleverit, dicens: *Quærite ergo primùm Regnum Dei, & juſtitiam ejus* (*e*); *& hæc omnia*, non jubet poſtea peti, ſed nobis non petentibus, *adjicientur*, inquit, *vobis*. Petere igitur peccatores hodie debent a Domino, ut poſt cæcitatem videant, & ut quæ ſurſum ſunt videant; hæc enim eſt vis græcæ dictionis, qua Cæcus ille apud Lucam eſt uſus, dicens: *Domine, ut videam*. (*f*).

Et veſtrì *miſertus Dominus* ſuo vobis tactu ſanitatem reſtituet; de ipſo enim dicitur: *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus* (*g*). Sicut enim aurora diluculo conſurgens, ſplendore ſuo tenebras fugat, & rerum omnium veras facies, quæ in tenebris latebant, aperit; ſic planè Chriſtus mentis veſtræ oculos illuſtrat. Cùm apparere peccatori incipit Chriſtus, tunc o quàm clarè ille videt peccati fœditatem, miſerias, calamitoſum ſtatum, pericula, in quibus erat! & dicere incipit: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulominus habitaſſet in Inferno anima mea* (*h*): & *miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti*.

(*a*) *Jacob. IV. v.* 3.
(*b*) *III. Reg. III. v.* 5.
(*c*) *Ibid. v.* 9.
(*d*) *ibid. v.* 10. *& ſeqq.*
(*e*) *Matth. VI. v.* 33.
(*f*) *Luc. XVIII. v.* 41.
(*g*) *Oſee VI. v.* 3.
(*h*) *Pſalm. XCIII. v.* 17.

ti (*a*). Tunc, quàm vana ſint, quæ ùt vera Mundus promiſit; quàm venenata, quæ ùt dulcia propoſuit; quàm turpia, quæ videbantur pulchra; quàm fugienda, quæ ita homines amplectenda & quærenda putabant, agnoſcit; & videt, quia e tenebris egreſſus lucem habet inhabitantem, ac fontem luminis, & lucem lucis ac diem.

Sed multas habet cœleſtis hic Medicus curandæ cæcitatis medicinas; nam diverſimode plures tum in veteri lege, tum in Evangelica illuminavit; guſtu enim ſavi mellis Jonathas primò (*b*); felle piſcis Tobias (*c*); tactu primùm imperfectè, tum perfectiùs ſputo Cæcus quidam apud Marcum (*d*); verbo alter apud Lucam (*e*); tum natus Cæcus apud Joannem, luto (*f*); demum hodierni Cæci, Chriſti tactu viſum receperunt. De quibus quidem ſingulis quoniam aliàs nobis erit dicendum, hic indicaſſe tantùm ſit ſatis, quàm diverſimode oculos cæcorum Deus illuminet, ac quàm varia docuerit medicamenta. Melle enim Sanctiſſimum Euchariſtiæ deſignatur Sacramentum, quod qui ritè percipiunt, eorum ſanè oculi ad divina intelligenda mirè aperiuntur: Felle etiam, hoc eſt amariſſimæ Paſſionis meditatione, aut mortis cujuslibet noſtrûm frequenti recordatione: Tactu primùm imperfectè, tum ſputo perfectè, hoc eſt Baptiſmatis primùm Sacramento, poſt ſalivâ Evangelicæ doctrinæ: Verbo etiam, hoc eſt divini verbi prædicatione: Luto, nimirum Sanctiſſimæ Chriſti Humanitatis cogitatione: Tactu demum, ùt duobus his contigit, hoc eſt muneribus, aut etiam flagellis, quibus nos Dominus dignatur tangere. Neque vacat myſterio, quòd aliquorum ex memoratis oculos aperuerit Chriſtus, remediis quibuſdam adhibitis, quibus potiùs excæcari debuiſſent; id enim fuit, ut intelligeremus, Dominum iis rebus, quas nos pernicioſas atque difficiles exiſtimamus, ſaluti tamen noſtræ atque incolumitati conſulere, veluti jejuniis, vigiliis, afflictionibus, quæ apud nos ſunt quaſi lutum oculis ſuperimpoſitum, ad eos aperiendos, quo tamen perfectè illuminantur.

Verùm in his omnibus væ nobis, niſi Domino grati fuerimus! Quid autem pro tot donis ei rependemus? Hoc certè ſolo contentus eſt, ut cum Cæcis illis eum ſequamur. Ecce igitur filii; jam, ùt arbitror, fortè omnes ſanati eſtis; jam Chriſti munere videtis. Aſtat in Civitate hac Chriſtus benefaciens: Aſtat èt Dæmon hoſtis ſæviſ-

(*a*) *Thren. III. v.* 22.
(*b*) *I. Regum XIV. v.* 27.
(*c*) *Tobiæ XI. v.* 15.
(*d*) *Marci X. v.* 52.
(*e*) *Lucæ XVIII. v.* 43.
(*f*) *Joannis IX. v.* 6.

ſæviſſimus. Chriſti ego vos domum docebo, nam Dæmonis ædes heu nimiùm ſcitis! In Eccleſiis habitat Chriſtus, in Oratoriis quæ apud vos tam ſunt frequentia, in Xenodochiis, in Doctrinæ Chriſtianæ Gymnaſiis: Dæmon verò in locis impudicis inhabitat, in tabernis, in ſcenis atque ſpectaculis. Uterque ad ſe vos advocat; uterque multos cupit aſſeclas habere. Sed ille jure vos repetit, utpote ſuos; hic tyrannicè, ut damnet, ut mactet & perdat. Ambo, Oratores ſuos ad vos mittunt. Mimus atque hiſtrio vos ſchedulis parieti affixis ad Satanicum inventum, quod Comœdiam vocant, invitat. Sed mihi credite, tragœdia vobis eſt ſemper; nam qui vivi & ſani intraveratis, ſæpe concupiſcentiis mortui, ac libidinibus ſauciati inde egredimini; & innumeri, ùt audio, properant ad mortem, & non modò juvenes incauti, ſed ſenes etiam, & uxorati: Quod cùm dico, non poſſum non rubore ſuffundi. Vocat vos Chriſtus per nos, ut ad ejus, quas audiſtis, domos accurratis, innumera dona habituri; & tamen ejus dona negliguntur, ejus voces contèmnuntur. Solus ſæpe remanet Chriſtus; aut pauci tantùm eum ſequuntur. Proh dolor; proh dolor! Tempus veniet, dilectiſſimi, cùm ad eum currere cupietis, & non poteritis; eum ſequi, nec vobis licebit, ſed ad Patriam mimis & hiſtrionibus, ac impudicis mulieribus præparatam tranſmittemini.

Sumus, Mediolanenſes filii, ſumus (& dicam cum lacrymis) omnes cæci, quia homines; quia per Adæ peccatum, ùt diximus, hæc ad nos cæcitas hæreditate pervènit. Sed heu, quàm multi inter vos propriâ malitiâ ſunt magis in peccatis excæcati, ac alios etiam pernicioſis doctrinis & exemplis excæcant! Cur non hodierni feliciſſimi Cæci vos monent, ad hujuſce veſtræ infirmitatis gravitatem agnoſcendam? Cur ab eis recipiendi viſûs methodum non exploratis? Fruſtra-ne ergo hæc a Domino vobis per ſanctum ſuum Evangeliſtam propoſita fuerint? In vanum ergo abibunt quæcumque fiunt? cùm eò omnia Chriſti opera ac verba tendant, ut illuminemini; cùm per ſingulos dies, quantì ſit hoc faciendum, Eccleſiaſticis ritibus ſanctiſſimis edoceamini, quibus toties id a Domino petitur in Lucernariis, dum illa Prophetæ verba repetuntur: *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas* (*a*). Cur non hodie cum Propheta ad Dominum clamatis: *Illumina oculos noſtros, ne umquam obdormiamus in morte* (*b*)? Scit ſanè Deus, quibus opus habeatis: ſed ob ea, quæ audiviſtis, hodie in ſanctiſſimo Altari

(*a*) *Pſalm. XVII. v. 29.*

(*b*) *Pſalm. XII. v. 4.*

tari ſedens petit a vobis: *Quid vultis, ut faciam vobis*, Mediolanenſes? O infinitam Dei benignitatem! Primus a vobis læditur, & primus tamen pro malis bona vobis redditurus accedit. Et adhuc reſpondere negligetis? Ah filii cavete, ne terga vobis Dominus vertat; quin potius unà mecum hodie ſupplices omnes, cujuſque conditionis ſitis, ad ejus voces reſpondete: *Aperiantur, Domine, oculi noſtri; Domine fac, ut videamus* quæ ſupra nos ſunt, quæ infra, quæ circum nos, & quæ demum intra nos ſunt. Videamus ſuper nos te Deum vivum & verum, qui omnia potes, omnia ſcis, omnia vides, qui corda ſcrutaris & renes, qui vivorum & mortuorum futurus es Judex; te ſemper in omnibus, quæ facimus, aut dicimus, præſentem habeamus: Fac Domine, ut immenſa illa & æterna Cœli gaudia cogitemus, ne Eſau ſimiles, hæreditatis tuæ amplitudinem parvipendamus. Quòd ſi horum nos intuitus ad virtutis iter capeſſendum minimè movet, videamus Inferni cruciatus, inextinguibilem ignem, dolores omni fine carentes, fœtorem intolerabilem, famem numquam ſatiandam, ardentiſſimam ſitim, innumera denique tormenta impiis præparata. Circa nos, innumeros hoſtes, & inſidiantium nobis agmina fac Domine intueamur; Dæmones rugientes, ac nos devorare cupientes; Mundi vanitatem, quæ certè comœdia eſt, ſomnium & imago. Orate Dominum, filii, ut corda veſtra adaperiat, ad vera rerum pretia æſtimanda; ut oculos veſtros reſeret, quibus videatis, quid in plateis fiat, quid in apothecis; quid in ſtabulis & conventibus, ubi plures ſimul homines degunt & mulieres; quid in Eccleſiis coram Deo, ubi aperti ſunt oculi ejus; quomodo vendatur & ematur; quomodo divina & humana jura ſerventur; quales inter vos fiant contractus; qualiter patres cum filiis, liberi cum parentibus, cum famulis domini, & verſa vice ſe gerant. Flentes, ad Dominum redeuntes alta voce clamate: Tetigiſti tu Domine Cæcos, & quia eorum miſertus es, ſanati ſunt. Adſumus hìc èt nos miſeri, ſecus Mundi hujus viam in peccatis hactenus ſedentes. Ex intimis ad te præcordiis clamamus, corda noſtra ante te expandentes: *Domine miſerere: Domine miſerere: Domine miſerere*. Tange nos gratiæ tuæ ſanctiſſimo digito, ut ſanati, te ſemper, quamdiu vivimus, tua implentes præcepta ſequamur; donec eò perveniamus, ubi perpetuò *facie ad faciem* (a), & ſicuti eſt *videbitur Deus Deorum in Sion* (b). Amen.

(a) *I. ad Corinth. XIII. v.* 12. | (b) *Pſalm. LXXXIII. v.* 8.

HOMILIA LIV.

IN EVANGELIUM MATTHÆI

CAP. XIII.

Simile eſt Regnum Cœlorum theſauro abſcondito &c.

Habita Feria V. Dominicæ VII. poſt Pentecoſtem

AD MONIALES SANCTÆ PRAXEDIS MEDIOLANI

ANNO MDLXXXIII. XXI. JULII.

COLIMUS hodie, dilectiſſimæ in Domino filiæ, cum Sancta Matre Eccleſia hoc nobile Feſtum glorioſiſſimæ Virginis Sanctæ Praxedis: Feſtum noſtrum, & veſtrum; Romanæ Civitatis, & univerſæ Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ: univerſæ quidem Eccleſiæ, quæ talem ac tantam filiam & ſponſam tradidit Chriſto; Romanæ verò Civitatis, ubi eadem nata, Patriæ ſuæ maximum affert ſplendorem: veſtrum etiam potiſſimùm, ſub cujus nomine veſtra hæc dedicata fuit Eccleſia (*a*) cuique vos eſtis peculiariter commendatæ; noſtrum denique, qui ſub Sanctæ Praxedis titulo inter S. R. E. Cardinales numeramur. Ac quod ad nos quidem attinet, lugendi potiùs ſeſe nobis offert occaſio quàm loquendi, lacrymiſque magis quàm verbis præſentem hanc ſolemnitatem proſequendi; cùm meminerimus,

(*a*) Capuccinas, ùt vocant, Moniales in Mediolanenſem Urbem primus induxit S. Carolus Borromeus, qui extructo Cœnobio, humili quidem, ùt S. Claræ fert Inſtitutum, ſed commodis omnibus affluente, Eccleſiam quoque adjecit, primumque lapidem poſuit anno MDLXXIX. die XX. Aprilis, indictâ priùs utriuſque Cleri ſupplicatione, maximâque Civium ac Nobilium frequentiâ. Eamdem Sanctæ Praxedi Virgini dicavit, cujus ipſe Titulum Romæ gerebat; ſummoque ſemper amore proſecutus eſt haſce Virgines, utpote in illo Ordine primogenitas ſuas. Plura de hac re ſcribit Gluſſianus in Vita ejuſdem Libro V. Cap. VIII.

mus, nos in tanto dignitatis gradu conſtitutos, Chriſti Sponſæ Sanctiſſimæ Cardines eſſe, ac tam multa proinde a nobis requiri, pluſquàm a ceteris; quibus tamen minimè reſpondemus. Verùm quod ad vos ſpectat, poſtulat a nobis Archiepiſcopalè onus, humeris noſtris impoſitum, ut vobis filiabus noſtris dilectiſſimis, noſtræque fidei commiſſis conſulentes, de ea aliquid diſſeramus. Id igitur, quod noſtrum eſſet, ſicco pede tranſeuntes, de veſtri ſtatus magnitudine, ac cœleſtis gloriæ ſublimitate, deque mediis ad eam perveniendi, ex ſacri lectione Evangelii ac Sanctiſſimæ hujus Virginis imitatione, nonnulla dicemus; veſtris precibus freti, nobis a Domino Deo impetrandum, ne muneri noſtro deſimus.

Quatuor Dominus noſter in Sancto Evangelio pulcherrimas proponit Parabolas, theſauri nempe abſconditi in agro; margaritæ pretioſæ; ſagenæ miſſæ in mare; & hominis divitis patris-familias, convivium inſtruentis: Binas quidem poſtremas omittentes, priores duas tantùm attingemus. Ac primò perpendendus ſeſe nobis offert infinitus Chriſti Salvatoris noſtri amor, quo adeò noſtro captui in omnibus ſe accommodare dignatus eſt, non modo in veteri Lege, ſed èt in nova. Nam, cùm omnis noſtra cognitio ortum ducat a ſenſibus, & intellectus noſter ea dumtaxat intelligat, ad quorum notitiam per illa, quæ proponuntur a ſenſibus, ducatur; ſimus etiam nos adeò hebetes, ac obſcurata mente, ut divina atque ſpiritualia, non niſi ſenſuum ac ſenſibilium rerum medio intelligamus: Chriſtus Dominus, qui nos cœleſtibus venerat præceptis imbuere, qui Mundi doctor acceſſerat, qui de ſe ipſo longè ante prædixerat: *Ego* ſum *Dominus Deus tuus docens te utilia* (*a*), cùm ſublimibus illis myſteriis, atque divinis percipiendis arcanis eſſemus inepti, pro immenſa, qua nos diligebat, caritate, noſtris indulgens infirmitatibus, & ignorantiæ noſtræ miſertus, per ſenſibilia, nos ſpiritualia docebat, ac terrenarum rerum Parabolis, cœleſtia dogmata inſinuabat. Quis, ubi primùm id diligenter conſideret, infirmitatem ſuam maximè non defleat, & Dei ſummam dignationem pariter ac dilectionem deſinat admirari? Nam illa quidem peccati nobis gravitatem oſtendit, utpote quæ Protoparentum noſtrorum tranſgreſſionis extitit fructus, ac in nos fuit hæreditario veluti jure transfuſa; hanc verò nulla umquam poteſt

(*a*) *Iſaiæ XLVIII. v.* 17.

oratio aſſequi, quòd videlicet altiſſimus Deus adeò ſe ad viliſſimas demiſerit creaturas.

Hæc ipſa, dilectiſſimæ filiæ, Parabolarum congeries, hæc ipſa Chriſti doctrina theſaurus erat, abſconditus quidem a perfidis Phariſæorum cordibus, qui eam aſpernabantur; ſed cognitus ſanè Petro, qui a Domino quæſitus, num ab eo recedere vellet, inquit: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes* (*a*). Margarita hæc erat pretioſa; non enim ita omnes ſimul Orientis margaritæ, topatii, atque carbunculi nitent, ſicut Chriſti verba in hominum cordibus ſplendebant. Videte, quomodo in Petri & Andreæ, filiorum Zebedæi, & Matthæi, aliorumque animis fulgebat; quales illa radios ſolaribus longè ſplendidiores immittebat, cùm ex piſcatoribus prædicatores; cùm ex rudibus atque idiotis, gentium illos ac Mundi totius reddebat doctores; cùm alios quidem naves & retia, alios telonium, alios cuncta, quæ poſſidebant, relinquere compellebat, ut Magiſtrum Chriſtum ſequerentur! Ac inter margaritas quidem nonnullæ varias habent virtutes, plura ad ſe ipſas trahendi; hæc verò pretioſiſſima margarita, quantis præſtabat viribus, cùm veluti fortiſſimis quibuſdam funibus atque catenis homines ad ſe perduceret; in aliis quidem præteritæ vitæ dolorem, in aliis verò virtutum omnium ſtudium, ac diverſos mirabiles hujuſmodi effectus producendo! Sed eadem prorſus eſt nunc Chriſti doctrina, quæ fuerat tunc, ejuſdem ſanè virtutis: non eadem tamen operatur in multis, quæ tunc efficere ſolebat, eò quòd carnea eſſent illorum corda; multorum verò nunc ſaxea, ferrea ſint, atque duriſſima.

Sed Regnum Cœlorum maximus eſt etiam theſaurus, de quo in Evangelio Dominus loquitur; margarita pretioſiſſima eſt cœleſtis illa gloria, beatitudo illa perpetua, ſtatus ille bonorum omnium aggregatione completus, omnium expers malorum: theſaurus quidem abſconditus, quoniam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (*b*). O qualis theſaurus eſt Cœlum, tam multos continens theſauros, Dei & rerum omnium perfectam cognitionem, quæ Fidei ſuccedit; bonorum omnium fruitionem, quæ ſpem ſubſequitur; ac divini amoris & caritatis ardentiſſimum ignem! Quàm multis gloria illa cœleſtis ornata eſt margaritis! de qua dici-

(*a*) *Joannis VI. v. 69.* | (*b*) *I. ad Corinth. II. v. 9.*

dicitur, quòd ejus portæ nitent margaritis (*a*), aditibus patentibus. Sed quid ego Civitatis illius vobis pulchritudinem & theſaurum deſcribo? Audite Joannem, cui revelaverat Deus, eam optimè depingentem. *Et erat*, inquit, *ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide: ipſa verò Civitas aurum mundum, ſimile vitro mundo. Et fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioſo ornata. Fundamentum primum, jaſpis: ſecundum, ſapphirus: tertium, chalcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonix: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolithus: octavum, beryllus: nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: undecimum, hiacynthus: duodecimum, amethyſtus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt, per ſingulas: & ſingulæ portæ erant ex ſingulis margaritis; & platea Civitatis, aurum mundum, tamquam vitrum perlucidum* (*b*). Quales illic ſunt gemmæ, Apoſtolorum chori; quàm igniti ſapphiri, Martyrum exercitus; quàm nobiles topazii, Sancti illi Doctores; quales chryſolithi, Confeſſorum agmina; quàm candidi atque ſplendidi adamantes, Sanctiſſimarum Virginum cœtus! Inter quas omnes gemmas ſedet nunc clariſſima Virgo hæc beatiſſima Praxedes, meritorum ſuorum virtute illuc introducta. Non ita Sol inter cetera aſtra reſplendet, ùt tu Virgo Sanctiſſima, Chriſti Sponſa nobiliſſima, caſtitate virginitate & caritate tua, veluti ſplendidiſſimis radiis, fulges in Cœlo.

O qualis theſaurus, quales margaritæ ſunt, palmæ illæ cœleſtes atque coronæ, Virginibus ſacris ſtatum veſtrum ſublimem profitentibus, in cœlo diſpoſitæ, quibus nunc Dei ancilla Praxedes perfruitur; quas ejus inclytæ Sociæ in Regno poſſident Dei; quas expectatis etiam vos, ſi earum inhærentes veſtigiis, iiſdem viis, per quas ipſæ inceſſerunt, inſtiteritis! cùm, inter triplices in Cœlo Sanctis conſtitutas aureolas coronas, una etiam vobis parata ſit, Martyribus verò altera, & Doctoribus tertia.

Unde quantus theſaurus ſit ſtatus veſter, quàm pretioſa margarita, & quidem theſauris omnibus longè pretioſior, conjicite filiæ; ceteri namque amiſſi aut furto ſublati, recuperantur aliquando: at hic ſemel amiſſus, irrecuperabilis remanet ſemper. Ideo non immeritò Eccleſia Sanctiſſima, Spiritu Sancto edocta, in Sanctarum Virginum Feſtis, hujuſmodi proponit Evangelium. Et quæ pretioſior margarita, quàm pura mens in corpore puro? quæ vos Angelis ſimillimas reddit; & aliqua fortè etiam ratione ſuperiores, cùm quod illis natura conceſſit, hoc in vobis efſecerit

(*a*) *Apocalypſ. XXI. v.* 21. | (*b*) *Ibid. v.* 18. *& ſeqq.*

fecerit gratia, libero veſtræ voluntatis aſſenſui adjuncta; & quod illi in Patria retinent, hoc vos in via, in hac lacrymarum valle, inter tot diſcrimina, in impuriſſimo Mundo, in quo nil aliud eſt, quàm carnis & oculorum concupiſcentia ac vitæ ſuperbia, illibatum ſervare ſtudueritis. Illi Spiritus ſint ab omni materiæ concretione divulſi; vos in carne, extra & ſupra carnem ipſam vixeritis. O beatæ Animæ, quæ Mundi neglectis blanditiis, corporis commodis contemptis, ſtatum hunc complexæ ſunt nobiliſſimum, & ad tam nobilem proficiſcuntur coronam, quia adhærere potiùs Deo voluerunt, quàm carni! Verè theſaurus hic eſt abſconditus, quia cæcus Mundus, corruptus & ignarus, ejus pretium minimè novit; malus enim rerum æſtimator, & ſtultiſſimus arbiter, Monaſteria, quæ Paradiſi ſunt, carceres nominat; ſanctiſſimas has clauſuras, quibus, ut Deo arctiori vinculo jungamini, a Mundo penitus ſeparamini, infelices ac miſeras vocat: infeliciſſimus ipſe aſſeclas ſuos miſerrimos reddit, fumo illos ac vanitatibus paſcit, eorum oculos in primis excæcat, mendicos illos ac pauperes reddit, mille promittens, quæ nec ipſe dare valet, nec habet. Nemo verè ejus fraudes meliùs cognovit, quàm qui ab illis magis immunis & liber eſt, qui candido mentis oculo, illius mores optimè examinat. A Mundo penitus disjungi; patres & matres, fratres ac conſanguineos omnes, agnatos & amicos pro Deo relinquere; orationibus perpetuò incumbere; Deo perfectè uniri; cum Deo & Angelis loqui; jejuniis, pœnitentiis, & variis afflictionibus carnem reprimere; nihil, quod in Mundo fiat, reſcire: o quales hi ſunt theſauri! o quales margaritæ, & verè manna abſconditum, quod ſe vincenti daturum, in Apocalypſi (a) promiſit Dominus!

Sed duæ iſtæ, quas inſinuavimus, Parabolæ, cuipiam fortè videri poterunt idem præſignare, hoc uno dempto, quòd theſauri nomen in prima expreſſum, margaritæ vocabulo in ſecunda connotetur. Ad quid ergo pluribus idem ſignificantibus, fuit idem a Chriſto Domino docendum? Numquid, qui de otioſis ſingulis verbis ſtrictiſſimam eſſe reddendam rationem perhibuit, otioſa hic ipſe inſeruit, ac eodem loco, eodem tempore, coram iiſdem auditoribus eumdem ſenſum pluribus idem ſignantibus expreſſit? Abſit hoc, filiæ, procul abſit a vobis, ut quidquam ocioſum, quidquam ſuperfluum, quidquam maximis myſteriis non ple-

(a) *Apocal. II. v. 7.*

plenum, a Domino dictum fuiſſe credatis, aut duas haſce Parabolas nomine tenus exiſtimetis differre. Nam licèt & ille theſaurum invenerit, & hic margaritam; uterque ſua omnia bona diſtraxerit; uterque & ille agrum, & hic emerit margaritam: magnum tamen in utraque ſimilitudine diſcrimen eſt, & magnum item infirmitatis, & ſpei noſtræ ſolatium. In priori quippe Parabola is, qui dum agrum foderet, theſaurum invênit, nihil tunc de theſauro quærendo cogitabat, ſed caſu illum, ac præter ſpem omnem & opinionem invênit. At non ſic homo negotiator quærens bonas margaritas; nam quod magnâ diligentiâ, ac ſtudio & labore quærebat, tamdem invênit. Qua ſanè diſtinctione, duplicem nos Chriſtus ſectandæ gratiæ ſuæ ſanctiſſimæ viam edocuit, duplici ejus correſpondentem vocationi; alii enim gratiam, quàm quærunt, inveniunt; alios ſecreto quodam modo ipſa prævenit gratia: nam èt quòd illi quærant, hoc prævenientis eſt gratiæ; ſed hos majoribus quibuſdam privilegiis cumulat atque favoribus. De ea quidam non cogitantes, eâ replentur; alii ad eam anhelantes, illam conſequi promerentur; ut in illis in admirationem rapiat eorum felicitas, in his iſtorum commendetur aſſiduitas ac diligentia. O quàm illuſtrem hujus duplicis gratiæ nobis inſignes duæ Evangelicæ mulieres perhibent ſimilitudinem, Samaritana videlicet, & Cananæa! Illa namque, dum agrum foderet, theſaurum invênit; dum ad puteum accederet, vitæ fontem reperit; dum aquam vellet haurire, aquam ſalientem in vitam æternam hauſit a Chriſto (*a*): Hæc verò ſolertiſſima negotiatrix, maximo ſtudio, maximas paſſa difficultates & contradictiones, veluti canis etiam rejecta, quod quæſivit, invênit (*b*).

Animadvertite adhuc, obſecro, aliam quamdam divinæ gratiæ aſſequendæ viam, & quàm ſit omnibus Dominus liberalis attendite; nam a teneris quidam annis, illos Deo præveniente, divinis ſemper obſequiis incumbunt; alii per multos annos Mundi negotiis immerſi, tamdem convertuntur ad Dominum: & illi quidem negotiatores homines, ac veluti mercatores quærendis virtutibus a prima dediti ætate, eas inveniunt; hi verò in terra fodientes, in Mundo degentes, mirabili quadam ac repentina mutatione Deum reperiunt. Paulum conſiderate in terra fodientem, in agro Mundi verſantem, quomodo repentè theſaurum

(*a*) *Joannis IV. v. 1. & ſeqq.* | (*b*) *Matth. XV. v. 22.*

rum invênit; quomodo equo dejectus, lumine privatus, in terram proſtratus, illico ex Saulo Paulus, ex perſecutore Apoſtolus, ex vaſe perditionis factus eſt vas electionis. Spirans minarum ac cædis, in Damaſcum proficiſcebatur, ut ſi quos inveniſſet Chriſti Fidem profitentes, vinctos perduceret in Jeruſalem: & pauló poſt ingreſſus Synagogas *prædicabat Jeſum, quoniam hic eſt Filius Dei;* unde etiam *ſtupebant omnes, qui audiebant*, dicentes: *Nonne hic eſt, qui expugnabat in Jeruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud, & huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad Principes Sacerdotum* (*a*)? O qualis *hæc mutatio dexteræ Excelſi* (*b*); qualem hic non quæſitum theſaurum invênit! Porro hac ratione, filiæ, Monaſterium quædam a teneris annis Virgines ingrediuntur, & bonas margaritas quærentes pretioſam inveniunt: Aſsuetæ ſunt a pueritia ſpiritualibus rebus, Altaribus conficiendis, ornandis imaginibus, orationibus, Eccleſiis; & adveniente profeſſionis ætate, margaritam ſtatim Religionis inveniunt, quam jamdiu quærebant. Aliæ in agro verſatæ, cùm multos in conjugali ſtatu vitæ annos tranſegerint, tamdem Domino in ipſis mirabiliter operante, theſaurum inveniunt, Angelicam vitam inſtituunt, Mundi fraudes agnoſcunt, ejus horrent pericula, maris hujus timent naufragia, & ſeſe in tutiſſimum Religionis portum recipiunt. O infinitam Dei bonitatem, quæ adeò diverſimode & mirè noſtram operatur ſalutem! O quanta hinc nobis fiducia, & ſalutis æternæ ſpes provenit! cùm licèt ex iis non ſimus, quos tot gratiis tam abundanter prævênit Dominus, ut ab incunabulis divino ſint mancipati ſervitio, in terra tamen, licèt multum foderimus, adhuc theſauros invenire poſſumus maximos, quibus mendici eſſe deſinamus, ac divites efficiamur.

Sed adhuc vobis quòd dicimus, proponimus clariùs, ut differentiam hanc agnoſcatis apertiùs. Primus, dum agrum foderet, quærebat terræ fruges, laborabat, ut vitis uvas produceret, ut terra frumentum, herbas, allia, cœpas, & hujuſmodi proferret: ſudabat, & modica quærebat; ſed ecce quia incidit in theſaurum maximum, quò jam in poſterum diteſceret: Alter verò toto vitæ ſuæ tempore margaritas undequaque congerebat, & pretioſam invênit. Sic etiam inter Mundi labores quandoque Dominus iis utitur ad pertrahendas ad ſe animas; ut libera quadam videantur neceſſitate compelli, quæ tamen iis liberum non tollit

(*a*) *Act. Apoſtol. IX. v. 20. & 21.* | (*b*) *Pſalm. LXXVI. v. 11.*

tollit voluntatis uſum. Iſtud vobis exemplo clariùs patefacio. Adoleſcentulam ego quamdam honeſto loco natam agnovi, quæ cùm nubilis eſſet, id ſolum a Deo precabatur ac peroptabat, ut nobili cuidam viro traderetur; tunc ſe beatam fore putabat, tunc felicem, divitem, & ab omnibus honorandam. Laboravit, ut hoc conſequeretur: tamdem quod tam vehementer optaverat, eſt aſſecuta, illi nupſit; ſed ſtatim ecce, quia zelus eumdem invadens omnem uxori adimit libertatem, incluſam illam perpetuò detinet, nec ad Eccleſias ire permittit; prohibetque alloquium etiam cum fratribus ac propinquis. Videte autem, quomodo hiſce Mundi moleſtiis hujus adoleſcentulæ ſalutem operatus ſit Dominus; nam mortuo tamdem viro illa ſtatim Religionem ingreſſa eſt, maritalis ſtatûs calamitates, quas experta erat, ſubire denuo recuſans. Hæc honores Mundi quærebat, divitias, opes, maritum; & cùm hæc quæreret Chriſtum invênit. O felix neceſſitas, quæ tantum bonum adire compellit! O admirabilis Dei ſapientia, *quæ attingis a fine uſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuaviter* (a)! quàm dulcibus ad te funibus nos attrahis; & quoties nobis minimè cogitantibus noſtram operaris ſalutem! Felices profectò, & terque quaterque felices, quibus datum eſt, filiæ, alterà harum viarum Deo ſervire, ac ad cœleſtes palmas tranſire; vel uti Praxedes Virgo Sanctiſſima, quæ a teneris annis ſe totam tradidit Chriſto, vel uti Magdalena, cujus hodie Vigilia eſt, quæ diu peccatrix, adeò tamen dilecta poſtmodum evaſit Chriſti diſcipula!

Sed utræque inventum theſaurum, ſeu margaritam emere debent, ac pro ejus acquiſitione, quæcumque poſſident, vendere. Id verò Votis ſanctiſſimis, filiæ, aſſequimini, cùm Mundo renunciantes, omnia quæ poſſidetis, pro hoc theſauro, rejicitis, & Mundi opes atque fortunas paupertati ſanctiſſimæ, corporis commoda ac voluptates caſtitati, vos denique ipſas ac voluntates veſtras obedientiæ promptiſſimæ anteponitis. Inter quæ quidem ſanctiſſima Vota hujuſmodi eſt ordo, ut magnum ſit primum, ſecundum verò majus, maximum autem tertium; omnia tamen ad theſauri hujus emptionem neceſſaria. Porro magnum eſt, facultates relinquere, domos & agros ac omnia, quæ poſſidetis, vendere; verùm hoc alii etiam fecerunt, qui tamen nec finem, ad quem tenditis vos, ſunt aſſecuti. At majus eſt ſe-

(a) *Sap. VIII. v.* 1.

cundum, nempe carnis ac corporis renunciare voluptatibus atque deliciis. Verùm tertium eſt maximum, voluntatem videlicet ſuam Deo in holocauſtum offerre. Duo priora ſunt victimæ & ſacrificia, aut oblationes: nam primum quidem frugum terræ oblatione deſignabatur; ſecundum verò carnium & animalium victimis. At ſacrificiis omnibus & *victimis*, perhibente Domino, *melior eſt obedientia* (*a*); per victimas namque & oblationes, caro aut terrena mactantur, ſeu Domino offeruntur; per obedientiam verò, propria voluntas, qua nihil Deo carius eſſe poteſt, conſecratur; & ubi cetera duo Vota offerunt fructus, hæc, præter fructus, ipſam etiam arborem offert. His omnibus tribus, inæſtimabilem vobis hìc Religioſæ vitæ margaritam, & poſtmodum maximum cœleſtis gloriæ theſaurum comparatis; quibus etiam Angelis ipſis, imo ipſi Chriſto ſimiles eſtis, qui ſponte, cùm dives eſſet, paupertatem maximam elegit; in ea natus, rebus omnibus, quamdiu vixit, indigere voluit, ac nudus in Cruce mori; puriſſimam vitam duxit, unde innocentiſſimum Agnum, Virgines ſolùm proximè in Cœlo circumſtant, & canticum novum canunt; ejus denique cibus fuit, paternæ in omnibus voluntati obedire (*b*).

Verùm inventus theſaurus vobis eſt abſcondendus, atque diligentiſſimè ſervandus; nam quò quidquam eſt pretioſius, eò diligentiùs ſervari debet ac retineri, & abſconditus cuſtodiri, ut nemini pateat. Eſtis vos omnes, filiæ, ſi vultis, pretioſiſſimæ margaritæ, quas Dominus ut emeret, quæcumque habuit, dedit, totum etiam ipſum Sanguinem profudit; & hoc quidem cum ceteris omnibus eſt vobis commune: ſed Sponſas tamen peculiariùs ſibi vos delegit; idcirco videte, quàm velit diligenter cuſtodiri theſauros hos, qui eſtis vos. O ſanctiſſimæ crates ferreæ, o ſolitudo beatiſſima, quæ margaritas has Mundo abſcondis! O muri felices, felices claves, januæ felices, quibus tantus theſaurus includitur, ab ipſis etiam parentum oculis ereptum, ne fortè aliqua ex parte vos diſtrahant a Sponſo; adeò namque inficit Mundus, adeò eſt Deo inimicus, adeò omnia, quæ in eo ſunt, obſunt, ut ab iis omnibus ſanctiſſimæ hæ Virgines ſint diligentiſſimè cuſtodiendæ. Vinea eſtis vos Chriſti, quam his veluti ſepibus concluſit, ne pateat cuique; neve fructus, qui in ea ſunt, Dæmon ſurripiat. Sed numquid non honorandos tu Chriſte præcepiſti Parentes? Cur ergo hæc Virgo

iis,

(*a*) *I. Regum XV. v.* 22. | (*b*) *Joann. IV. v.* 34.

iis, per quos in hanc lucem eſt edita, non loquatur? Annon èt tu ſubditus fuiſti Parentibus (*a*)? Sed Parentes jam ipſæ alios, præter me, non habent: ego illis ſum pater, & mater, & frater, & ſoror; meæ ſunt omnino, ideo diligentiſſimè eas volo cuſtodiri, ne *rapiat eas quiſquam de manu mea* (*b*).

Sed debetis èt vos theſaurum veſtrum cuſtodire. Scitis autem, quomodo hoc fiat? Primò quidem Vota, quæ in emittendo ſolemnem Profeſſionem Deo voviſtis, in cordis penetralibus abſconſa retinendo, dein, quod promiſiſtis ei qui falli non poteſt, qui ſe irrideri non patitur, qui modica dantibus, æterna & infinita bona paravit, perpetuò cogitando. Ponite vobis ob oculos, filiæ, exempla Patriarchæ Franciſci, ac Claræ Virginis ſanctiſſimæ, quorum vos Regulam profitemini, & vivendi normam; eorum, ac tam multorum aliorum utriuſque ſexus, qui in ſanctiſſima hac Religione Deo ſervierunt, perpendite paupertatem voluntariam, ac in illis, quæ vos profeſſæ eſtis, ſervandis acerrimum ſtudium; &, ut eorum coronæ participes ſitis, eſtote etiam ſtudiorum imitatrices.

Verùm alia quoque ratione abſcondendus vobis eſt ſacro humilitatis velamine theſaurus earum, quas adeptæ fueritis, virtutum, & gratiarum, quas vobis conceſſerit Dominus: nam ſicut ignem vivum cineres ſervant, ita theſaurum virtutum intactum humilitas retinet; nec quidquam Dei donis magis adverſatur, quàm jactantia: odit quippe elatos animos Dominus, ac ab iis recedit, quos de ſuis muneribus videt ſe extollere. O quantum theſauro huic retinendo confert, vos Mundo ignotas a ſolo Deo cognoſci, *qui videt in abſcondito* (*c*)! Quid enim vobis polliceri a Mundo, vel a quopiam poteſtis melius, quàm a Deo; aut annon ſtultæ illæ cenſendæ ſunt, quæ modicam ab aliis laudem captantes, bonorum operum ampliſſimis ſe præmiis ſpoliant? Ideo ſanctiſſimum ſilentium, humilitatis cuſtos diligentiſſimus, Monaſteriorum propugnaculum firmiſſimum, vobis tam diſtrictè præcipitur; ne, vobis veluti gallinis poſt emiſſa ova cantantibus, Dæmon accedens virtutes & bona opera ſubripiat.

Imo etiam, ſi quando peculiariter vos conſolari Dominus dignetur, ac devotionis affectus in vobis ardentiores excitare, vel dum oratis, vel cùm Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum

Tom. II. P ii

(*a*) *Luc. II. v.* 51.
(*b*) *Joann. X. v.* 28.
(*c*) *Matth. VI. v.* 4. & 18.

tum ſumitis, ſunt ea a vobis tegenda ſilentio, nec cuiquam, niſi ſpirituali animarum veſtrarum Patri, aut Superioribus iis, quibus id ex officio incumbit, ut ſpiritus diſcernere poſſint, ſunt revelanda; delicatus enim eſt valde ſpiritus Domini, & cùm ſe vèl modicùm viderit detectum, ſtatim effugit, & aliis continentioribus animis ſeſe infundit. Hæc ſilentii virtus Religioſam vitam profitentium fidiſſima comes eſt; ſed mulierum maximè, ac præſertim Virginum præcipuum eſt ornamentum, & fidiſſimus cuſtos.

O te felicem, Praxedes Virgo Sanctiſſima, negotiatrix prudentiſſima! quæ bonas quærens margaritas, pretioſam inveniſti; quæ ambobus orbata parentibus, cum David verè dicere potuiſti: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem aſſumpſit me* (*a*); quod èt vos, filiæ, dicere potuiſtis, quas Dominus ſuſcepit in filias. O quàm nobilis fuit hæc commutatio! O quàm magna Dominus, vilia relinquentibus paravit! Te beatam, Praxedes, quæ theſaurum hunc magnum inveniſti; cùm a teneris annis divino te famulatui mancipaſti, ac nobilibus orta parentibus, divitiis pollens, ſervorum numero affluens & nobilitatem Mundi ſpreviſti, & omnia vendens pauperibus diſtribuiſti, & ſervis tuis libertatem tribuiſti (*b*), ut hanc emeres margaritam! Quæ tanto ſtudio, quamdiu vixiſti, Chriſto in ſervis ſuis ſerviviſti; cùm Chriſtianos ex omnibus locis tunc pulſos, a Tyrannis ad mortem quæſitos, variè tortos atque necatos, tu domi tuæ abſconditos retinebas; cùm pauperibus victum præſtabas, & in carcere conſtitutos conſolabaris, & cum flentibus flebas, cum vulneratis ſauciabaris, cum ſanguinem effundentibus eras exanguis, & patientibus compatiebaris. O te felicem Virgo Sanctiſſima: quæ præter cœleſtem Dei viſionem, duplici etiam merito, virginitatis nempe & martyrii, præſtitiſti, nam licèt re ipſa Martyr minimè fueris, toties tamen Martyr extitiſti, quot tu Martyribus miniſtrans condoluiſti; omnia enim tibi cum illis caritas communia faciebat.

Et videte, filiæ, quantum eſſet hujus Virginis ſtudium, nam & occiſorum Martyrum ſanguinem ſpongiis colligebat, & eorum corpora ſepeliebat; mille vitam periculis exponens, neque mortem me-

(*a*) *Pſalm. XXVI. v.* 10.

(*b*) Nonaginta ſex, ex omnibus prædiis collectos Servos, manumiſſos a Sancta Praxede fuiſſe, quos omnes in Sancto Paſchate Sacri Baptiſmatis undis abluit Pius I. Summus Pontifex, docent ejuſdem Acta apud Bollandi Sectatores ad dies XIX. Maji, & XXI. Julii.

metuens, aut Tyrannorum minas & edicta formidans. Unde èt in Tituli noſtri Eccleſia Romæ puteus adeſt, plurimorum Sanctorum ſanguine & oſſibus, a Sanctiſſima hac Virgine collectis, repletus (*a*): qui maximus nobis a Deo fuit conceſſus theſaurus.

Hanc vos imitari ſtudete; &, cùm Martyrum ſanguinem colligere non poſſitis, neque hæc ferant tempora, Sanctorum hominum, atque mulierum virtutes ſaltem imitamimi; ab aliquibus nempe humilitatem profundiſſimam, ab aliis promptiſſimam obedientiam, voluntariam paupertatem, inviolatum ſilentii ſtudium colligite. Et non modò a Sanctis iſthæc diſcite, ſed etiam a Sororibus veſtris, communem vobiſcum in Monaſterio vitam degentibus, quarum virtutes, non ad id vos impellente curioſitate, ſed ad uſum veſtrum atque profectum notate, & quid in unaquaque eluceat, obſervate; atque ea omnia in vobis excellentiſſimè poſſidere ſtudete, veluti ſolertiſſimæ apes ex omnibus ſuaviſſimum mel elicientes: ſic enim ex multis theſauris, ampliſſimum vobis comparabitis gazophylacium. Mihi credite, quia quidquid pro Domino fit, millecuplum a Domino rependitur, imo infinitè plus; *non enim ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*b*).

Te, Praxedes Virgo glorioſa, Virgines hæ ſub tuo patrocinio conſtitutæ ſuppliccs petunt, ut earum ſemper memineris, ut iis ſemper aſſiſtas, ut tuarum eas virtutum imitatrices eſſe a Domino obtineas; ut eas illis impetres palmas, quibus tu poſt breves labores, nunc in æternum frueris. Ego verò ſub tui ſanctiſſimi nominis Titulo S. R. E. Cardinalis, tuis pedibus obvolvor, quæ firmiſſimus fuiſti, dum viveres, totius Eccleſiæ, omnium Chriſti Servorum, ipſius etiam Summi Romani Pontificis Chriſti Vicarii Pii, veluti cardo, quos tu & vivos & mortuos, & afflictos & morientes, quibus potuiſti, numquam fraudaſti obſequiis: tuis mihi precibus a Domino impetra, ut dignè onus ſuſtineam, nec umquam ſuccumbam, pro dignitate munus exequar meum, tuis inhæream veſtigiis, tuarum ſim imitator præſtantiſſimarum virtutum; ut cum his filiabus meis, ac tuis, tuarum tamdem merear particeps eſſe palmarum, eo præſtante, qui cum Patre, & Spiritu Sancto regnat Deus benedictus in ſecula. Amcn. HO-

(*a*) Pompejus Ugonius in Hiſtoria Stationum Urbis, Stat. XLI. agit de Eccleſia S. Praxedis, aſſeritque, *ſub majori Altari aſſervari Corpora SS. Sororum Praxedis, & Pudentianæ, & ad ingreſſum Eccleſiæ ſub cratibus ferreis in medio navis principalis eſſe puteum Sanguinis Martyrum, a S. Praxede cum ſpongia collecti*; quem perperam S. Pudentianæ adſcribi ab Arringho Libro IV. Romæ ſubterraneæ Cap. XLIII. ex Inſcriptione ignoranter appoſita in ejuſdem Eccleſia, animadvertunt memorati Continuatores Bollandi, a quibus etiam deſcribuntur ornamenta, S. Praxedis Templo addita a S. Carolo Borromeo.

(*b*) *Ad Rom. VIII. v.* 18.

HOMILIA LV.

DE S. MARIA MAGDALENA
Habita in Eccleſia Collegiata S. Sepulchri Mediolani

Feria VI. Dominicæ VII. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XXII. JULII.



INSIGNEM præ ceteris, filii, hodiernum diem meritò quiſpiam dixerit, ac ſolemni celebritate colendum, qui omnia in eodem comprehenſa myſteria animo revolverit. Plura namque ſunt, quæ hodie ſimul conveniunt; Feria nempe ſexta eſt, qua hìc adſtantes Matronæ, atque aliæ Nobiles mulieres præcipuè huc ſolent accedere ad divina audienda colloquia, præſertim verò ea, in quibus de acerbiſſima Dominica Paſſione pro more tractatur (*a*); & Eccleſia Chriſti Domini noſtri Sepulchrum eſt nuncupata, ejuſque præcipua celebritas eſt Feſtum Sanctiſſimæ pœnitentis Mariæ Magdalenæ, quæ peccantes omnes exemplo ſuo veram pœnitentiæ normam edocuit. Sed quid Matronis hiſce, quæ tanta animi religione atque candore huc conveniunt, ac ſpiritualibus operibus deditæ vitam ducunt puriſſimam, cum Magdalena, quam Lucas mulierem in Civitate peccatricem nominat (*b*), commune? Quomodo acerbiſſima Chriſti Domini mors cum hujus celeberrimo natali congruit? Quid hujus Sanctæ glorioſo triumpho, cum turpiſſima Domini morte? Quid huic lætitiæ, cum lacrymis, quibus ea recogitanda eſt? Quid demum Chriſti ſepulturæ in viſceribus terræ, cum triumphantis Magdalenæ in cœlos ingreſſu poteſt eſſe commune? Verùm, licèt hæc omnia inter ſe

(*a*) Societatem hanc Matronarum inſtituerat S. Carolus Anno MDLXXVIII., ſtatim ac Eccleſiam S. Sepulchri Sodalitio Oblatorum tradidit. Regulas autem, ad pias exercitationes ibidem obeundas, Matronis aſſignaverat, inter quas deſcribi optabat Nobiliores Civitatis fœminas, ut ab otio, & vanis mundanæ licentiæ illecebris animos illarum averteret. Perſeverat adhuc religioſum hoc Inſtitutum, cùm ſingulis VI. Feriis ſe in ſubterraneum Sacellum colligant, ibique poſt fuſas ad Deum preces, Verbum Dei a Præpoſito Domûs excipiant, habeantque in præcipuam Patronam Sanctam Mariam Magdalenam.

(*b*) *Cap. VII. v. 37.*

ſe differre videantur, maximam tamen invicem habent connexionem: Nam & Matronæ hæ, licèt peccatrices ùt hæc, fortè non fuerint, non minus tamen Deo debent, quòd a peccatis eas præſervaverit, quàm hæc, quòd ab iiſdem emerſerit. Præterquamquod èt Magdalenæ diſcipulæ, atque imitatrices ſunt iſtæ; nam ſi harum Inſtituti eſt, Oratorium hoc frequentare, Dei verbo hìc aſſiduas eſſe, his Sacerdotibus, qui pio operi incumbunt, favere; id ſanè nemo Magdalenâ præſtitit magis, quæ & Chriſtum Dominum per Civitates & Caſtella diſcurrentem ſequebatur continuò, & victum ei neceſſarium deferebat, & eleemoſynas ob id a Fidelibus colligebat, & illum præ ceteris excipiebat hoſpitio, & Martham ſororem miniſtrare permittens, ad pedes Domini jacens, illius verbum auſcultare curabat (*a*); ut jam videre poſſitis, veſtrum Inſtitutum in ſanctiſſima hac muliere, vivis veluti expreſſum coloribus. Chriſti autem Crucis memoria quàm hodierno congruit Feſto! Quis enim ad Crucem Dominum euntem comitabatur? Magdalena. Quis eum inſequens lacrymabatur? quis illi mirum in modum compatiebatur? quis eum numquam deſeruit? quis ſtabat cum Matre ad Crucis pedem? Magdalena. Hæc fuit, quæ ad Chriſti protinus ſepulchrum acceſſit; hæc alabaſtrum unguenti pretioſi ad inungendum Dominum attulit; hæc, euntibus & redeuntibus Diſcipulis, immobilis a ſepulchro numquam receſſit; hæc a mortuis Chriſtum ſurrexiſſe prima cognovit; hæc id Apoſtolis prima nunciavit. Chriſtus huic reſurrectionis gloriam primò manifeſtavit; Chriſtus huic primum mortis, & ſepulturæ ſuæ fructum guſtandum permiſit. Quàm ergo èt vos congruè ad Feſtum hodiernum huc conveniſtis; & Dominicæ hodie Paſſionis in Eccleſia Sancti Sepulchri ſermo haberi conſuevit! Promiſeramus quidem, nos hoc mane hinc ad vos verba facturos; ſed recordati, quòd tunc temporis in Metropolitana Eccleſia de ea a Religioſo viro verba fieri ſoleant, in pomeridianum hoc tempus, id differendum cenſuimus, ut iis, quæ paſſim ſingulis quartis, & ſextis feriis hic ſolent perpendi, hodierno die ſilentio præteritis, hujus ſanctiſſimæ Mulieris Magiſtræ veſtræ, ac peccantium omnium & pœnitentium exemplaris, vitam & mores attingentes, ex ſacri etiam Evangelii lectione nonnulla tractemus, quibus ad perſeverandum in pio hoc veſtro Inſtituto non parum moveamini. Grata erunt non minus, quæ Deo dante, dicemus, quàm vobis etiam utilia; dumque ea aggredior, diligenter attendite.

Cetera in Codice deſunt.

HO-

(*a*) *Lucæ X. v.* 39.

HOMILIA LVI.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. XIX.

Videns Civitatem flevit ſuper illam.

Habita in Eccleſia Præpoſiturali Tricii (a) Diœceſis Mediolanenſis

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEM

ANNO MDLXXXIII. XXXI. JULII.

ASCENDENS, dilectiſſimi filii, Dominus Jeſus Jeroſolymam, cùm, viſis multis illius quæ præceſſerant virtutibus atque miraculis, Turbæ illum honorificentiſſimè excepiſſent, & veſtibus propriis vias, per quas erat tranſiturus, ſtraviſſent, & turmatim cum gaudio occurrentes laudarent Dominum, ac dicerent: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*b*); *pax in Cœlo*, *& gloria in excelſis* (*c*); inter tot plebis applauſus atque triumphos, in tanta & tam communi lætitia, ceteris omnibus exultantibus, ſolus Dominus jam Civitati appropinquans, ùt eam vidit, in effuſiſſimas lacrymas prorupit; ac futura magis & quæ latebant, quàm præſentem lætitiam omnium oculis patentem, mentis oculo attingens flevit ſuper Civitatem; & adeò amarè, ut lacrymis verba abrumpentibus, eorumque ſenſum celantibus, diceret: *Quia ſi cognoviſſes èt tu*, *& quidem in hac die tua*, *quæ ad pacem tibi*, *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis* (*d*). Subinde mala graviſſima illi imminentia lugens prænunciavit, qualia pridem ejuſdem ſpiritu afflatus Jeremias Propheta prædixe-

(*a*) Tricium, inſigne olim Mediolanenſium Municipium, & munitiſſimum Caſtrum, jacet in Abduæ orâ, Occidentem versùs. Celebre illud reddidere obſidiones, direptioneſque militum, utrinque peractæ, in Bello Mediolanenſium contra Federicum Ænobarbum Anno MCLIX. & MCLXVII., quas referunt Radevicus, Sire-Raul, & Triſtanus Chalcus ad eos Annos; Sicuti etiam captivitas, & mors Bernabovis Vicecomitis, a Joanne Galeatio fratris filio ibidem incluſi. Sed celebrior eſt ob derivatas ab Abdua Flumine aquas, quæ per Foſſam navigabilem Mediolanum deducuntur; magnum hoc opus inchoante Franciſco I. Sfortia Anno MCCCCLX. Diſtat Mediol. XX. millibus paſſuum, Plebis Caput, Præpoſiturâ inſignitum.

(*b*) *Matth. XXI. v. 9.*

(*c*) *Lucæ XIX. v. 38.*

(*d*) *Ibid. v. 42.*

dixerat, ac multos ante annos deploraverat. Sed Jeroſolymitana excidia deſine lacrymari Jeremia Sanctiſſime; jam enim tibi longè miſerabiliora, præſentia hæc offerunt tempora; atque eò illis majora, quò illa quidem fluxa tantùm & temporalia erant, hæc verò in extremam & ſine fine duraturam adducunt ruinam, Chriſtianorum ſcilicet multorum depravati mores, ac vitæ improbitas. Hæc, hæc tibi deflenda; ſuper eorum ingratitudine jam tu lugendi modum haud facilè reperies, ac dicere cogèris: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte (a)?* Utinam èt nos Chriſti famuli, huc ad veſtrum hodie Oppidum accedentes, vos viſitaturi, plorandi cauſam non habeamus ampliſſimam, ac a vobis honorificè heſterno die excepti, in communi lætitia fletum miſcere non compellamur, Templum veſtrum, poſt adventum noſtrum, Domini exemplo ingredientes! Quod ut minimè contingat, utile admodum fuerit, ſi quod in Judæis Chriſti lacrymas movit, ac quæ ipſi damna ſint paſſi animadvertentes, ſacri Evangelii contextum noſtro uſui applicando, quid etiam deflendum in nobis exiſtat, & peccatorum damna aliqua perpendamus: quæ duæ erunt præſentis hujuſce noſtri ſermonis partes, vobis & jucundæ, & utiles admodum futuræ, ſi dicenti mihi gratas atque attentas corporis & mentis pariter aures præbueritis.

Jeremias in matris utero ſanctificatus, Propheta, & Prophetæ filius, quæ flens antea prædixerat, poſt vidit fieri. Inter reliquas lamentationes ac lacrymas, quibus continuò Hebræi populi calamitates deflebat, ſemel maximo repletus dolore, clamavit: *Ventrem meum, ventrem meum doleo; ſenſus cordis mei turbati ſunt in me; non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii (b);* tum doloris hujuſce ſui cauſam reddidit, *quia ſtultus populus meus me non cognovit; filii inſipientes ſunt, & vecordes: ſapientes ſunt ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt (c).* Magna profectò ex ſe eſt, dilectiſſimi, calamitas ignorantiæ, quam peccato primorum Parentum, omnes quotquot ab illis deſcenderunt homines, in hæreditatem receperunt; ſed ea etiam, quæ oculis ipſis manifeſtiſſima Deus videnda proponebat, nolle aſpicere, ac ex induſtria ignorare, hoc profectò intolerabile erat. Affectata hæc Judæorum præſertim ignorantia nullis poterat dignis lacrymis deplorari: De illa enim dicebatur, quòd *cùm in honore eſſet homo non intellexerat*, ideo *comparatus fuerat*

(a) *Jerem. IX. v. 1.*
(b) *Ibidem IV. v. 19.*
(c) *Ibidem v. 22.*

rat jumentis inſipientibus, & factus ſimilis illis (*a*); hanc verò Dominus deteſtabatur per eumdem Jeremiam dicens: *Milvus in Cælo cognovit tempus ſuum; turtur, & hirundo, & ciconia cuſtodierunt tempus adventûs ſui: populus autem meus non cognovit judicium Domini* (*b*); & alibi; *Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſraël autem me non cognovit* (*c*). Hanc eorum non condonandam ignorantiam & cæcitatem etiam Moyſes Populi Dux conſiderabat, dicens: *Gens abſque conſilio eſt, & ſine prudentia. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent* (*d*)!

Eſt ſanè maximum malum ignorantia iſtiuſmodi; imo etiam malitiæ & ingratitudinis omnis origo: nam quæ neſcimus, nec mente volvimus, nullas etiam pro iiſdem gratias habemus; proinde hoc modo ignari, ſunt impiis etiam plerumque pejores, & eò magis deplorandi, quò ceteris præſunt, ac alios regunt: unde meritò Salomon dicebat: *Væ tibi terra, cujus Rex puer eſt* (*e*), hoc eſt ignarus, & rerum cognitionis expers! Sed numquid Philoſophiæ vel Artium imperitia diſplicet Deo; aut culpæ nobis tribuit, quòd ea ignoremus, ad quæ intellectûs noſtri acies nequit pertingere? Imo verò minimè; ſed potiùs quòd ea cognoſcere nolimus, quæ meridiano Sole ſunt clariora, quæ oculis videmus, quæ manibus palpamus, & ſenſibus corporis ſunt ſubjecta; cujuſmodi erant duræ cervicis atque obſtinati illi Judæi, quos eò illorum præcipitaverat malitia, ut *excæcaſſet oculos eorum* (*f*), ac intellectum penitus obſcuraſſet; ita ut quæ omnes videbant & intelligebant, ipſi nec cernerent neque intelligerent; & cùm in malum ſapientes eſſent, benè tamen facere neſcirent; multique eorum, cùm abdita quæque inveſtigarent, veritatem oculis appoſitam minimè perciperent.

Ideo flebat ſuper illos Dominus, dicens etiam ſuper eorum Civitatem, cujus ipſi filii erant & incolæ: *Quia ſi cognoviſſes & tu* (*g*). Et quid illos cognoſcere volebas Domine? Te ipſum ſanè; Viſitationis tuæ divitias, quas in Mundum accedens attuleras; Te inquam, qui Meſſias toties in lege promiſſus, eras in terram delapſus. Sed quò hæc faciliùs intelligantur, animadvertamus, obſecro, in primis, quo ea affectu dicantur, quo exprimendi modo; & qualia ſint, quæ ſic protulit Dominus. Ac quod ad affectum quidem attinet, *flens* dixit. Quo, quæſo, affectu cor illius æſtuabat hæc proferens,

(*a*) *Pſalm. XLVIII. v.* 13.
(*b*) *Jerem. VIII. v.* 7.
(*c*) *Iſaiæ I. v.* 3.
(*d*) *Deuteron. XXXII. v.* 28. *& ſeq.*
(*e*) *Eccleſiaſtis X. v.* 16.
(*f*) *Joann. XII. v.* 40.
(*g*) *Lucæ XIX. v.* 42.

ferens, cùm is, qui conſolationis & lætitiæ fœcundiſſimus fons eſt, & *flumen*, cujus *impetus lætificat Civitatem Dei* (*a*), hìc tamen lacrymas emittebat? Non illius dolorem atque mœrorem, mundanæ illæ acclamationes, non gloria excipientium vocibus ei tributa, aut ingens illa lætitia levare ulla ex parte poterant. Sed vèl exterioribus ſignis ſumma Chriſti caritas atque miſeratio ſeſe prodebat: nam quemadmodum ingens ignis latere non poteſt, ſed crumpat neceſſe eſt, ac ſe manifeſtet; ſic, quoniam *concaluerat cor* Chriſti *intra eum*, *& in meditatione ejus exarſerat ignis* (*b*), ſtillabant foris lacrymæ, & ſacratiſſimas illius genas irrigabant. Et videte, quantum illis compatiebatur, cùm plus eum aliena miſeria, quàm propria afficeret lætitia; illorum opprobria, quàm ei exhibitus honor: Quamvis autem præſens eſſet gaudium, non verò præſens eorum infortunium, poſt quadraginta tantùm annos ſuperventurum, illa tamen calamitas, iis decreta ob injurias ipſi non quidem illatas, ſed quas prævíderat inferendas, Chriſtum opprimebat. O magna miſeratio, o tenerrimus affectus, o dulciſſimum cor! Et quæ umquam mater ac nutrix unici filii, a quo nullam vexationem, ſed commoda plurima & honores maximos recepiſſet, cadaver exanime præ oculis poſitum habens ita amarè deflevit; ſicut benigniſſimus Chriſtus, illos rebelles, & omnium ingratiſſimos hoſtes ſuos ſæviſſimos, malorum contra ſe ipſum genera omnia machinantes, puniendos deploravit? Verè fuiſti illis Chriſte tu mater, tu nutrix, tu *Gallina*, quæ eos *ſub alas tuas toties congregare cupieras; ipſi verò noluerunt* (*c*).

Quem verò non moveant hodiernæ tuæ lacrymæ; cujus cor licèt duriſſimum non emolliant; cujus frigidiſſimam animam non incendant? Flet meus Chriſtus hodie; & ego ridebo; & ſtultiſſimus ego cachinnos emittam? Et exultabitis hodie vos, ac veluti hædi inſipientes, ſeu tauri per campos diſcurrentes, ſaltabitis, & choreas ducetis? O quanta Chriſti lacrymis infertur injuria! Vos ipſi conſiderate: Si flentibus vobis, alii coram vobis ſubſannarent atque irriderent, num eis non ſuccenſeretis? Et tamen Chriſtus hodie flet; eum lacrymantem audit omnis per Mundum Catholicum Eccleſia: & inter has lacrymas multi, licèt Deo dante fortè inter vos non adſint, alibi tamen choreas ducunt, ad comœdias accurrunt, ſaltant atque gaudio ſubſiliunt; divinarum immemores lacrymarum ex intimo Chriſti affectu prodeuntium.

(*a*) *Pſalm. XLV. v.* 5.
(*b*) *Pſalm. XXXVIII. v.* 4.
(*c*) *Matth. XXIII. v.* 37.

Sed qui antea cordis Judæorum duritiem ac infidelitatem toties viderat, cur hodie præcipuè, obſecro, flet? Non ſine cauſa filii: nimirum quia maximum hodie eorum curandæ infidelitati adhibuerat remedium, ſed fruſtra. Tot coram illis ante ediderat ſigna, tot fuerat operatus miracula, & nihil illis hæc omnia profuerant; quin imo multi diabolicâ hæc arte peracta calumniabantur. Et ecce quia, cùm hodie ultimum adjiciat ſtimulum ad eos excitandos, nempe multitudinis occurrentis affectum atque religionem, quæ vèl ſola illos inflammare debuiſſet, jacent tamen adhuc impietatis ſomno ſepulti; imo pejùs etiam ſe habent, nam & proprium morbum animadvertebant, incurabilem factum plagamque inſanabilem, &, cùm poſſent, opportuniſſimè illis exhibita occaſione, ad credendum hodie accendi, imo etiam Fidei proximi viderentur, ei tam honorificè occurrentes; occaſionem tamen non agnoſcentes, amiſerunt, & ſanitatem ferme conſecuti, in morbo perſtiterunt, ac mortui ſunt. Et quid mirum inter hæc omnia, ſi eorum amantiſſimus Chriſtus, ad quos tantùm curandos ſe miſſum aliàs dixerat, fleverit; & ex animi affectu, indiſtinctè, & confusè ac interruptè loqui compulſus fuerit? quod etiam majorem ejus indicabat dolorem: ſolent namque dolore confecti inter ſingultus & lacrymas, nonnulla quandoque proferre, quæ vix inter ſe ullam videntur habere connexionem. Neque, licèt ipſe agnoſceret, quis illius immenſæ lætitiæ finis eſſet futurus, ac eos, qui tunc illi acclamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini* (*a*), paulò poſt ſciret, cor & vocem mutaturos, ac qui nunc mitiſſimi agni videbantur, veluti rapaciſſimos lupos clamaturos: *Tolle, tolle, crucifige eum* (*b*); ideò tamen quiſpiam putet, illum mortem ſuam atque dolores defleviſſe; ſed Judæorum tantùm deploravit peccata, atque inde venturas miſerias; quod etiam ad Crucem pergens apertè declaravit, cùm mulieribus poſt illum euntibus & flentibus inquit: *Nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros* (*c*). Quamvis enim illa Judæorum punitio ab ipſo etiam Chriſto eſſet ventura, qui unum eſt cum Patre & Sancto Spiritu; alienum tamen ab eo & peregrinum opus eſt punire, cui *proprium eſt miſereri ſemper, & parcere*.

Sed quid flens dicis, o Chriſte? De quo tot inter, in quibus a perfidis Judæis offenderis, quereris? Num quòd te totiès injuriis affecerint, quòd tibi mortem parent acerbiſſimam? Minimè prorſus; ſed *quia ſi cognoviſſes*, inquis, *et tu*: Et quod debuiſſent hi cognoſcere,

(*a*) *Matth. XXI. v. 9.*
(*b*) *Joann. XIX. v. 15.*
(*c*) *Luc. XXIII. v. 28.*

ſcere, cujus notitiâ imminentia mala potuiſſent effugere? *Ea* nempe, *quæ ad pacem tibi*.. Verùm, cur loqui incipiens, cauſam reddere videtur, dicens *quia*; cùm nulla verba præceſſiſſent? Sed, licèt coram ipſis tacuerit, in Chriſti tamen corde multa præceſſerant: ſecum ipſe multa fuerat locutus, ac interioribus verbis, ſenſui videlicet atque intrinſeco miſerationis affectui exteriora reſpondebant, quia peccata eorum illius animum magis angebant, quàm futuræ inde miſeriæ; ac inter peccata, quòd potiſſimùm ea non cognoſcerent, quæ ſi cognoviſſent, miſeri certè non fuiſſent.

Vos feliciſſimos, Hebræi, ſi cognoviſſetis adveniſſe, quem tamdiu expectaſtis, quem tantopere deſideraſtis, Mundi Redemptorem, verum Meſſiam! Ecce enim, quia omnipotens Deus veſtrî miſertus, Filium ad vos miſerat ſuum, & non cognoviſtis eum. *Per viſcera miſericordiæ ſuæ viſitavit vos oriens ex alto* (*a*); & non recepiſtis eum. Medius veſtrùm ſtetit tot annos, tam multa contulit vobis; & eum occidiſtis. Stetit inter vos Meſſias in die magno feſtivitatis, cùm omnes certè aderatis, & quò eum magis audiretis, clamavit: *Si quis ſitit, veniat ad me* (*b*); & tamen, cùm veritatem maximè ſitiretis, accedere renuiſtis, & fontem aquæ vivæ, quantum fuit in vobis, conati eſtis deſtruere; cùm nihilominùs vos etiam ipſi videretis, quia *non fecerat* Dominus *taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtaverat eis* (*c*). Noverant Meſſiæ adventum Patres veſtri Prophetæ & Patriarchæ; deſideraverat *Abraham* Chriſti *diem videre; vidit & gaviſus eſt* (*d*). O ſi èt tu Jeroſolyma infelix, iſthæc, ùt illi, cognoſceres: ſi imminentem tibi calamitatum omnium atque miſeriarum cumulum, ùt ipſe video (ait Chriſtus) èt tu cognoſceres; quomodo certè amariſſimè fleres; qualem ageres pœnitentiam; quàm *lavares per ſingulas noctes lectum tuum, & lacrymis tuis ſtratum tuum rigares* (*e*)! Sed ecce, quia non ita innumera peccata tua, quibus me toties ad iracundiam provocaſti, deploro, quàm quòd non cognoveris, & negligens quæ tibi proſunt, oblatis remediis uti recuſaveris. Diſplicet ſanè, filii, mirum in modum Patri noſtro Deo, quòd ejus muneribus non utamur, quòd quæ appoſuit medicamenta non adhibeamus; nam èt hanc ob cauſam Petrum quidem ter ipſum negantem non reprehendit, at pedes ſibi ablui recuſantem increpavit: otioſa enim quodammodo reddimus & inutilia Dei opera, quæ certè ſummis prorſus ſunt utilitatibus

tibus

(*a*) *Lucæ I. v. 78.*
(*b*) *Joann. VII. v. 37.*
(*c*) *Pſalm. CXLVII. v. 20.*
(*d*) *Joann. VIII. v. 56.*
(*e*) *Pſalm. VI. v. 7.*

tibus redundantia; iiſque ſimiles efficimur, qui accedentem ad ſe Medicum audientes, & paratas atque exhibitas medicinas manibus accipientes, ipſo inſpectante projiciunt, ac nihilî faciunt: quod quid eſt aliud, quàm Medicum ipſum contemnere, & eum veluti artis, quam profitetur, imperitum rejicere?

Fuerant multoties Hebræi divinarum rerum ignari; ac multis ante diebus & annis ſua hac ignorantia Deum exacerbaverant: Verùm, ſi nunc ſaltem, cùm Prophetiæ omnes acceperant terminum, cùm noctem lux eliminaverat, & veritas umbram fugaverat, cognoviſſent, videbatur ferendum; & ideo ſubdit Chriſtus, *& quidem in hac die tua* (*a*), *hac* nempe *die*, qua tot tibi ad me cognoſcendum ſigna exhibentur; qua quod tantò antea Propheta tuus prædixit Zacharias, vides impletum: *Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubjugalis* (*b*); qua tot coram te miracula facio; qua mortuis tuis vitam, cæcis tuis viſum, ſurdis tuis auditum, infirmiſque tuis ſanitatem reſtituo; qua te lucidis imbuo præceptis; qua tibi ad cœleſtem patriam iter oſtendo; *hac*, inquam, *die*, quæ *tua* eſt, ad tuî ſpectans utilitatem & commoda, qua tuî tantùm quæritur ſalus. Erat, filii, illorum hæc dies, quam tamen ipſi noctem effecerant; nam palpabant in meridie velut in nocte (*c*), & lippitudine laborantes ob eorum innumera ſcelera, Juſtitiæ ſplendidiſſimum Solem videre non poterant. Imo cùm errarent, obliti finis ſui, Deum verum non agnoſcentes, etiam in ipſa ad eum via cogebantur errare; ideo, *ſi cognoviſſes*, inquit Chriſtus, *et tu, quæ ad pacem tibi* (*d*). Deſiderabant infeliciſſimi omnium mortalium Hebræi maximè pacem, qua parvæ res creſcere ſolent, qua conſervatur Religio, qua eorum ſtatum diu perdurare poſſe facilè ſperabant; & ideo de hac tantùm erant ſoliciti, ejus tantùm timebant amiſſionem: quod in cauſa erat, ut aliquando inter ſe conſultantes de Chriſti doctrina, atque ſequacibus dicerent: *Si dimittimus eum ſic; venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem* (*e*). Sed cùm pacem appellarent, quæ non erat pax, pacis etiam media ignorabant. Erat enim pax vera Chriſtus, quem ipſi neſciebant; de quo multos ante annos Iſaias prædixerat, quia *vocaretur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis; cujus imperium eſſet multiplicandum, & pacis ejus*

(*a*) *Luc. XIX. v.* 42.
(*b*) *Zach. IX. v.* 9., *& Matth. XXI. v.* 5.
(*c*) *Job V. v.* 14.
(*d*) *Luc. XIX. v.* 42.
(*e*) *Joann. XI. v.* 48.

ejus futurus non eſſet finis (*a*); de quo èt Zacharias dixerat, quòd *pacem eſſet gentibus locuturus* (*b*): qui, quo tempore univerſus Mundus pace, qualis numquam antea fuerat, fruebatur, naſci voluerat; in cujus nativitate cecinerant Angeli: *Gloria in altiſſimis Deo*, *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*c*); qui pacem venerat afferre hominibus, & æterno illos Patri reconciliare: Hunc autem cùm infelices non cognoſcerent, nihil reliquum ipſis erat, niſi ut omnino contraria acquirendæ paci media adhiberent; ipſam nempe pacem rejicientes, ipſum Principem pacis occidentes, ac ligno Crucis affigi petentes atque dicentes: *Tolle*, *tolle*, *crucifige eum* (*d*).

Sed erant hæc tunc ab eorum oculis abſcondita; nam cùm Chriſtus Sol eſſet, ipſi verò terra duriſſima & aridiſſima, cordis ſui duritiem atque obſtinationem, & malorum omnium radicem avaritiam, velut denſiſſimas nebulas opponentes, eclypſim cauſabant; ideo abſconditus erat ab ipſis Sol alioquin ſplendidiſſimus, qui radios ſuos ſuper bonos pariter emittebat, & malos; ac quæ facillimè ipſi, lege & prophetiis inſtructi, potuiſſent agnoſcere, peccato cauſante, illis erant contecta.

Numquid verò adultera Civitas Jeruſalem, quam ſibi Dominus præ ceteris elegerat, fornicationum tuarum & impietatum pœnas non dabis? *Numquid ſemper obdormiet Dominus*, *aut non adjiciet*, *ut reſurgat* (*e*)? Ipſum audi prædicentem, ac quæ brevì eventura ſunt præmonentem, ut, ſi velis pœnitere, iram ſaltem effugias; *Quis* enim *ſcit*, *ſi convertatur* Dominus, *& ignoſcat*, *& relinquat poſt ſe benedictionem* (*f*)?

Venient, inquit, *dies in te*, nempe poſt quadraginta annos, intra quos te pœnitentiam non eſſe acturam proſpicio, cùm tamen Ninivitæ nec quadraginta dies expectaverint; idcirco & cum illis mitiſſimè actum eſt, & abſtulit ab eis Dominus comminata flagella; te autem impœnitentem & contumacem, *circumdabunt inimici tui vallo*, *& circumdabunt te*, *& coanguſtabunt te undique*, *& ad terram proſternent te*, *& filios tuos*, *qui in te ſunt*, *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem* (*g*); quæ omnia, filii, ad unguem accidiſſe cognovimus, & Eccleſiaſticas hiſtorias legentibus, Joſeph in primis libros revolventibus patent, & nos aliàs enumeravimus; idque ipſamet Civi-

(*a*) *Iſai. IX. v.* 6. *& ſeq.*
(*b*) *Zach. IX. v.* 10.
(*c*) *Luc. II. v.* 14.
(*d*) *Joann. XIX. v.* 15.
(*e*) *Pſalm. XL. v.* 9.
(*f*) *Joël. II. v.* 14.
(*g*) *Luc. XIX. v.* 43. *& ſeq.*

Civitatis ruina apertè teſtatur, ac Hebræorum infelix per totum Mundum diſperſio:

Hæc autem illis contigerunt, *eò quòd non cognoverint tempus viſitationis ſuæ* (*a*), Chriſti ſcilicet viſitantis adventum.

Immenſus ſanè in miſerendo Dominus eſt; ſed qui nulla in re ſibi extitit inferior, eſt etiam in puniendo mirabilis; nam peccata non modò æternis Inferni cruciatibus, ſed temporalibus etiam quandoque punit ſuppliciis, ut ejus iram timentes peccare deſinant homines, & *fugiant* a facie peccati *quaſi a facie Colubri* (*b*); ne de ejus præſenti miſericordia ſtultè nimiùm confidentes pœnitere differant; ut eum denique metuant, qui ſicut in animas, ſic èt in corpora plenam habet poteſtatem. Peccaverat David grande peccatum, alterius ſibi uſurpans uxorem; cujus virum occidi mandaverat, tam grave ſcelus minimè cogitantem. Videte, quomodo ſtatim Prophetam ſuum Dominus ad illum miſit, ut & facinus exprobraret, & vindictam prænunciaret: *Uriam Hethæum percuſſiſti gladio, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, & interfeciſti eum gladio filiorum Ammon. Quamobrem non recedet gladius de domo tua uſque in ſempiternum, eò quòd deſpexeris me, & tuleris uxorem Uriæ Hethæi, ut eſſet uxor tua. Itaque hæc dicit Dominus: Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis hujus: Tu enim feciſti abſconditè; ego autem faciam verbum iſtud in conſpectu omnis Iſraël, & in conſpectu Solis* (*c*). Faſſus eſt peccatum ſuum David, & lectum, quem illicitè polluerat, lacrymis lavit, & ſordes fletibus abſterſit: ſed nihilominus indictam ſibi ſubiit pœnam; nam & contra patrem iniquiſſimus filius Abſalom, & cum eo univerſus ferme Iſraëliticus populus conjuravit. Quamobrem turpiſſimè ſe in fugam dedit, ac nudis pedibus, & detecto capite montes ac colles ſuperans cum paucis quibuſdam, Semei ſibi maledicentem, ac malignè exprobrantem audivit (*d*): & qui unius uxorem abduxerat, decem conjuges ſuas a filio Abſalom coram omni populo fœdiſſimè conſtupratas vidit; ac quod ipſe clam fecerat, ad majorem ignominiam redditum fuit in conſpectu Solis: Sic enim occultè ſe peccare poſſe ſperantes, punire Dominus ſolet, ut eorum detegat opprobria; ac qui peccando non erubuerunt, Mundi confuſionem poſtea ſuſtineant. Tamdem qui unicum Uriam occiderat, tres perdidit filios, Ammon natu majo-

(*a*) *Luc. XIX. v. 44.*
(*b*) *Eccli. XXI. v. 2.*
(*c*) *II. Reg. XII. v. 9. & ſeqq.*
(*d*) *Ibid. XVI.*

majorem, quem Abſalom necavit (*a*); Abſalom, qui lanceis tribus transfixus, graviſſimum Davidi patri mœrorem attulit, ut inconſolabiliter eum defleret, dicens: *Abſalom fili mi, fili mi Abſalom, quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te* (*b*)? ſciebat enim eum in peccato mortuum, æternis Inferni ignibus cruciari; Adoniam denique, quem Salomon poſt patris mortem ob affectati Regni ſuſpicionem interemit (*c*).

Ecquid vobis de his, filii, videtur? Si tam graviter punitum fuit Davidis Sanctiſſimi viri, qui erat ſecundùm cor Dei, delictum, tot lacrymis expiatum; quid a nobis expectandum eſt, niſi in Inferno noſtra eſſe punienda? Mihi credite, quia *horrendum eſt incidere in manus Dei viventis* (*d*). Reddant de hoc vobis teſtimonium hodierni Judæi: Certè clamabunt: *Ne fornicemini*, filii, *ſicut quidam ex ipſis fornicati ſunt*, *& ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentetis Chriſtum*, *ſicut quidam eorum tentaverunt*, *& a ſerpentibus perierunt. Neque murmuraveritis*, *ſicut quidam eorum murmuraverunt*, *& perierunt ab exterminatore* (*e*). Neque juſtos opprimatis, ſicut ipſi juſtiſſimum Chriſtum morti adjudicarunt, quocirca undecies centena millia ex ipſis in ore gladii, Tito & Veſpaſiano Imperatoribus, occubuerunt (*f*); neque Chriſti gratiam vili pretio vendatis, ſicut ipſi Chriſtum ementes, quorum nonaginta millia captiva vendita fuerunt. Deo vos ad ſe vocanti obedite; ne ſurdi ſitis ùt illi, qui Prophetis, Apoſtolis, ipſi denique Chriſto recuſantes obtemperare, eorum Civitatem funditùs deſtructam, nec lapidem ſuper lapidem relictum viderunt; imo in reædificatione & nomen mutatum & locum; nam & *Æliæ* ab Adriano Imperatore nomen accepit (*g*), & Calvarius Mons eſt in ea Urbe concluſus, qui extra poſitus fuerat. Hæc, filii, nobis animo ſemper inhæreant; neque illis tantùm accidiſſe temporibus crediderimus, nam etiam hujuſmodi multa ſingulis paſſim ætatibus Mundus conſpexit, quæ hìc recenſere ſi vellem, dies me præteriret, & tempus: ſed Deum timere diſcamus, & peccatum, quod ipſe adeò deteſtatur, horrere; ne èt nos, qui ejus in terris ſuſtinemus vices, deflere cogamur, ac mala nobis imminentia ominari. Sed ad alterum jam, quod a principio polliciti ſumus, accedamus; nempe ut Evangelium ipſum nobis, & noſtris hiſce temporibus accommodemus.

(*a*) *II. Reg. XIII.*
(*b*) *Ibid. XVIII. v.* 33.
(*c*) *III. Reg. II.*
(*d*) *Ad Hebr. X. v.* 31.
(*e*) *I. ad Cor. X. v.* 8. *& ſeqq.*
(*f*) Joſeph de Bell. Jud. Lib. VII. Cap. XVII.
(*g*) Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. Lib. IV. Cap. VI.

SECUNDA PARS.

Quæcumque hactenus de Jeroſolyma audiviſtis, *in figura contingebant illi; ſcripta ſunt* autem *ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum devenerunt* (*a*): Cœleſtis enim Pater Deus Unigenitum Filium ſuum Dominum Jeſum Chriſtum mittens ad humanæ Redemptionis implendum Myſterium: *Parum*, inquit, *eſt*, *ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob*, *& fæces Iſraël convertendas: Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ* (*b*). Vereor quidem, filii, ſi Jeremias ille, cujus ab initio in medium verba protulimus, viveret, & pleroſque Chriſtianos contemplaretur, ne ſuis me etiam verbis clamare compelleret: *Ventrem meum, ventrem meum doleo; ſenſus cordis mei turbati ſunt in me; non tacebo, quoniam vocem buccinæ audivit anima mea, clamorem prælii* (*c*): *væ* enim *mihi quia tacui* (*d*)! Nam *ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccina: & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt; ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram* (*e*). Clamabo igitur, filii, & non tacebo; & vèl hoc ipſo gloriabor, ſi cui veſtrûm acerbior videar atque moleſtior, dummodo hæc mea illum importunitas ad frugem redire compellat. Et *quid clamabo* (*f*)? Non aliud certè, quàm quod Jeremias (*g*), quia in populo fidei meæ commiſſo, ſtulti plurimi ſunt, qui Chriſtum non cognoſcunt, nec cognoſcere volunt. Quàm acerbè ſuper hujuſmodi, ſi adhuc inter nos viveret, Chriſtus fleret! ac ad illos converſus diceret: *Quia ſi cognoviſſetis & vos* (*h*), quæ amittitis bona, quibus vos præmiis ſpoliatis, quæ vobis paratis ſupplicia, certè fleretis. Si cognoviſſetis, o miſeri, quàm magnum ſit paternæ pietatis opus, Doctrinam Chriſtianam rudes docere, quàm nobile hoc & inſigne exercitium, utpote Chriſto ſimillimum, qui pauperum turbarum Magiſter erat; quanta in hoc a vobis adhiberetur diligentia! Si cognoviſſetis, quàm improbè agant, qui debitum ſemper, ſed potiſſimùm Feſtis diebus Deo adimunt honorem, Feſta violant, ac vèl minimi lucri causâ Deum offendunt, quomodo integros hoſce dies orationibus, audiendis concionibus, frequentandis Eccleſiis non conſumeretis? Si cognoviſſetis, quàm grave ſit animabus pondus, aliena ſubſtantia, veſtrorum

trorum

(*a*) *I. ad Cor. X. v. 11.*
(*b*) *Iſai. XLIX. v. 6.*
(*c*) *Jerem. IV. v. 19.*
(*d*) *Iſai. VI. v. 5.*
(*e*) *Ezech. XXXIII. v. 6.*
(*f*) *Iſai. XL. v. 6.*
(*g*) *Cap. IV. v. 22.*
(*h*) *Luc. XIX. v. 42.*

trorum bonorum certè contenti, illam non appeteretis, multò minus raperetis. Si cognoviſſetis, quàm turpe ſit, nobiliſſimum hominem ad Dei formatum ſimilitudinem, mille expoſitum periculis, cœleſtis patriæ hæredem (modò velit) futurum, inſtar viliſſimarum beſtiarum ſaltare, ac tripudiis incumbere, & choreas ducere, terram ſaltibus veſtris non pollueretis, quin potiùs Eccleſiam genibus tereretis. Si cognoviſſent plurimi horum temporum juvenes, & fortè etiam (quod eſt turpius) ſenes, quàm periculoſa ſint Comœdiarum ſpectacula, quales ſint Infernalium ſerpentium latebræ, qualia Dæmonum retia, quibus incautas animas illaqueant, & quòcumque lubet pertrahunt, jucundiſſima penitus libertate privatas; fugerent certè ſcenas pluſquam patibula, comœdias pluſquam Dæmones ipſos; & quas horas diabolicis illis Inventis audiendis atque ſpectandis tradunt, divinis tribuerent colloquiis & orationibus. Hæc, & his ſimilia, filii, flens diceret Chriſtus; quæ etſi etiam non diceret, tacens & flens ſolùm, plurima tamen vos ſanctiſſimis ſuis lacrymis doceret: Nam primò, qui adeò amarè & abundanter hoſtium ſuorum ærumnas deflevit, inimicis noſtris nos compati debere ſuggereret, eorum præſertim ſpiritualibus infirmitatibus atque peccatis, quibus nos intimiùs affici oportet, quàm proprii corporis incommodis & damnis; perfecta enim hoc admonet caritas, ut illorum animas magis, quàm noſtra corpora diligamus: Secundò verò, qui aliena ploravit, multò magis noſtra nobis lugenda eſſe delicta inſinuaret; ſi enim eum ita premebant aliena, quantò noſtra nobis debent eſſe graviora? Tertiò demum oſtenderet, quantus ſit hujuſmodi lacrymarum ex intimo cordis dolore provenientium fructus; in quacumque enim hora ingemuerit peccator, *omnium iniquitatum ejus non recordabitur Dominus* (*a*): Habent namque hanc lacrymæ iſtæ efficaciam, ut abluant ſordes animæ, & peccatorum vulnera ſanent; ideo mundanis calamitatibus adhibitæ non ab iis liberant ſemper, a peccatis verò numquam non ſolvunt; ideo Chriſtus in Cruce *cum clamore valido, & lacrymis exauditus eſt pro ſua reverentia* (*b*); ideo Lazarum mortuum ad vitam revocaturus, peccati ſtipendium mortem eſſe recogitans, flevit (*c*), ut nos peccata noſtra, & aliorum flere diſcamus; ac ignorantiam noſtram maximam deploremus, quòd ea non agnoſcamus, quæ *ad pacem* nobis, hoc eſt ad affluentem bonorum omnium congeriem, a Domino relicta fuerunt; quibus perfec-

(*a*) *Ezech. XVIII. v. 22.*
(*b*) *Ad Hebr. V. v. 7.*
(*c*) *Joann. XI. v. 35.*

tam cum Deo, & cum hominibus, ac cum nobis ipſis pacem obtinere poſſimus atque ſervare. Sed non percipiunt plerique Chriſtiani, ſicut nec etiam Judæi, licèt diverſimodè; nam iſti quidem non cognoſcebant, quia cæci erant; illi verò, quia dormiunt, & oculos aperire nolunt: ſiquidem Judæi Fidei lumen non habuerunt, Chriſtianis verò non deeſt viſus & lumen Fidei; ſed dormiunt, & oculos conſiderationis renuunt in illud defigere.

Et quidem *in hac die* ſua: Veniet verò tempus, cùm oculos aperire volent, ſed minimè poterunt. Cognoſcent quidem tunc, & dicent: *Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & vias difficiles ambulavimus* (*a*); ſed infructuoſa tunc ipſis erit atque inutilis hujuſmodi cognitio, & pœnitentia.

Sunt quidem dies omnes Domini; ipſe enim fecit diem ac noctem: Verùm quamdiu vivimus dies eſt noſtra, quoniam mereri poſſumus & demereri, benè facere & malè, æternam nobis beatitudinem conquirere, & ſempiternos nobis parare cruciatus; hac die poſſumus Eccleſias adire, & Sanctiſſima Sacramenta crebrò ſuſcipere, & ad Doctrinam Chriſtianam pueros edocendam incumbere, aliiſque piis operibus vacare; ſicut e converſo ludere, blaſphemare, choreas ducere, comœdias frequentare, in tabernis dies conſumere, rapere aliena, & hujuſmodi omnia facere nobis licet; ridere & flere, lætari & triſtari, gaudere & mœrere, pœnitere & peccare nobis in hac die noſtra permittitur.

Sed advertite, filii, quia ſingularis eſt dies; vita enim noſtra *tamquam dies heſterna* eſt, *quæ præteriit* (*b*); & quidquid hìc facimus, breviſſimum eſt ac temporaneum, ſive in peccatis verſemur, ſive ea defleamus: Venient autem in nos æternitatis dies, qui Domini penitus erunt, non noſtri; quibus omnis nobis adimetur operandi facultas, & factis tantùm fruemur, quæ ſi fuerint bona, o nos felices! ſin autem mala, o nos perpetuò miſerrimos! Nam *circumdabunt nos inimici noſtri vallo, & coanguſtabunt nos undique* (*c*); quas anguſtias etiam in præſenti vita miræ præcedent ærumnæ. Quibus autem *vallis* impiorum animas hìc circumdari putatis? His profectò: nulla frui pace, undique obſtringi, & conſcientiæ aculeis anguſtiari. Sed licèt magna hæc ſint, minima tamen apparent, ſi cum ceteris ſubſequentibus conferantur.

Nam te infeliciſſimum, o peccator, cùm Domini dies advenerit,

(*a*) *Sap. V. v. 6. & ſeq.*
(*b*) *Pſalm. LXXXIX. v. 4.*
(*c*) *Luc. XIX. v. 43.*

rit, hoc eſt mortis hora, qua tibi vèl invito erit hinc emigrandum! O quales anguſtiæ, quot afflictiones, quæ cauſa mœroris tunc te invadet corpore imbecillum, ſenſibus omnibus infirmum! Nec hortationes Sacerdotum audire, nec appoſitas Chriſti, & Sanctorum imagines videre valentem *circumdabunt undique* inimici Dæmones; ingentia tibi delictorum tuorum volumina proferent, in quibus etiam nolens, quidquid contra Dei legem feceris, & cogitaveris, & dixeris, legere compellèris; innumeros tibi proponent, qui nec millenam eorum, quæ tu admiſiſti, ſcelerum partem perpetrarunt, & tamen ardent in barathro; tremendam Dei juſtitiam in memoriam adducent, cui adeò ſunt exoſa peccata, ut ad ea deſtruenda Filium ſuum Unigenitum miſerit, & acerbiſſima morte mulctaverit. Qualibus tunc tu premèris anguſtiis! Vix video, cùm malè vixeris, quò te moriens recipere poſſis; ac quomodo, ſi vivens fidus Dæmonis miles extiteris, tunc Chriſti frater, & cohæres in Cœlo eſſe valeas.

Verùm cùm permittente Domino, ejuſque juſtitià id requirente, ac peccatis tuis flagitantibus, Dæmonum poteſtati traditus fueris, teque in barathrum inimici tui immaniſſimi pertraxerint; o utinam (dices) numquam natus fuiſſem! Quàm rabidè tunc patri & matri, ac ortûs tui diei maledices! Illic, illic erunt anguſtiæ, illic deſolationes; illic undique horrendis dæmonum aſpectibus eris circumdatus, & æternis mancipatus incendiis.

Et hæc omnia *eò quòd non cognoveris tempus viſitationis tuæ* (*a*); viſitat enim hìc nos multipliciter Chriſtus: Primò beneficiis, & munerum largitionibus, de quibus Propheta dicebat: *Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita nos in ſalutari tuo* (*b*); tum etiam Miniſtrorum ſuorum miſſionibus, prout vobiſcum hodie facit Deus, humilium viſitator animarum, qui per eos in quibus inhabitat, vos viſitare dignatur; ac demùm tertiò flagellis, cùm enim *derelinquunt filii ejus legem ſuam, viſitat in virga iniquitates eorum* (*c*), prout etiam vos ante ſeptennium, ſævo peſtis gladio viſitavit, cùm magna pars veſtrûm eo morbo fuit extincta, cùm omnia cadaveribus erant plena, cùm qui ſupererant, tam multa Deo ſpondebant, tam multa vota concipiebant; quorum utinam plerique jam non ſint obliti! Verùm, licèt ipſi non recordentur, tamen non obliviſcitur Deus, aut irridetur, qui & promiſſum diligentiſ-

(*a*) *Luc. XIX. v.* 44.
(*b*) *Pſalm. CV. v.* 4.
(*c*) *Pſalm. LXXXVIII. v.* 31. *&* 33.

gentiſſimè repetit, & quæ ſibi debentur vult ſtatim reſtitui. Hæ nobis ſunt viſitationes agnoſcendæ, quibus Chriſtus Dominus animarum noſtrarum *viſitat terram, & inebriat eam, & multiplicat locupletare eam* (*a*); quibus Cœli cataractæ rumpuntur, ac ampliſſimi deſcendunt gratiarum atque Spiritûs Sancti donorum imbres. Cognoſcenda inſuper immenſa Chriſti liberalitas, tam ampla nobis præmiâ, & tam promptè proponentis; quid enim ſunt Euchariſtiæ Sacramentum Sanctiſſimum, Confirmationis itidem, plenaria peccatorum omnium remiſſio, Doctrinæ Chriſtianæ inſtitutio, quæ omnia per nos hodie Dominus mittit, niſi Calix inebrians, panis enutriens, Caro vivificans, Sanguis redimens, fluvius irrigans, Spiritus ditans atque corroborans, niſi denique cœleſtes theſauri, & æternæ felicitatis præſagia?

Quare igitur moriemini, filii dilectiſſimi? Cur qui cecidit, *non adjiciet, ut reſurgat* (*b*)? cur qui peccavit, non flevit? cur qui hactenus a Domino fuerat averſus, ad eum nunc non convertetur, ut ab ipſo recipiatur? cur imminentia damna atque pericula, de quibus toties fuiſtis admoniti, fugere non ſtudebitis? Eja igitur, filii, ſurgite a peccato; credite tamdem Chriſto dicenti, *quia appropinquavit Regnum Cœlorum* (*c*), nec aliud, niſi ut pœnitentiam agatis, a vobis requirenti. *Vocavit* quidem ſæpe, *& renuiſtis; extendit manum ſuam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium ejus, & increpationes ejus neglexiſtis* (*d*).

Sed veſtra adhuc eſt dies; adhuc pœnitendi ſupereſt tempus; adhuc vos in Cruce apertis brachiis clementiſſimus Chriſtus expectat, ac clavis pedes oſtendit confixos, qui *non juſtos venit vocare, ſed peccatores* (*e*). Imitati eſtis Davidem in ſceleribus, imitati Judæos peccantes: Horum autem nolite inhærere veſtigiis, qui in peccato ſuo ſunt mortui; ſed illum potiùs pœnitentem imitamini, ut & a vobis peccata veſtra auferat Dominus, & divinæ tamdem viſionis ſuæ, ac æternæ vos beatitudinis participes faciat, ubi ipſe cum Sanctis ſuis regnat in æternum benedictus. Amen.

HO-

(*a*) *Pſalm. LXIV. v.* 10.
(*b*) *Pſalm. XL. v.* 9.
(*c*) *Matth. X. v.* 7.
(*d*) *Prov. I. v.* 24. *& ſeq.*
(*e*) *Matth. IX. v.* 13.

HOMILIA LVII.

IN EVANGELIUM LUCÆ
CAP. XII.

De Divite, cui dictum eſt:
Stulte, hac nocte animam tuam, repetunt a te &c.

Habita in Eccleſia Præpoſiturali Trivilii (a) Diœceſis Mediolanenſis

Dominica X. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. VII. AUGUSTI.

ASSUERUS Rex ille potentiſſimus, qui centum viginti ſeptem imperavit Provinciis, ut potentiæ ſuæ ac divitiarum amplitudinem oſtenderet, tertio Imperii ſui anno, grande fecit Convivium (b) omnibus Provinciarum ſuarum Principibus, Optimatibus, Ducibus, atque Magiſtratibus; illudque ad multum tempus, centum videlicet octoginta diebus: iiſque etiam expletis, ſeptem aliis diebus Convivium præparavit omni populo, & univerſæ plebi, omniſque generis hominibus, quibus innumeræ dapes, & ſapidiſſima fercula, ac generoſa vina in aureis atque argenteis vaſis proponebantur; miniſtrantibus præcipuis & primariis Regni ſui Viris. Et ille quidem terrenis cibis & vaſis, ad oſtentandam potentiæ ſuæ gloriam, tamdiu convivium protraxit. Quid mirum igitur, ſi Provinciarum omnium atque

(a) De inſigni hoc Oppido, XVIII. ab Urbe Mediolano lapide diſſito, luculentam Hiſtoriam edidit Italico idiomate Emmanuel a Laude, de Patria ſua benemeritus, utpote ab illuſtri Familia Trivilii progenitus, ac poſtmodum Collegio Canonicorum Baſilicæ Sancti Stephani Majoris in hac Metropoli adſcriptus.

(b) *Eſth. I.*

atque Regnorum Dominus Deus ſpirituale convivium, quarto jam ab hinc die inchoatum, miniſtrantibus nobis adhuc proſequitur, cùm ſpiritualia hæc adeò terrenis illis excellentiora ſint, & copioſiora? Adhuc nobiliſſimas vobis epulas hodie proponimus, nempe Sanctiſſima Euchariſtiæ & Confirmationis Sacramenta; imo ante hæc divini verbi prædicationem, quæ èt ipſa convivii hujus, ideſt Paſtoralis noſtræ viſitationis ferculum eſt ſuaviſſimum, cui in præſentiarum apponendo diſpoſiti accedimus, ut unde hæc incœpit viſitatio, ibi quoque concludatur, ac veluti obſignetur. Memores, primo convivii die, nos hinc de præparatione ad incertiſſimum mortis diem, verba feciſſe (a); eàdem etiam de re utpote præſtantiſſima, ac quæ humanarum omnium actionum eſt terminus, & totius præſentis vitæ ſcopus ac finis, hodie dicturi, Evangelii Sanctiſſimi hiſtoriam, quæ Ambroſiano ritu in hodiernam Dominicam incidit [Romanà omiſsà (b)] cùm huic argumento magis videatur accommoda, tractandam ſuſcepimus; utrobique enim idem loquitur Dominus diverſos tamen in nobis excitans pietatis affectus: in Romana quidem virtutem omnium baſim humilitatem docens; in Ambroſiana verò divitiarum vanitatem, Mundi fallaciam, ac mortis certitudinem, horæ verò & diei incertitudinem manifeſtans. Hoc quidem primum fuit a nobis (ſi meminiſtis) vobis appoſitum epulum, & hoc etiam finem Menſæ imponemus, nempe præſenti noſtræ Viſitationi; ut agnoſcentes quæ falſæ, quæve itidem veræ ſint opes, quas rejicere, & quas ſumma animi contentione congerere atque theſaurizare vobis liceat, intelligatis; ne extremo mortis die adventante, vacui atque inopes hinc emigrantes, in æternum pauperes ſitis. Ad rem igitur noſtram propiùs accedamus.

Intentus erat Salvator noſter Dominus Jeſus diſcipulis ſuis docendis, ac cœleſtibus præceptis imbuendis, cùm neſcio quis temerè

(a) Homiliam hanc, quam a ſe pronunciatam teſtatur Sanctus Carolus primo die viſitationis ſuæ in hoc Oppido, Codices noſtri non referunt.

(b) Cur Trivilium Romanis ritibus utatur, licèt Archiepiſcopo Mediolanenſi pareat, rationem affert Joſeph Vicecomes Libr. II. de Miſſæ ritibus Cap. XIV. inquiens: „ Pertinuiſſe illud „ ad jura Præpoſiti Pontiroli, qui olim ponti„ ficalibus gaudebat Inſignibus, & Epiſcopalem „ juriſdictionem exercebat, Vicarium, Carce„ res, ac Famulos habens, cunctaque Sacer„ dotia illins Plebi ſubjecta, tam citra, quàm „ ultra Abduam, in ditione non minus Vene„ ta, quàm Mediolanenſi conſerens. Sanctus verò Carolus anno MDLXXVIII. (ùt refert Gluſſianus Libr. V. Cap. II.) Canonicos, qui ibidem reſidebant, tranſtulit Pontificia auctoritate Mediolanum, eoſque Collegio Canonicorum Sancti Stephani Proto-Martyris aggregavit. Itaque, cùm Eccleſia Pontiroli, S. Joanni Evangeliſtæ dicata, Romano ritu divina Officia celebraret, Oppidum Trivilii antiquum morem in Sacris faciendis retinuit.

merè irrumpens, terrenæ potiùs hæreditatis deſiderio æſtuans, quàm conſequendæ æternæ, imprudens nimiùm (quod ante ipſum fecerat nullus) ad Chriſtum acceſſit, dicens: *Magiſter dic fratri meo, ut dividat mecum hæreditatem* (*a*). Videte, quàm hæc petitio eſſet impertinens & importuna! Venerat Chriſtus ſpiritualia largiri, & hic petebat temporalia; Regnum ejus ex hoc Mundo non erat, & hic ad Mundi hujus Regnum ſpectantia poſtulabat; & quod plus eſt, ipſum prædicantem interrumpere non dubitaverat: quanto terrenorum æſtuaret affectu apertiſſimè oſtendens, ac multorum hiſce temporibus viventium referens mores, qui ſpiritualia negligentes, de fluxis tantummodo ſoliciti ſunt, ac pro caducis anguntur; qui vèl inter divina colloquia, ad ea quibus intenti ſunt, mentes convertunt & corda, a Deo autem, & divinis rebus avertunt. Viri hujus ineptæ petitioni Chriſtus reſpondit: *O homo, quis me conſtituit Judicem, aut diviſorem ſuper vos* (*b*)? *O homo*, inquam, qui altum non ſapis, qui cùm carnalis ſis, & *animalis, quæ Spiritus Dei ſunt minimè percipis* (*c*); verè *homo*, quia conditus ex humo, totus es humus; nil niſi humum ſapis, nil niſi de terra loqueris, aut cogitas: rectè *homo*, quia humana tantùm petis a Deo, qui divina tibi donare paratus eſt: Quàm malè petis, ſi quo affectu petas, ſi quid petas, ſi a quo petas, attendis! Nam ſi animum perpendo, certè ſtimulis avaritiæ agitatus hoc petis; ſi petitionem conſidero, licèt fortè non ſit illicita, importuna tamen eſt; a me denique, qui, ut vitam homines haberent, acceſſi, ea quæ mortem plerumque illis afferunt, efflagitas. Et *quis me conſtituit Judicem?* qui non judicare veni, ſed judicari, non miniſtrare, ſed miniſtrari; aut *diviſorem inter vos*, qui pax ſum, & unitatis auctor, qui *feci utraque unum* (*d*), in quo veluti angulari lapide & hominibus Deus, & Evangelio lex, & Gentilibus Hebræi, & terra Cœlo, omnia denique ſunt ſimul conjuncta: Et tu, ut diviſionis auctor ſim, poſcis? *Quis me conſtituit diviſorem inter vos?* Aut cur a me petis, quæ a meo adeò diſtant officio, qui animarum tantùm curam ſuſcepi, & ſpiritibus ſolis præcipuè incumbo dirigendis? Quid igitur filii hodie miremini, ſi Sacerdotes & Clerici, ac divinis obſequiis mancipati, ſecularia negotia detrectant, veſtras etiam fugiunt familiaritates ac crebra colloquia: cùm non id faciant,

(*a*) *Luc. XII. v.* 13.
(*b*) *Ibid. v.* 14.
(*c*) *I. ad Cor. II. v.* 14.
(*d*) *Ad Epheſ. II. v.* 14.

eò quòd vos minimè diligant, & fratrum ac filiorum loco non habeant; ſed quia id eorum dignitas poſtulat, ac munus requirit, ut Deo tantùm vacantes cum Deo loquantur, cum Sanctis verſentur, in Eccleſiis permaneant, ſacris lectionibus & ſtudiis tempus conſumant; vobiſque exemplo ſint, ac opere pariter atque ſermone vos inſtituant? Sanctè ac probè faciunt hi, dum ſecularia fugiunt negotia atque commercia, *quibus implicari eum decet, qui militat Deo* (*a*); implent enim hæc animum & cor cupiditatibus, impediuntque vacare ſacræ lectioni & contemplationi, ùt illorum exigit ſtatus: ideo nec a vobis ſunt importunè perturbandi, ne quod huic hodie Chriſtus, hoc vobis ipſi dicere cogantur: O homines, quid nobis vobiſcum? quid occupationibus noſtris cum negotiis veſtris? Quis *nos conſtituit Judices, aut diviſores inter vos?* quomodo enim Deo ſimul vacare poterimus & vobis, aut cœleſtibus, quæ nos totos requirunt, ſimul & terrenis incumbere, ac Centauris ſimiles effici, media corporis parte humanam effigiem, alterâ verò belluinam referentibus?

Nec fuit otioſa, aut nobis inutilis iſtius poſtulatio, nam quod improbi homines faciunt, id ab oppoſito Chriſtus efficit; illi namque non modò ex malis, verùm etiam ex bonis honeſtis & licitis, ſumunt occaſiones iniqua perpetrandi. Quod utinam non tam crebrò, ùt videmus, contingeret iis, quibus feſti dies, divino cultui, ac animabus reficiendis excolendiſque dicati, anſam tribuunt peccandi, Deum irritandi, proprias animas commaculandi; dum quod tempus in Eccleſiis eſſet ſanctè conſumendum, ipſi in Civitatis plateis, in theatris & ſcenis, in Comœdiis, ac jocis obſcœnis & vanis terunt; qui non modò cor avertentes a Deo, ad quem eo præcipuè tempore pro peccatorum remiſſione, ac pro ſanctiſſimorum ejus munerum copia impetranda confugiendum fuerat, ad creaturas convertuntur: Imo et corporis partes omnes ac ſenſus, huic peſſimo implicant negotio; cùm pedes, qui ad Eccleſiam deberent accedere, currant ad ſcenam, qui debuiſſent ante Altare conſiſtere, choreas ducant, ac belluarum more ſaltitent; os, quod debuerat Deum laudare atque precari, obſcœnas cantilenas recitet, ac turpia miſceat colloquia; oculi, qui divina Myſteria, qui Chriſtum in Cruce pendentem, qui Sanctorum Imagines deberent aſpicere, his omnibus mimorum actus, hyſtrionum perſonas, infames etiam præ-

(*a*) *II. ad Tim. II. v. 4.*

præferant mulierculas; aures, quæ Deum deberent audire loquentem, eum reſpuant, & ſeſe totas excipiendis Comœdiis aut tragœdiis applicent: Omne denique id, quod feſto die dari Chriſto debuerat, ei prorſus adimunt; intellectum nempe, voluntatem, & memoriam, greſſus, auditum, & loquelam; viſum, guſtum, olfactum, & tactum; corpus denique totum cum ſenſibus ſuis, & totam animam: ut ad eos, & de eis meritò Dominus dicere poſſit, quod de uxore ſua patientiſſimus Job querebatur: *Halitum meum exhorruit uxor mea* (*a*): Sic hi prædicationem meam abominantur, ut *ſit eis odor mortis in mortem*, quæ aliis *eſt odor vitæ in vitam* (*b*): & ideo qui omnia mea mihi ſurripuerunt, de meis nihil habebunt; ſed cum eo erunt in perpetuum, cui ſe & omnia ſua donarunt, nempe cum Mundi hujus & tenebrarum Principe, ac mendacii & falſitatis patre Dæmone.

Sed contra Chriſtus Dominus Dei Filius, non ex bonis modò, ſed quoque ex malis optima ac mirabilia operandi ſumpſit ſæpe occaſionem: ſic ex hominis lapſu Incarnationis ſuæ anſam arripuit; ſic Judæ proditoris delictum, noſtræ fuit redemptionis veluti exordium; & importuna hominis hujus hodierna petitio, ei ampliſſimam propoſuit materiam, Diſcipulis ſuis, & nobis pariter omnibus ſaluberrima atque vivifica dogmata proponendi, ac malorum omnium radicem avaritiam & cupiditatem deteſtandi; ideoque ſubjunxit: *Videte & cavete ab omni avaritia* (*c*): quæ verba mecum, quæſo, perpendite, ac eorum vim ponderate. *Videte:* O quàm multa videnda ſunt, quæ ad avaritiam ſpectant! nempe præterita avarorum exempla, præſentia cupiditatis damna, æterna quæ parat incendia, perpetui ad quos ducit cruciatus, innumeræ ejus deceptiones & fraudes, ac alia mille, quæ ſi viderent homines, quàm ea parviſacerent, quæ nunc tantì æſtimant; quàm ea negligerent, quæ nunc ſibi idòla proponentes, veluti Deos adorant, aurum nempe & argentum, dum, quæcumque Deo exhibere tenentur, illis tribuunt, caritatem videlicet, fidem, ſpem, cultum, ſolicitudinem, reverentiam, & obſervantiam! *Videte* igitur, filii, hæc ſomnia, horum vanitatem, has fraudes, hos laqueos, hæc Diaboli retia, hæc duriſſima vincula, quibus ligatos & irretitos homines ducit ad mortem: *& cavete.* Certè ſi Medicus quiſpiam peritiſſimus

(*a*) *Job XIX. v.* 17.
(*b*) *II. ad Cor. II. v.* 16.
(*c*) *Luc. XII. v.* 15.

mus aliquid tamquam peſtiferum ac perniciofum, evitandum præciperet, id omni ſtudio fugerent omnes; quantâ ergo diligentiâ longè ab eo eſt recedendum, a quo Medicus Animarum Chriſtus cavere nos docet! Ideo *cavete*, inquit, & cautè fugite; nam cautus admodum & verſatus hoſtis eſt, aurum fulgens, ac argentum ſplendens, & Mundi opes: hinc cautos vos oportet eſſe, atque ſolicitos & vigilantes, ut fugiatis *ab omni avaritia*, hoc eſt non ſolùm a publica, ſed etiam a privata. Non ſatis eſt, abſtinere vos ab uſuris, pauperum operariorum mercedes non retinere, fures non eſſe, aut ſævos viarum graſſatores; ſed *cavete ab omni avaritia*, ne ulla vèl minima ejus radix in vobis permaneat; pernicioſiſſimum enim ejus eſt virus; & licèt exiguum, ubi irrepſerit, ſeſe ſtatim effundit, & enecat hominem. Ne minimam quidem hujus ignis ſcintillam in pectore veſtro contineatis; *modicus* enim *ignis magnam flammam incendit*. *Cavete* igitur *ab omni avaritia*, & magna, & parva; nec ſolùm ab aſſiduo illo augendarum per fas & nefas divitiarum ſtudio, ſed etiam ab omni hujus cupiditate, aut deſiderio; neque enim licet deſiderare, quod perperam quæritur, & ſummo cum periculo poſſidetur. Sed plerique reſpondent: Cur non curemus, ut in ſenectam nobis aliquid præparemus, quo vitam, ſi non delicioſè, ſaltem non incommodè poſſimus traducere? cùm & opes ipſæ comparatæ exhilarent animos, & longiorem corporibus quandoque vitam tribuant? Imo etiam ob hoc Chriſtus inquit: *Ab omni* præcipio *avaritia cavendum*. *Quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt, ex his, quæ poſſidet* (*a*). Ne minimum quidem vitæ veſtræ diem omnes Crœſi congeſtæ divitiæ poſſunt ſuperaddere; & cùm protrahendæ vitæ adeò ſint homines cupidi, ad hoc tamen auri & argenti copia nullum præſtat auxilium: imo officit potiùs; nam avaros iis etiam, quæ poſſident, minimè frui permittit, & communis vitæ ſolatiis privat; quod, ut apertiùs omnes intelligerent, pulcherrima appoſita ſimilitudine Dei Filius docuit, ſubdens.

Hominis cujuſdam divitis uberes fructus ager attulit (*b*). Ubi primùm, quis ſummam Dei in omnes liberalitatem atque munificentiam manifeſtè non miretur, qui [illegible] modò æter[illegible] Sanctis & Electis ſuis in Cœlo regna diſpoſu[illegible] [illegible]erùm eti[illegible] Mundo malis quoque, ac ii[illegible] qui donis [illegible]butuntu[illegible] m ipſe uber-

(*a*) *Luc. XII. v. 15.* | [illegible]*d. v. 16*

uberrima impertitur? Hic ipſe Deus homini huic diviti præſtitit, ut *uberes fructus ejus ager attulerit;* licèt ille poſtea fructuum Datorem ignorans, eos ùt debuiſſet non diſtribuerit. Agri quoque noſtri, o filii, uberrimos proferunt fructus; ſive de terreis ac temporalibus, ad literam loquentes, intelligamus; ſive de ſpiritualibus: nam quidquid elementa nobis miniſtrant, quidquid aſtra influunt, quidquid terra producit, hæc omnia a Deo proveniunt, qui & ſemina dat, & terræ vim tribuit producendi, & Soli calorem. Multi tamen, bonorum negligentes Auctorem, dicunt: *Numquid non manus noſtra fecit hæc omnia* (*a*)? & aut induſtriæ ſuæ, aut aliis cauſis accepta referunt, quæ a ſolo Deo, cauſarum omnium præcipuâ causâ, proficiſcuntur. Sed quomodo fructibus hiſce Dives hic uteretur inſpicite; nam *cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam* (*b*)? Ecce patet inordinati illius amoris, quo divitias adeò diligebat, primus fructus, nempe immoderata animi ſolicitudo; hoc enim in primis habent divitiæ, ut non habitæ diu noctuque deſiderentur, habitæ verò, anxium atque ſolicitum hominem teneant, ut nec reſpirandi ſuppetat tempus, aut quieſcendi; ſed cogitet ſemper: *Quid faciam?* Neque enim affluentia affert avaris majorem felicitatem, aut tranquillitatem, ſed potiùs ſolicitudinem atque miſeriam; *cùm* enim *ſatiatus fuerit*, *arctabitur*, *æſtuabit*, *& omnis dolor irruet ſuper eum* (*c*). Prius quippe anhelat, per avaritiam concupita congregare: & cùm quaſi in quodam ventre avaritiæ multa congeſſerit, *ſatiatus arctatur*, quia, dum anxiatur quomodo acquiſita cuſtodiat, ipſa eum ſatietas coanguſtat. Quis non miſereatur hominis tantoperè obſeſſi implicatique, & ob ipſam agri felicitatem infelicis, præſentibus bonis miſeri, futuris etiam miſerioris! Quid? Terra illi ſegetes germinat? Minimè verò, ſed gemitus. Uberem-ne ille annonæ meſſem congregat? Nequaquam; nam curas, dolores, miſerias, anguſtias coacervat; & non aliter, quàm egeni ſolent, lamentatur. Annon hanc vocem emittit, qui paupertate premitur: *Quid faciam?* unde victum, unde veſtitum conquiram? Eadem hæc verba Dives iſte profert, multiplicibus curis eroſus: quod enim alios exhilarat, hoc tabefacit avarum. Sed numquid, quæ intra ſe cogitans dicit, Deus non audit, *qui corda ſcrutatur*, *& renes* (*d*)? Imo & audit,

(*a*) *Deuter. XXXII. v. 27.*
(*b*) *Luc. XII. v. 17.*
(*c*) *Job* [illegible] 2.
(*d*) *Apoc.* [illegible] 3.

audit, & videt, penetrat, & inveſtigat, nam etiam intra ſe cogitanti, ùt poſt audietis, reſpondit. Sed a quo miſer conſilium perquirit, quid facere debeat? A ſe ipſo, nempe ab obſcurato & cæco animo ſuo. Et quodnam ab hujuſmodi fatuo conſilium poterit expectari, niſi quòd *cæcus cæco ducatum præſtans, ambo in foveam cadant* (*a*)? Quamobrem hominis fructuum multitudine locupletati pauperiem conſiderate.

Non enim, inquit, *habeo*, *quo congregem fructus meos* (*b*). Quid, quæſo, queritur, niſi quòd pauperum more *non habet;* æquè enim iis, quæ poſſidet, quàm quibus caret, indiget avarus, cui tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Habebat ille ſanè, quò fructus congregaret, ac tuto in loco reponeret, ubi ab omni eſſent alieni periculo: In pauperum ſcilicet manibus erant reponendi, ubi eos poſtea, egeſtatis tempore, cum ampliſſimo etiam fœnore reperiſſet: Ager enim fertiliſſimus ſunt pauperum manus, in quibus ſi unicum granum ſeratur, mille colliguntur in Cœlo, & quandoque etiam in hoc ſeculo. Sed conſiliarium pravum ſecutus, ſibi quoque malè conſultum audivit; *dixit* enim: *hoc faciam. Deſtruam horrea mea, & majora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mibi, & bona mea* (*c*). Rectè ſanè dixiſſet hic, ſi deſtruere ſolùm horrea potuiſſet, ſi portas confringere, ſi latentia frumenta palàm educere, ac egentibus diſtribuere; hac enim deſtructione, ampliſſima ſibi horrea & palatia ædificaſſet in Cœlo. Sed ſtultè nimis ac impiè addidit, *& majora faciam;* immanis enim & perpetuus ejus hic labor erat futurus: ſingulis quippe annis, novis & uberioribus ſupervenientibus fructibus, deſtruenda erant horrea, & denuo reædificanda. At non ſic profectò ſtatuiſſet, ſi optimam humanæ vitæ magiſtram, ac conſiliariam prudentiſſimam caritatem conſuluiſſet, hæc enim reſpondiſſet: an deſunt pauperes, *in* quorum *corde eleemoſynam concludas*, *ut ipſa pro te exoret* (*d*)? Horrea hæc a tinea, & ærugine, ac furibus tuta evadunt; his tibi tu fructibus *fac amicos de mammona iniquitatis*, *ut*, *cùm defeceris*, *recipiant te in æterna tabernacula* (*e*); ex his tibi *ſacculos* fac, *qui non veteraſcunt* (*f*): Ego tibi modum oſtendam, quo plena ſemper horrea poſſis habere, ſi *de primitiis* ſcilicet *frugum tuarum dederis pauperibus;* ſic enim *implebuntur horrea tua ſaturitate* (*g*). Sed

(*a*) *Matth. XV. v.* 14.
(*b*) *Luc. XII. v.* 17.
(*c*) *Ibid. v.* 18.
(*d*) *Eccleſiaſtici XXIX. v.* 15.
(*e*) *Luc. XVI. v.* 9.
(*f*) *Ibid. XII. v.* 33.
(*g*) *Prov. III. v.* 9. *&* 10.

Sed *deſtruam*, inquis, *borrea mea, & majora faciam;* & fortè non dicis: ſi Deo placuerit; cùm nec ſcias, an manè adhuc vives: & tamen longa ſtatuis & proponis ædificia, ſubdens: *Illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi*. Impie, cùm tibi ſoli natus non ſis, ſed etiam ceteris, omnia tamen tibi nata eſſe impudenter affirmas. Hæc terræ liberalitas, quæ pro modicis granis tot frumenti cumulos, tam amplas ſegetes, tot uvas præbuit, debuerat ſanè te largitatem docere; & tu eâ ad tenacitatem induceris: & quæ nondum habes egentibus invides, ac paras abſcondere, ne cui partem eorum facias; ac omnia bona tua illuc decernis congregare, cùm hæc omnibus communia, tibi verò, ut ea ceteris diſpenſares, Dominus dederit. Sed quorum tibi uſus tantùm & adminiſtratio committitur, furtivè ea tu tibi omnia uſurpas, ac tua vocas; non ſecùs ac ſi quis in theatro ſedilia occupet, ac deinde ſupervenientes excludat, ſibi proprium vendicans, quod omnium uſui patet. Et quo jure, quæſo Divites, veſtra ſunt hæc bona? Numquid ea vos in Mundum intuliſtis, aut inde diſcedentes auferetis (*a*)? An potiùs nudi omnes de utero eſtis egreſſi matris veſtræ, & in terram nudi revertemini (*b*)? Sed bona veſtra certè hæc ſunt, qui nulla alibi bona eſtis habituri; nam in corruptibilibus his atque terrenis omnis veſtra ſita eſt felicitas, quibus brevì pereuntibus, perpetuò futuri eritis miſeri.

Videte modò, quònam uſque miſeri Divitis ſtultitia devenerit; ait enim: *Dicam animæ meæ: Anima habes multa bona poſita in annos plurimos* (*c*). Quibus ſanè verbis quid magis admirer neſcio, an hujus ſtultitiam, corporis bona, tamquam animæ bona reputantis; an verò ignorantiam atque indignitatem, eadem bona animæ ſuæ utilia credentis, quæ ſuibus, & bobus, aliiſque hujuſmodi beſtiis fuerant proponenda! Quid enim habet anima cum hiſce bonis commune? Quæ frumenti & vini, ad ſpiritualem animæ ſubſtantiam proportio? Sed jam ſæpius dixi; iſte Dives, abuſus eâ cœleſtis ſibi comparandi theſauri opportunitate, quam Deus ampliſſimam illi dederat, epicuream ac brutalem vitam inſtituens, ſubdit: *Requieſce, comede, bibe, epulare*. Quibus verbis iſte univerſum naturæ ordinem pervertebat; ubi namque laborandum fuerat, atque *in ſudore vultûs* (*d*) cibus com-

(*a*) *I. ad Timoth. VI. v. 7.*
(*b*) *Job I. v. 21.*
(*c*) *Luc. XII. v. 19.*
(*d*) *Gen. III. v. 19.*

comparandus, hic *requieſcere* ſtatuebat; ubi eſuriendo & ſitiendo beatitudo erat comparanda (*a*), hic *comedere* deſiderabat, *bibere*, & *epulari*. O quales hic divitiarum pediſſequæ deſcribuntur, & ſociæ quàm indignæ, quàm fœdæ, quàm pernicioſæ! *otioſitas* nimirum, quæ *multam docuit malitiam* (*b*); gula quæ eſt turpiorum omnium vitiorum ſordidiſſimum; ebrietas, qua homines humanitatem exuunt; & voluptas, quæ feris & jumentis illos penitus ſimiles reddit. Ecce quales efficiat homines ſcelus avaritiæ, ut non jam ampliùs homines, ſed beſtiæ videantur; nec futuram aliam vitam exiſtiment, aut, quò ſint poſt breve hoc tempus profecturi, numquam recogitent.

At quantò magis, quàm Dives ille, debemus nos & poſſumus animæ noſtræ dicere: *Anima requieſce, comede, bibe, epulare* (*c*)! In Domino, inquam, *requieſce*, in ejus domo, ſcilicet Eccleſia; in ejus ſanctis obſequiis, in piis perficiendis operibus, in quibus ſolis eſt quies & pax; inter impios quippe continua ſunt jurgia: *bona* verò *mens*, atque conſcientia *quaſi juge convivium* eſt (*d*). Hic *comede* cibos hoſce lautiſſimos, nempe Sacratiſſimum Chriſti Domini Corpus; immaculato hoc Agno veſcere, ſuaviſſimo hoc pane utere, delicatiſſimis his paſcere carnibus: *Calicem* hunc *ſalutaris* frequenter *accipe* (*e*), Dominico ſanguine inebriare, *epulare* in hac Angelorum Menſa; *habes* enim hic non *multa*, ſed innumera, ſed infinita, ſed incomprehenſibilia bona, nempe Sacramenta Sanctiſſima, & tot ac tam multa, quæ tibi Chriſtus quotidie proponit; quibus ſi affluas, minimè te repentina Domini vox exagitabit, ùt infelicem illum Divitem, ad quem continuò inſonans, curis illum confecit aſperioribus.

SECUNDA PARS.

Cogitabat ille Dives multa intra ſe, longa ſibi vitæ commoda proponebat, annos plurimos pollicebatur; rationes ſine Domini ſui conſenſu iniens: *Dixit enim illi Deus:* (o qualis non vocatus locutor accedit!) *Deus* ille nempe, ad cujus vocem totus contremiſcit orbis terrarum; ille, qui Adam poſt peccatum, ſtatim adſuit dicens: *Adam, Adam ubi es?* (*f*) ille, inquam, qui te

(*a*) *Matth. V. v. 6.*
(*b*) *Eccleſiaſtici XXXIII. v. 29.*
(*c*) *Luc. XII. v. 19.*
(*d*) *Prov. XV. v. 15.*
(*e*) *Pſalm. CXV. v. 13.*
(*f*) *Gen. III. v. 9.*

te intra te, ſub linteaminibus, in lectulo loquentem audivit; qui quidquid mente revolviſti conſpexit; qui cogitationes tuas omnes vidit. En tibi adeſt, te compellat; & numquid, filii, placidis ſaltem verbis? Imo verò duriſſimis, imo iiſdem, quibus latro ad furcas pertrahendus ſolet vocari: exi ſceleſte.

Stulte, inquit, quo nomine peccatores omnes, & Dei inimici vocari conſueverunt; ſed tu præ ceteris *ſtultus* es, quòd abundantiam tibi vertis in occaſionem anguſtiæ & inopiæ; tibi nata putas, quæ multis nutriendis ſunt data; quòd per temporalia bona non cogitas æterna paranda; & quæ corporis ſunt, animæ bona reputas; quòd plurimos tibi vitæ annos tam ſecurè polliceris; & demum de iis ſolicitus es, quibus numquam es fruiturus, quibus neque contentus eſſes, etiam ſi diutiùs viveres. Nonne propter hæc omnia *ſtultum* meritò hunc Divitem Dominus vocat? Et profectò ſtultiſſimis omnibus ſtultior eſt avarus homo, qui corde lingit, quod canis lingua lingere nauſearet, nempe terram ſordibus inſperſam; &, cùm ſpinæ ſint divitiæ, quaſi mel ſuper ſpinas lambit, quo ſe ſatiari poſſe confidit.

Nonne ſtultus is eſſet, qui minimo vaſculo ingentem aquarum multitudinem, quæ ſunt in mari, concludere poſſe confideret? At nonne e converſo ſtultior eſt, qui ingens deſideriorum animæ vas, modicâ aquâ poſſe impleri arbitratur? Hujus claſſis avari ſunt, qui animam ad divinæ fruitionis æterna gaudia creatam, minima auri quantitate ſatiari poſſe exiſtimant, quando *ſatiari* tunc ſolùm poterit, *cùm apparebit gloria Domini* (*a*); neque verò hoc ipſo auro umquam replebitur, cùm ad ejus augmentum, ipſius etiam creſcat appetentia ac ſitis. Quis non inſanos hujuſmodi homines dicat, qui occultos diu noctuque laqueos exquirunt, quibus ſe ſtrangulent? *Cor* enim *iniqui inquirit mala* (*b*); avaro autem nihil eſt iniquius. Neque verò de ſpiritualibus tantùm laqueis loquimur, ſed id etiam quandoque de temporalibus verum eſſe comperimus; ſcimus enim pleroſque avaros eò deveniſſe, ut repletis eorum horreis frumento, & cellariis vino, adveniente abundantiâ, ſeſe laqueo ſuſpenderint atque interierint. O ſtultiſſimi, ſtultiſſimi, qui animabus & corporibus pariter ſuis tam ſolicitè mortem perquirunt, quam ceteri fugiunt atque exhorreſcunt! Sed ſponte etiam hi ſeſe ſub-

(*a*) *Pſalm. XVI. v.* 15. | (*b*) *Prov. XXVII. v.* 21.

mergunt in Infernum, ac ad æternum quotidie pergunt interitum: & eò magis ſunt ſtulti, quo inſipientiam ſuam minimè agnoſcentes, ſeſe exiſtimant ſapientes; *ſapiens* enim *ſibi videtur vir dives, pauper autem prudens ſcrutabitur eum* (*a*). Et quis amentes hujuſmodi homines eſſe non animadvertit, qui res contemptibiles plus diligunt, quàm ſe ipſos, & minima quæque maximis bonis & veriſſimis præponunt? Ideo huic homini diviti Dominus dixit: *Stulte*, *hac nocte*, eo enim tempore potiſſimùm ſunt avari ſoliciti. *Dulcis* quidem *eſt ſomnus operanti*, *ſive parum*, *ſive multum comedat: ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire* (*b*). *Hac* itidem *nocte*, quia avarus in nocte ſemper exiſtit, hoc eſt in tenebris mentis, & nil niſi ſomnians facit, unde quidquid congerit, id totum eſt ſomnium, totum falſum, totum fallax: *Dormierunt* enim *ſomnum ſuum*, *& nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis* (*c*). Quamdiu vivunt, *dormiunt viri* hi *divitiarum;* non enim ipſorum ſunt divitiæ, ſed ipſi divitiarum; non auro ipſi, ſed ipſis aurum dominatur. Hi, inquam, dormiunt, & aurum ſe habere, aut argentum & opes ſomniant: perinde ac qui ſomniando ſe Regem eſſe reputans, cùm evigilaverit, videt fodiendam ſibi eſſe terram, & panem ſudore comparandum; ſic hi, cùm ſurgendi a ſomno tempus advenerit, & ad Tribunal ſupremi Judicis accedendi, ut dati acceptique rationem exactiſſimam reddant; tunc *nihil* miſeri *invenient in manibus ſuis*, tunc ſe nudos videbunt, rebus omnibus egentes; cùmque venale ſit Cœlum, nec illud conſequatur, niſi qui emerit, abſque argento ſe invenient, fatuis virginibus ſimiles, oleum non habentibus in lampadibus ſuis: *Et ſicut ſomniat eſuriens*, *& comedit*, *cùm autem fuerit expergefactus*, *vacua eſt anima ejus: & ſicut ſomniat ſitiens*, *& bibit*, *& poſtquam fuerit expergefactus*, *laſſus adhuc ſitit*, *& anima ejus vacua eſt* (*d*); ita qui ſe divites eſſe ſomniant in hac nocte, initio ſubſequentis diei pauperes erunt. Stulti ergo eſtis, qui in divitiis ſpem omnem veſtram collocatis; qua namque hora minus cogitabitis, *repetent animas veſtras a vobis*, ut quod alteri Dominus dixit, hoc ipſe ejuſdem verbis vobis (ſi qui adeſtis hujuſmodi) ſingulis dicam: *Et repetent*, inquit Dominus; nam, licèt nolitis, eam a vobis extorquebunt. O quantus erit tunc dolor veſter, in quos adeò dira ſuperveniet repetitio! Eſt quidem acerbiſſima animæ

(*a*) *Prov. XXVIII. v.* 11.
(*b*) *Eccleſiaſt. V. v.* 11.
(*c*) *Pſalm. LXXV. v.* 6.
(*d*) *Iſai. XXIX. v.*8.

animæ a corpore ſeparatio, quæ ſe ipsâ plurimum doloris omnibus afferet. Sed quid de illis erit, quorum animæ tam multis veluti funibus atque radicibus, corpori huic & Mundo colligatæ erunt & complantatæ? Certè quò plures habet in terra arbor radices, eò difficiliùs extirpatur: Idem continget etiam animæ, quæ tam altas in terra egerit radices, ut meritò exclamaverit ille: *O mors, quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis* (*a*); & cujus viæ rectæ non ſunt in omnibus, quanto dolore, quæ adeò dilexit, amittet! Quantùm hujus viſcera diſcerpentur, ac dilaniabitur cor, cùm cogitabit: ergo aurum meum, pecunias meas relinquere cogor? Ubi ſudores mei, ubi labores, quos, quamdiu vixi, pertuli, ut hæc congererem, & nunc relinquere compellor, ac animam ſimul perdere? O aurum meum, o cor meum, in quo ego tantum ſperavi, in quo ego adeò confidebam! Cur nunc a te relinquor? O infeliciſſimam horum hominum mortem, a quibus per vim anima repetetur; qui nec Dei recordabuntur, nec animæ propriæ, ſed auri tantùm; qui cor in arca retinentes, a Deo penitus divulſum habebunt; & ideo ſine corde morientur, cor non habentes in corpore, ſed penes aurum & pecunias! At pauper & juſtus, o quàm liber & expeditus ultro animam proferet, & evolabit in Cœlum! Non hunc aurei funes retinebunt aut argentei; non terrenorum cupiditas, quibus omnibus ſemper eguit; non Mundi amor, quem ſibi ſemper adeò infenſum invènit. Huic mors erit laborum, ærumnarum, famis, ſitis, penuriæ, paupertatis, pœnarum, dolorum omnium terminus, in egreſſu ab infeliciſſimo corporis carcere. Non hic mortem veluti furem adventantem pertimeſcet, ſed lætus canet: *Nunc dimittis Domine ſervum tuum* (*b*), & ad æterna bona feſtinabit; illi verò ad æterna trahentur incendia.

Et quæ paravit cujus erunt (*c*)? Numquid hæredum? Sed èt multi ſine hæredibus decedunt; attamen adhuc viventes, cùm nullos habeant hæredes, in ſe ipſos acerrimè animadvertunt, ſibi etiam & corpori ſuo neceſſaria ſubtrahentes, ut pecunias accumulent. Quot hi ſuſtinent, quot patiuntur, ut meritò Dæmonis Martyres dici poſſint, & debeant! quæ ſi pro Chriſti nomine paterentur, o illos felices; quantam in Cœlis gloriam conſequerentur! De iſtis Eccleſiaſtes diſſerens inquit: *Conſiderans reperi*

(*a*) *Eccleſiaſtici XLI. v.* 1. | (*b*) *Lucæ II. v.* 29. | (*c*) *Ibid. XII. v.* 20.

peri èt aliam vanitatem ſub Sole. Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat, dicens: Cui laboro & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas eſt, & afflictio peſſima (*a*). Hi non modò divitiis, quas poſſident, minimè fruuntur, ſed nec ſciunt, quis ſit eas poſſeſſurus; fortè enim Fiſcus arripiet, aut filii dilapidabunt: facilè namque avarorum bona conſumunt, cùm in iis conquirendis nullum ipſi ſenſerint laborem. Erunt etiam fortè alienorum, & *relinquent alienis divitias ſuas, & ſepulchra eorum domus illorum in æternum* (*b*); *theſaurizant* enim hi, & *ignorant, cui congregabunt ea* (*c*); nam in bonis eorum alieni luxuriabuntur. Fortè etiam eorum hoſtes illa capient, qui & pro accepta hæreditate reddent defunctis convicia, & in jam mortuos opprobria jactabunt & contumelias, nedum pro earum animabus ſacrificia offerri curabunt. O infelices hos homines atque miſerrimos, qui & viventes, & mortui ſemper ærumnoſi fuerunt, & ſunt! Si dum vixerunt, ſaltem divitiis fruentes hilarem vitam duxiſſent, non æquè eſſet eorum deploranda conditio; ſed & in mediis aquis ſiti perierunt, & in maximis commodis incommoda omnia lubenter tulerunt; de quibus ſanè dicendum eſt, quod Eccleſiaſtes deplorat: *Vir, cui dedit Deus divitias, & ſubſtantiam, & honorem, & nihil deeſt animæ ſuæ ex omnibus, quæ deſiderat: nec tribuit ei poteſtatem Deus, ut comedat ex eo; ſed homo extraneus vorabit illud: Hoc vanitas & miſeria magna eſt. Si genuerit quiſpiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis ſubſtantiæ ſuæ, ſepulturâque careat: de hoc ego pronuncio, quòd melior illo ſit abortivus. Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus* (*d*). Par hujuſmodi erit divitum finis, hæc illorum hæreditas, hic opum terminus, hic exitus divitiarum.

Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in Deum dives (*e*); qui ſcilicet nimio animi affectu mundana perquirunt, qui theſauros ſuos in terra conſtituunt, nec *in Deum ſunt dives*. Eſt-ne ergo aliquis, qui rite ſit dives; & aliquis, qui non illicitè ſibi theſaurizet? Eſt certè; quiſquis *eſt in Deum dives*, quiſquis veras ſectatur divitias, quiſquis verum ſibi comparat aurum. En, quia veras ego vobis oſtendo divitias, nempe virtutes: Aurum igni-

(*a*) *Eccleſ. IV. v. 7. & ſeq.*
(*b*) *Pſalm. XLVIII. v. 11. & 12.*
(*c*) *Pſalm. XXXVIII. v. 7.*
(*d*) *Eccleſiaſtes VI. v. 2. & ſeqq.*
(*e*) *Luc. XII. v. 21.*

ignitum, eſt caritas: argentum electum, animi candor, & intentionis ac mentis puritas: gemmæ, ſunt virtutes ſpecioſiſſimæ, humilitas, patientia, obedientia, miſericordia, & hujuſmodi: Theſauri, ſunt Sanctiſſimorum Sacramentorum frequentia, pueros doctrinam Chriſtianam docere, eleemoſynas pauperibus conferre; hujuſmodi *vobis theſaurizate* filii *in Cœlo*, *ubi nec fures effodiunt*, *neque tinea demolitur* (*a*). Hæ divitiæ erunt *in Deum* & ſecundùm Deum, immarceſcibiles, non corroſioni ſubjectæ aut latrocinio: Hæ ſine ſine duraturæ opes ſunt, quas nemo tollet a vobis: Hæ non ſolicitudinem, ſed ſummam afferent animis veſtris tranquillitatem ac pacem: Hæ palatia vobis ampliſſima exſtruent in Cœlis: Hæ coronas vobis ſplendidiſſimas adornabunt: His ditati numquam egebitis, ſed ſine ſine cum Deo regnabitis, in quo ſumma erit felicitas, ac æterna beatitudo.

Patent hæ quærentibus, nec magno negotio eas ſibi quiſque comparare poteſt, ſi velit. Mercator cœleſtis Chriſtus acceſſit, qui methodum vos, modum, & viam eas congregandi verbis docuit, & exemplis: Ipſe campos indicavit, in quibus abſconditus eſt theſaurus; vobiſcum ipſe terram paratus eſt fodere, modò èt vos ligonem apprehendatis. Modicus erit labor, quia laborem vobis Chriſti tollet auxilium; ſed maximus erit theſaurus, & veſter totus; nec eum quiſquam vobis eripiet, ſed ſemper integer permanebit. Eja igitur filii; eodem animi affectu, quo avarus ad theſaurum properaret, èt vos virtutes vobis theſaurizate; cœleſtes ac divinas congregate divitias: ne *filii hujus ſeculi in generatione ſua prudentiores ſint* vobis (*b*), & ut a virtutum cumulatis opibus ad immenſos illos cœleſtis gloriæ theſauros poſſidendos tranſeatis. Amen.



HO-

(*a*) *Matth. VI. v.* 20.

(*b*) *Luc. XVI. v.* 8.

HOMILIA LVIII.
DE S. LAURENTIO
MARTYRE
Habita in ipſius Baſilica Mediolani
Feria IV. Dominicæ X. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. X. AUGUSTI.

CONGRUUM EST, dilectiſſimi filii, & nobis admodum utile, laudare Viros glorioſos, atque fortiſſimos Chriſti Athletas, quorum ſanguine per univerſum Mundum propagata eſt Dei religio; nam & illis debetur laudatio, in quibus quoque Deus laudatur, perhibente ac præcipiente Propheta: *Laudate Dominum in Sanctis ejus* (*a*); & ex eorum recitatis encomiis, nobis ad illorum terenda veſtigia ſtimuli vehementes adduntur. Inter hos verò unus hodie agonotheta Laurentius, veluti inter metalla aurum coruſcans, inter margaritas Sapphirus, inter aſtra Sol, inter Angelos Seraphim miro ſplendore effulget: quem èt inſigni quadam religione univerſalis Sancta Mater Eccleſia proſequitur, dum ejus natalitium diem, (quod præter protomartyrem Stephanum nemini alteri tribuit) ſub præcepto colendum proponit. Et quò majorem ei præſtet cultum, vigiliâ ac jejunio ſolum prævenit, & Romano ritu per octo ſubſequentes dies ſolemniter recolit, ac nos Pontificali hodie officio celebramus. Signa quidem hæc ſunt ejus, quo illum Deus Optimus Maximus eſt dignatus honore, & quem nos illi debemus ob inſignes ejus victorias, atque celeberrimos triumphos; hic enim potentiſſimos hoſtes, a quibus omnes nos, quamdiu vivimus, affligimur, virtute ſua, & Dei auxiliante gratia, quæ in ipſo, ùt paulò ante canebatur, *vacua non fuit* (*b*), vicit, fudit, profligavit. Hic Mundum illuſit, domuit Carnem, Dæmonis ictus repulit, ipſumque confudit. Hic quod Mundus adorat, neglexit; quod Caro ſuadet, deſpexit; quod

(*a*) *Pſalm. CL. v. 1.*

(*b*) *I. ad Corinth. XV. v. 10.*

quod Dæmon tentabat, rejecit. O quantus hic miles, quantus Dux potiùs & pugnandi Magiſter, quàm perfectus Chriſti diſcipulus, qui hæc omnia, Præceptoris ſui inhærens veſtigiis, & juſſa perducens ad praxim, eſt aſſecutus! Hujus Magiſtri doctrina in hodierni lectione Evangelii proponitur, ut eam nos promptis ac lætis animis excipientes, ac quomodo ille met, qui eam tradidit, in ſe ipſo expreſſerit, conſiderantes, Laurentii itidem exempla evolventes, ejus, qua ipſe perfruitur, beatitudinis èt nos poſſimus eſſe participes.

Solares radii, dilectiſſimi filii, talem retinent virtutem, ut non modò in ſuperficie terræ plurimos producant effectus, & rerum generationes ac corruptiones; ſed etiam ad intima terræ, ac ad ejus uſque centrum pertingant, ubi metalla, & alia hujuſmodi illorum influxu cauſantur. Erat verus Juſtitiæ Sol Chriſtus Dominus, qui venerat illuminare univerſum hunc Mundum; ubique prædicationis ſuæ, ac operum radios diffundebat, qui, licèt ad Hebræos potiſſimùm & oves Iſraël dirigerentur (qui in ſuperficie erant quodammodo terræ, & Cœlo ipſi, niſi per eos ſtetiſſet, propinquiores, cùm & legem ipſi, & ſacrificia, & cæremonias veras haberent) Gentilium quoque (in terræ, hoc eſt errorum Idololatriæ & ignorantiæ, ac tenebrarum centro jacentium) plurimorum corda penetrabant: Ac ſicuti idem Sol videntibus ſplendore ſuo lumen affert, ut cuncta conſpiciant; cæcorum autem, etiam ſi minimè videant, oculos & membra calore ſuo fovet; ita èt hi, licèt in tenebris verſarentur, nec quæ videnda eſſent viderent, calefiebant tamen plerumque aliquorum ex illis animi & corda, inſpectione mirabilium, quas Chriſtus operabatur, virtutum atque ſignorum. Verùm adeò divinæ Sapientiæ repugnat humana ſuperbia & ingratitudo, ut eos qui vident, cæcis efficiat pejores, ac ſapientes ſtultis inſipientiores, dum intellectùs ſui viribus plus æquo miſerrimi confidentes, ac tenuiſſimo ejus lumini innixi, divinarum rerum immenſitatem, anguſto cognitionis ſuæ vaſculo, veluti vaſtiſſimum mare exiguo loco, comprehendere tentantes atque concludere, opprimuntur a gloria, & penitus excæcantur. Accidit id ſæpe Hebræis, gentium omnium ingratiſſimis, qui cùm eſſent Dei Populus electus, ac tot fuiſſent ab ipſo beneficia conſecuti, tamen (id operante ſuperbia, atque obſtinatione) unde alii in lumine profecerunt, ipſi deficiendi occaſionem cepere; & quod alios ad Chriſtum, hoc eſt ad ſalutis portum, adduxit, ab eo illos longè ſemovit, ac naufragos fecit. Sic quæ Chriſti ſigna Gentiles commovebant, Hebræos perturbabant; & quibus illi in Chriſti

Chriſti deſiderium inflammabantur, ob eadem iſti animo angebantur, & mortem ei tamdem machinari ſtuduerunt. Hac de cauſa, cùm Jeroſolymam triumphans Dominus eſſet ingreſſus, populi atque turbarum vocibus honorificentiſſimè exceptus, clamantium: *Hoſanna: benedictus qui venit in nomine Domini* (*a*), quæ omnia Divinitatis ſuæ non minimum perhibebant teſtimonium; ac cùm univerſa Civitas eſſet commota, Phariſæi tamen non divino, ſed diabolico ſpiritu èt ipſi commoti, ac frementes cordibus, & livore tabeſcentes, intra ſe metipſos dicebant: *Videtis, quia nihil proficimus? Ecce Mundus totus poſt eum abiit* (*b*): Quinimo, ingrediente Dei Templum Domino Jeſu, ac per ipſum cæcis multis & claudis ſanitate donatis, videntes quæ fecerat ſigna, & honorificas puerorum acclamationes audientes, indignati ſunt, & dixerunt ei: *Audis, quid iſti dicunt?* Et ecce, quomodo ſublimes terræ jam deficiebant, & montes & colles humiliabantur; valles verò exaltari incipiebant: Jam centrum terræ efficaciùs, quàm ejus ſuperficies, ſolares radios percipiebat; nam erant quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant, ut adorarent in die feſto, & ad Philippum acceſſerunt, rogantes eum: *Domine, volumus Jeſum videre* (*c*). Sed quid opus erat, ut hi Philippum, aut alium quempiam rogarent, ut Jeſum viderent, quem omnes facillimè poterant conſpicere, continuò per Civitates & Caſtella diſcurrentem, populis prædicantem, ac cum hominibus converſantem? Verùm aliud hi, præterquàm illum, videre cupiebant; nempe ad eum accedere, illum propiùs inviſere, atque alloqui; non niſi magna ſibi de eo, & ab eo promittentes, de quo tam multa præſtantiſſima audierant, & cujus tot inſignia opera agnoverant.

Et hic primus in ſpirituali profectu, quem Chriſti appropinquatio deſignat, eſt gradus, ut nempe ex corde videre Jeſum deſideremus; eſt namque adeò benignus & miſericors, ut èt ipſa ſimplicia deſideria apud eum non minimi ſint ponderis, imo ea quamplurimì faciat. Mihi credite, filii: qui verè & non fictè, qui corde & non ore tantùm ſalvari deſiderat, hic ſaluti proximus eſt. Quod èt Chriſti Domini reſponſio, data Philippo & Andreæ Apoſtolis, Gentilium vota nunciantibus, apertè indicat, dum ait: *Venit hora, ut clarificetur Filius hominis* (*d*). Meritò Dominus, ipſum videre volentibus clarificationis ſuæ tempus adveniſſe reſpondet: nam ſicuti qui cubiculi ſui feneſtras recluſerit, hic adventantis illico Solis radios

(*a*) *Marci XI. v. 9. & 10.*
(*b*) *Joann. XII. v. 19.*
(*c*) *Ibid. v. 21.*
(*d*) *Ibid. v. 23.*

dios excipiet; ita qui cordis hiatus, hoc eſt deſideria aperuerant, ipſi erant, in quibus Dei Filius erat clarificandus. Præterea iis verbis mirabiles Paſſionis ſuæ fructus Dominus proponere inſtituens, ac, quanta ipſum gloria poſt Crucem maneret, oſtendere, quibuſque id mediis eſſet futurum; docere aggreditur, inde ſe clarificandum, unde ejus nomen impii Phariſæi putaverant abolendum; ac humanum genus Cruce eſſe redimendum, qua ipſi vitæ Auctorem, ſuggerente Dæmone, perdendum crediderant.

Niſi granum frumenti, inquit, *cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*a*). Qui frumenti grana in horrea reponunt, ibique tenent abſcondita, non plura, quàm quæ repoſuerint, umquam invenient; at qui ea terræ committunt, & ſerentes, Solis calori, ac terræ humiditati putrefacienda & corrumpenda exponunt, licèt projicere & ſpargere videantur, pro uno tamen grano, centum quandoque, adveniente meſſis tempore, colligunt; & quod priùs non ſine dolore projeciſſe reputabant, hoc cùm adeò vident multiplicatum, tum miro gaudio perfunduntur; quique *euntes ibant, & flebant, mittentes ſemina ſua; venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos* (*b*). Sic, ſi Chriſtus Dominus per frumenti granum expreſſus in Cœli horreis ſemper latuiſſet, quem nos redemptionis noſtræ fructum percepiſſemus? At terræ commiſſus, Cruce mortificatus, o quàm magnos attulit fructus!

Et certè divinum illud Chriſti Domini os, quod, licèt ſine arte, magna tamen ſemper loquitur cum arte, nulla magis propria ſimilitudine ſe ipſum deſignare potuiſſet, quàm hac grani frumenti: Eſt namque granum hoc Chriſtus, & ob apparentem exteriùs parvitatem, & ob ſubſtantiam latentem interiùs, & fructum exinde provenientem: Fuit enim parvus in Humanitate Chriſtus quo ad omnia, nempe in nativitate parvus, quia humillimus natus in ſtabulo, inter animalia inſipientia, hyemis tempore, intempeſta nocte, vigente maximo frigore: Parvus quo ad locum, ſcilicet Bethlehem: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda* (*c*): Parvus quo ad patriam Nazareth, quam contemnens Nathanaël dicebat: *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe* (*d*)? Parvus propter Patrem putativum: *Nonne hic eſt Fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria* (*e*)? Parvus propter Diſcipulos, quos elegit piſcato-

(*a*) *Joannis XII. v.* 24. & 25.

(*b*) *Pſal. CXXV. v.* 6.

(*c*) *Matth. II. v.* 6.

(*d*) *Joannis I. v.* 46.

(*e*) *Matth. XII. v.* 55.

catores, ac ut plurimùm plebejos, & coram ceteris viliſſimos homines, quod agnoſcens Paulus ajebat: *Tamquam purgamenta hujus Mundi facti ſumus* (*a*); & alibi: *Quæ ſtulta ſunt Mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia Mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, ut ea, quæ ſunt, deſtrueret* (*b*): Parvus propter modum ſpargendi ſuam doctrinam: *Non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis* (*c*); *placuit* enim ei *per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes* (*d*): Parvus propter res, quas prædicabat, tum quo ad intellectum humanum, quas multi Areopagitæ (*e*), concionante Paulo, audientes irridebant; unde èt ipſe Paulus, hujus doctrinæ prædicator eximius dicebat: *Quoniam & Judæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt. Nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum: Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam* (*f*); tum etiam quo ad voluntatem, prædicabat enim Chriſtus, quæ voluntati parva, hoc eſt vilia & inhonorata videbantur, ùt: *Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi èt alteram* (*g*), & hujuſmodi: Parvus propter auditores; nam turbis puſillis & vilibus ut plurimùm, ſoli etiam Samaritanæ mulieri quandoque prædicavit; & parvulis delectabatur, unde increpabat eos, qui iſtos ad ſe venire non permittebant, dicens: *Sinite parvulos venire ad me, & ne prohibueritis eos* (*h*): Parvus fuit quo ad totam vitam, & pauperrimus: *Vulpes* enim *foveas habuerunt, & volucres Cœli nidos; Filius autem hominis non habuit, ubi caput* ſuum *reclinaret* (*i*): Parvus quo ad mortem: *Cum iniquis reputatus* (*k*); parvus quo ad Crucem, infami morte condemnatus, qua qui plectebantur, *maledicti* cenſebantur *pendentes in ligno* (*l*); parvus denique quo ad ſepulturam, utpote qui non in propria, quam non habebat, ſed in aliena repoſitus fuerit. O quàm fuit parvum hoc granum! Quàm parvus, quàm humilis, quàm exilis, quàm abjectus Chriſtus homo! Sed tamen in minimo frumenti granulo latebat ſubſtantia, latebat in Humanitate Divinitas; licèt enim caro, Verbum tamen erat, & *Verbum caro factum* (*m*) erat; nec Divinitatis umquam aut corpus, aut anima ejus expers fuit; cùm numquam Humanitatem deſeruit Deitas, quæ *quod ſemel aſſumpſerat, numquam dimiſit.* Sed

(*a*) *I. ad Corinth. IV. v. 13.*
(*b*) *Ibid. I. v. 27. & ſeq.*
(*c*) *Ibid. II. v. 4.*
(*d*) *Ibid. I. v. 21.*
(*e*) *Act. XVII. v. 32.*
(*f*) *I. ad Cor. I. v. 22. & ſeq.*
(*g*) *Matth. V. v. 39.*
(*h*) *Marci X. v. 14.*
(*i*) *Matth. VIII. v. 20.*
(*k*) *Iſaiæ LIII. v. 12., & Marci XV. v. 28.*
(*l*) *Deuteron. XXI. v. 23.*
(*m*) *Joannis I. v. 14.*

Sed ſicut in frumento, non ejus medulla atque ſubſtantia, ſed exteriùs tantùm putrefit cortex, quo veluti carcere ſolutum pullulat poſtea granum ac germinat; ſic, illæſa perpetuò Divinitate permanente, Humanitas mortua, Cruci affixa, & quodammodo putrefacta, o quàm multum fructum attulit!

Neque verò hìc ego ſubtiliùs inveſtigare operæ pretium duco, num èt ſine hujuſmodi Paſſionis veluti morte hos nobis fructus Deus potuiſſet largiri, qui infinitè eſt omnipotens, & ſapiens, ac bonus; neque enim hæc hujus ſunt loci. Id mihi tantùm ſit ſatis, quod ipſe met docuit Chriſtus, quia *niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuiſſet, ipſum ſolum manſiſſet; mortuum autem multum fructum attulit* (*a*); ita ſanè, ut fructum afferret, oportuit Chriſtum pati; oportuit verò, quia ſic illi placuit, nam *ſic Deus dilexit Mundum, ut Filium ſuum Unigenitum daret* (*b*).

Sed o quàm latus hìc ſeſe mihi offert Dominicæ Paſſionis fructuum campus, quàm ampla ſeges, quàm vaſtum pelagus! qui tamen fructus nec ſunt hìc incurioſè omittendi, cùm eorum explicationis locus iſte ſit proprius. Ex iis verò nonnullos præcipuos tantùm attingemus, quos tribus comprehendemus capitibus: quòd videlicet in primis hoc granum mortuum, ideſt Chriſtus Crucifixus, a nobis mala omnia repulit: ſecundò bona nobis omnia contulit: tertiò media, quibus bona illa conſequamur, donavit, ac vias, quæ ad ea tendunt, edocuit.

Ac primùm quidem ab inimicis noſtris mala nobis innumera proveniunt, tum animæ, tum etiam corporis; ſive enim mortem, ſive infirmitates, ſive alia quæcumque, quibus expoſiti ſumus, mala conſideremus, omnia hæc ex uno & eodem peccati fonte dimanant. Multos autem, eoſque inſidioſiſſimos habemus inimicos, qui cùm Dei ſint hoſtes, nos etiam, qui Dei referimus ſimilitudinem, & ejuſdem ſumus creaturæ filiique, inteſtino odio proſequuntur, omniaque nobis mala meditantur. Hos omnes hoſtes, utpote quos noverat Patris inimicos apertos, ſapientiſſimo conſilio ſuo, ac divina prudentia Chriſtus profligavit, occìdit, deſtruxit: Non ſecus ac Jehu Rex potentiſſimus (*c*), qui omnem impii Achab ſobolem extinxit, ſeptuaginta ejus filios jubens interfici, & Sacerdotes omnes Baal e medio ſuſtulit. Sicuti autem Rex ille doloſè eos omnes occìdit, ſic Chriſtus occiſus, hoſtes noſtros omnes interemit. Ille

(*a*) *Joannis XII. v.* 24. & 25.
(*b*) *Ibid. III. v.* 16.
(*c*) *IV. Reg. X.*

congregavit omnem populum, & dixit ad eos: Achab coluit Baal parùm; ego autem colam eum ampliùs. Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & univerſos ſervos ejus, & cunctos Sacerdotes ipſius vocate ad me. Nullus ſit, qui non veniat, ſacrificium enim grande eſt mihi Baal: quicumque defuerit, non vivet. Porro Jehu faciebat hoc inſidiosè, ut diſperderet cultores Baal. Et dixit: Sanctificate diem ſolemnem Baal. Vocavitque, & miſit in univerſos terminos Iſraël, & venerunt cuncti ſervi Baal: non fuit reſiduus, ne unus quidem, qui non veniret. Et ingreſſi ſunt templum Baal: & repleta eſt domus Baal a ſummo uſque ad ſummum. Dixitque his, qui erant ſuper veſtes: Proferte veſtimenta univerſis ſervis Baal. Et protulerunt eis veſtes. Ingreſſuſque Jehu, & Jonadab filius Rechab Templum Baal, ait cultoribus Baal: Perquirite, & videte, ne quis fortè vobiſcum ſit de ſervis Domini, ſed ut ſint ſervi Baal ſoli. Ingreſſi ſunt igitur, ut facerent victimas, & holocauſta: Jehu autem præparaverat ſibi foris octoginta viros, & dixerat eis: Quicumque fugerit de hominibus his, quos ego adduxero in manus veſtras, anima ejus erit pro anima illius. Factum eſt autem cùm completum eſſet holocauſtum, præcepit Jehu militibus, & ducibus ſuis: Ingredimini, & percutite eos, nullus evadat. Percuſſeruntque eos in ore gladii, & projecerunt milites & duces; & ierunt in Civitatem Templi Baal. Et protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſſerunt, & comminuerunt eam. Deſtruxerunt quoque ædem Baal, & fecerunt pro ea latrinas uſque in diem hanc (*a*). Eadem ratione Chriſtus ab inimicis Dei Dæmonibus creditus tantùm homo, Phariſæorum medio morti adjudicatus, illos omnes profligavit, eorum abſtulit arma, & peccati vires debilitavit: ſicque qui Protoparentes noſtros in ligno devicerat, eſt victus in ligno ipſe cum omnibus ejus ſatellitibus, & acerrimis hoſtibus noſtris.

Inter omnes autem ſpirituales animæ noſtræ hoſtes, nullus eſt peccato dirior atque crudelior, quo extincto, nihil eſt quod nobis adverſari poſſit; ſublatâ namque causâ, effectus omnes tolluntur, & diruto fundamento, quæcumque fuerunt ſuperædificata, mox quaſſantur & prolabuntur. Ut autem ſi quis alterum habet inimicum, quotquot illi adhærent, ejuſdem adverſarium odiſſe ſolent & perſequi; ſic non modò peccatum, ſed èt quæcumque a peccato proveniunt, illive aliqua ratione cohærent, nobis ſunt inimica: Unde èt mors hoſtis eſt noſter, quæ peccati fuit effectus; *per unum* enim *hominem peccatum in hunc Mundum intravit, & per peccatum mors* (*b*); eàdemque ratione Infernus, qui extremum eſt peccati ſupplicium, & pœ-

(*a*) *IV. Regum X. v. 28. & ſeqq.* | (*b*) *Ad Rom. V. v. 12.*

& pœnarum æternarum locus, iis præparatus, qui peccato ſervierint: Dæmon quoque inter inimicos noſtros adnumeratur, acerbiſſimus quidem peccatorum omnium inſtigator atque conſultor: Caro demum noſtra, dæmonis ſatelles vaſerrimus, graviſſimè nobis inſidiatur, & eò perniciosiùs, quò magis occultè atque latenter, & veluti amica plerumque reputata ab hominibus.

Præter hos autem, alios nullos habent homines adverſarios; nam quos ipſi inimicos appellant, ſi rectè ſaperent, potiùs vocarent amicos, cùm ab ipſis longè plura quandoque, quàm ab amicis beneficia ſpiritualia recipiant, veriſſimumque ſit illud, quod Sanctiſſimus Epiſcopus Chryſoſtomus docuit: *Neminem a quopiam lædi, niſi a ſemetipſo.*

Ab omnibus, quos ſupra numeravimus, hoſtibus, ſua nos Cruce ac morte, Chriſtus cadens in terram ac mortuus, liberavit. A peccato namque per ipſum liberandos nos Propheta prædixerat: *Deponet* omnes *iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra* (*a*). Idcirco *de peccato* Chriſtus *damnavit peccatum in carne* (*b*); hoc eſt illorum perpeſſione, quæ in Mundum peccati labes intulerat. Quam quidem peccati deſtructionem lepræ purgatio in Levitico deſcripta figurabat (*c*); lepra namque corporis, peccatum ſignificabat, quod eſt animæ lepra: Hæc autem lepra ſic mundabatur. Primo die duæ aves offerebantur ſuper altare in ſacrificium extra Caſtra, aut Civitatem, quarum una occidebatur in vaſe fictili ſuper aquas viventes, ita ſcilicet, ut ſanguis ipſius aquis viventibus permiſceretur: Alia verò avis viva alligata ligno cedrino, cum cocco & hyſſopo tingebatur in ſanguine paſſeris occiſi, ſicque aſpergebatur ſepties is, qui mundandus erat, & viva avis, ut avolaret, dimittebatur. Hiſce duabus avibus, quæ ſimilitudinem aliquam habent cum hircis duobus, qui offerebantur a populo in die expiationis, deſignabatur duplex natura in Chriſto; Divina, quæ mori neſciens, Chriſtum in Cœlum ſubvexit; & Humana, qua pro nobis mortuâ, & Sanguine Chriſti, cum aqua profluente ex latere ipſius, peccata delentur eorum, qui per Fidem, & Sacramentorum participationem hoc Sanguine aſperguntur; lignum autem cedrinum impotabile & odoriferum, lignum Crucis ſignabat: hyſſopus verò Chriſti Corpus, virtutem habens curativam: coccus exprimebat caritatem,

(*a*) *Mich. VII. v.* 19.
(*b*) *Ad Rom. VIII. v.* 3.
(*c*) *Levit. XIV.*

tem, quæ Humanam Chriſti naturam cum Divina per avem vivam ſignificatâ, Cruci affixit & alligavit. Sicque a fœtida hac lepra mundati, a peccato ſumus Chriſti Cruce liberati; nec a culpis in dies per nos commiſſis ſolvi valemus ſine Fide Paſſionis Chriſti in Cruce: unde ipſum Pœnitentiæ Sacramentum nunc a nobis neceſſariò adhibendum, quemadmodum èt cetera, e Chriſti latere quoque profluxit.

Mortem pariter Chriſtus *moriendo deſtruxit* (*a*); unde èt ad illam per Prophetam loquens antea dixerat: *Ero mors tua o mors, morſus tuus ero, Inferne* (*b*); non quòd ulteriùs ſtatutum non ſit omnibus hominibus ſemel mori, cùm nihil morte ſit certius, & ipſe Dei Filius mortem ſubierit; ſed quòd Chriſti morte, noſtræ ſit ablata amaritudo; & cujus fuerat olim amariſſima vèl ipſa recordatio, nunc ſit dulcorata, & Fidelibus in Domino morientibus facta non mors, ſed moriendi finis, & perpetuæ beatæque vitæ principium, laborum omnium terminus, carceris egreſſus, in Patriam reditus. Prӕterquàmquod etiam a morte per Chriſtum Crucifixum nos eſſe liberandos Apoſtolus docet, cùm ait: *Noviſſima inimica deſtruetur mors* (*c*); hoc eſt in communi corporum reſurrectione, mortem eſſe deſtruendam, quæ jam in hominibus ab eo die locum habere non poterit.

Chriſtus moriens Infernum quoque confregit, & veluti fortiſſimus Samſon æreis illius portis ſublatis, ipſum ſpoliavit, quem antea alloquens Propheta, id ipſum prædixerat vaticinans: *Tu quoque in Sanguine Teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua* (*d*). Hinc ab Inferorum ſuppliciis per Chriſtum nos eſſe eximendos, Vas electionis Paulus apertè declarat, cùm ait: *Nihil nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundùm carnem ambulant. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Jeſu* (*e*).

Dæmonem inſuper puſillus ſtaturâ hic David, Cruci affixus, veluti alterum, ſed longè truculentiorem, Goliam proſtravit; hic eſt enim, de quo Sanctiſſimus Jeremias prædixerat: *Quomodo confractus eſt, & contritus malleus univerſæ terræ* (*f*)? Hic eſt draco ille, quem clavis confixus Chriſtus in putei detruſit profundum. Hic Salvatori noſtro paraverat laqueum & foveam, eum crucifigi procurans, ſed *incidit* ipſe *in foveam, quam fecit* (*g*); nam quem purum hominem

(*a*) *Ex Epiſt. II. ad Timoth. I. v.* 10.
(*b*) *Oſee XIII. v.* 14.
(*c*) *I. ad Corinth. XV. v.* 26.
(*d*) *Zach. IX. v.* 11.
(*e*) *Ad Roman. VIII. v.* 1. *&* 2.
(*f*) *Jerem. L. v.* 23.
(*g*) *Pſalm. VII. v.* 16.

minem eſſe crediderat, poſtmodum eſt omnipotentem Deum expertus. Ab hujus crudeli dominatu eſſe nos per ipſum eripiendos, in hodierna Evangelii lectione Chriſtus prædixerat, paulò infra ſubdens: *Nunc judicium eſt Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foràs* (a).

In ipſa verò Paſſione, a familiari & domeſtico hoſte, Carne videlicet noſtra, nos miro modo idem Chriſtus Crucis ſuæ virtute defendit, in qua *vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt*, *ut deſtruatur corpus*, hoc eſt vis & potentia, *peccati*, *& ultra non ſerviamus peccato* (b), ſed Dei gratià adjuti, ac merito Paſſionis ejus fortificati, omnia poſſimus carnis tela retundere, illiuſque illudere illecebras. Hi igitur quinque potentiſſimi Reges in manu cœleſtis noſtri David Chriſti ceciderunt; hos ipſe moriens debellavit: quantum ergo attulit fructum?

Sed omnia etiam bona nobis pariter in vivifica Paſſione venerunt: Ne autem diutiùs progrediar ſingula recenſendo, eorum tantùm cumulum atque compendium produxiſſe ſit ſatis. Id verò aliud non eſt, quàm beatitudo ipſa & æterna felicitas, quæ ſtatus eſt bonorum omnium aggregatione completus: quæ quidem duplex cùm ſit, juxta duplicem hominibus exhibitam vitam, utraque producta fuit ab eodem grano frumenti, in terram projecto & mortuo; nam æternæ vitæ, quæ mortem neſcit ac terminum, beatitudo, ac cœleſtis patria, cùm Protoparentum peccato fuiſſet nobis adempta, & præcluſo ad eam aditu, ac Cherubim ad Paradiſi oſtium conſtituto, flammeum habente gladium, nullus, licèt ſanctiſſimè vixiſſet, ad eam potuiſſet pervenire; moriens Chriſtus januas patefecit, librum aperuit, viam ſtravit, atque illuc, multis ſecum beatis ſpiritibus adductis, aſcendit, *parare nobis locum* atque manſionem. Sed èt ejuſdem beatitudinis partem ac ſpeciem, imo eam ipſam nobis hìc in via conſiſtentibus, & ad patriam pergentibus, Chriſtus ipſe donavit. Nam cùm *hæc ſit vita æterna*, *ut cognoſcant* homines *ſolum Deum verum*, *& quem miſit* Filium ſuum unigenitum Dominum *Jeſum Chriſtum* (c), quomodo etiam hìc, in hac lacrymarum valle, & regione umbræ mortis, æternam nobis vitam non donavit atque reliquit, cùm ſe Chriſtus, qui eſt unigenitus Dei Filius, nobis non modò cognoſcendum, videndum, atque palpandum exhibuit, ſed comedendum etiam in cibum nobis ſe reliquit, viventibus ſolatium, atque morituris viaticum, nobiſcum *uſque ad conſummationem ſeculi* (d) inſu-

(a) *Joann. XII. v.* 31.
(b) *Ad Rom. VI. v.* 6.
(c) *Joann. XVII. v.* 3.
(d) *Matth. XXVIII. v.* 20.

inſuper ſe fore promittens? Verùm *niſi granum frumenti cadens in terram* ex Divinitatis horreis, *mortuum fuiſſet* (*a*), hunc tam eximium nobis fructum minimè attuliſſet; quem ideo attulit, quia cecidit.

Ut tamen æternæ patriæ beatitudinem conſequeremur, Chriſtus nobis validiſſima moriens præbuit media. Quid enim ſunt ſeptem illæ pretioſiſſimæ pixides, quid ſeptem illi copioſiſſimi fontes, ſeptem videlicet Sacramenta Sanctiſſima, niſi media opportuniſſima, quibus unuſquiſque, modò velit, beatus effici poſſit? Vias demum ad id & verbis oſtendit, & exemplis; cùm virtutes omnes, quas priùs ipſe exercuerat, ac operibus indicaverat, ſermonibus etiam efficaciſſimis docuit; ex nobiliſſimo illo monte octo beatitudinis obtinendæ vias, quas Evangeliſta Matthæus copiosè deſcripſit (*b*) proponens, ac innumeras alias Virtutes in variis paſſim Evangeliorum locis inſinuans. O qualem & quàm multum attulit fructum!

SECUNDA PARS.

Quòd ſi hi fructus (licèt uberrimi) minimè vobis videntur ſatis eſſe copioſi, & alios perquiritis, Joannem in Apocalypſi (*c*) audite ſcribentem, qui, poſtquam centum quadraginta quatuor millia electorum ex tribubus Iſraëlis enumeraſſet, *vidiſſe*, ait, *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis, & linguis, ſtantes ante* divinæ Majeſtatis *Thronum, amicti ſtolis albis*, victriceſque *in manibus palmas* geſtantes. Totus igitur iſte electorum numerus ex hoc fœcundiſſimo grano productus eſt; ex hoc enim glorioſus Apoſtolorum chorus, Prophetarum laudabilis numerus, Martyrum candidatus exercitus, innumera Sanctiſſimorum Confeſſorum atque Pontificum millia, Sanctiſſimarum Virginum Cœtus, Sanctorum Eremitarum & Anachoretarum turmæ proceſſerunt. Ex hoc grano hodie purpureus hic fructus, rubicundus hic Martyr Laurentius, qui per ignem tranſivit & aquam, in fornace ad inſtar perfectiſſimi auri probatus, profluxit. Quid te Laurenti adeò fecit invictum? quid tantam tibi dedit animi corporiſque fortitudinem? Unde tot tibi triumphi? niſi quia in Ducem tuum, ex edito Crucis loco pendentem, oculos conjiciens, & admirabilem ejus caritatem, patientiam, conſtantiam, obedientiam, fortitudinem, humilitatem, reliquaſque virtutes conſiderans, ab eo ſpiri-

(*a*) *Joann. XII. v. 24.*
(*b*) *Matth. V. v. 1. & ſeqq.*
(*c*) *Apocal. VII. v. 9.*

ſpiritum & virtutem traxiſti, quibus & Mundum, Mundique delicias & pompas, vitamque propriam contemneres, & per varios labores atque certamina Anteſignanum tuum Chriſtum ſequereris; niſi quia tibi, & nobis omnibus hodie traditum præceptum & regulam cordi tuo inſculpens ac menti, numquam ab ea, ne latum quidem unguem, receſſiſti?

Nam, cùm maximos atque pretioſiſſimos mortis ſuæ fructus Chriſtus Dominus propoſuiſſet, ne multi noſtrùm exiſtimantes ſufficere, quòd pro omnibus Chriſtus Dominus mortuus eſſet, ideo otioſam vitam traducere ſe poſſe putarent, hac de cauſa ſubdidit: *Qui amat animam ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc Mundo, in vitam æternam cuſtodit eam* (*a*); ut ſciamus, a nobis Crucem noſtram (quod aliàs (*b*) præcipit) eſſe portandam, & voluntatis ac carnis noſtræ concupiſcentias omnes propter Deum eſſe perdendas; & proprio noſtro amori præferendum eſſe divinum: Imo ubi de divinæ legis tranſgreſſione, vel morte noſtra agatur, mille potiùs eſſe mortes oppetendas, quàm vèl in minimo Deum offendendum; cur enim animam ipſi noſtram & corpus pro illo non exponamus, qui ſe totum pro nobis æterno Patri obtulit in ara Crucis immolandum? Et quæ hæc eſt ingratitudo, ut, cùm ſe ille pro nobis tam largè profuderit, nos ipſos ita contineamus? Cur ad accipiendum promptas habebimus manus, ad dandum verò coarctatas? Non ſic, dilectiſſimi filii, faciendum eſt nobis; ſed

Si quis mihi miniſtrat, inquit Rex noſter (*c*), *me ſequatur*: qua ego progreſſus ſum via, èt ipſe incedat. Ego labores elegi; cur tu miſerrime peccator quæris delicias? Spinis caput habui perforatum; tu mille unguentis caput tuum, mulier, ornabis? Humillimus fui, & mitis corde; tu eris veluti leo in domo tua, evertens omnes, qui in ea ſunt? Ego pauperrimus fui; cur tu tanto ſtudio diu noctuque per fas & nefas divitias congregas, quæ tibi nil proderunt, imo potiùs oberunt plurimùm? Pro te lacrymis, etiam ſanguineis, vultum meum ſæpius rigavi; tu ſtultorum more ridebis? In Dei templo eram aſſiduus; tu Templa veluti Infernum fugis, perinde ac ſi continuò ruitura mortem tibi minitarentur? Pro te (non pro me, qui Deus eram, nec hujus rei egebam) noctes ducebam inſomnes, & dies integros, orando Patrem, inſumebam; tu audiendis dæmonibus, & dæmonum ſatellitibus, mimis atque hiſtrionibus obſcœna loquen-

(*a*) *Joannis XII. v.* 25.
(*b*) *Matthei X. v.* 38., *& Lucæ XIV. v.* 27.
(*c*) *Joannis XII. v.* 26.

loquentibus, & animam tuam venenatis jaculis transfigentibus, aures præbes? Ego pro te pedibus & manibus fui Cruci confixus; cur tu & manibus & pedibus, te ipſum & me lædere non deſiſtis, tripudiis ac ſaltibus, & impudicis choreis pedes fatigans, qui veloces eſſe deberent ad currendam viam ſalutis? Ego denique pro te ſum mortuus; cur tu nimium erga te ipſum nutris amorem, & meum te eſſe miniſtrum mendaciter jactitas, ac Diſcipuli te nomine extollis; cùm *qui mihi miniſtrat*, in iis omnibus, quæ audiviſti, *ſequi me* debeat?

Et certè quando hæc fructu carerent ampliſſimo, a nobis tamen hilari animo eſſent amplectenda: adeò ſumus illi, a quo nobis ea præcipiuntur, obnoxii; tam multis ille nos ſibi beneficiis obſtrinxit. Cùm verò tam magna ſint propoſita præmia, quanam erimus umquam digni excuſatione?

Primò quidem, qui iſta peregerint, felices erunt: & *ubi ego ſum*, inquit Chriſtus, *illic èt Miniſter meus erit* (*a*); hoc eſt, qui tribulationum participes fuerint, erunt itidem èt conſolationum; qui ſimul pugnaverint, ſimul inter ſe divident ſpolia. Et ubi nam, quæſo, eſt Chriſtus? An non ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis? nonne Creaturis omnibus eſt prælatus? nonne cœleſtibus perfruitur gaudiis? nonne eſt in æternum glorioſus? nonne ſurrexit a mortuis, & jam amplius *non morietur*, *neque mors illi ultra dominabitur* (*b*)? Illuc ibunt igitur etiam omnes illius *Miniſtri*, & qui eum ſecuti fuerint in Paſſione Crucis, ac tribulationum tolerantia, & forti dimicatione.

Sed *ſi quis* Chriſto *miniſtraverit*, *honorificabit eum Pater* cœleſtis. Magnî faciunt aulici homines, quòd alloqui poſſint eorum Reges & Principes; at ſi iſti colloquio illos dignentur, ſi caput operire præcipiant, ſi etiam ſedere jubeant, ac ſimul conveſci, oh quantus honor reputatur! Quòd ſi, ùt Mardochæo Hebræorum prudentiſſimo contigit, illos equo ſuo vectos, præcedente tibicine, atque clamante: *ſic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare* (*c*), per univerſos Civitatis vicos & vias deduci mandaverint; tunc ſanè hujuſmodi Viris cives aſſurgent, omnes illos prædicabunt beatos, utpote non modò Regis gratiam aſſecutos, ſed èt ab ipſo maximis dignitatibus auctos.

Verùm heu! quia nihil hæc ſunt, cùm vanitas ſint & vanitas vanitatum, cùm umbra ſint & ſomnia; nam apud Deum non diſtin-

(*a*) *Joannis XII. v. 26.*
(*b*) *Ad Roman. VI. v. 9.*
(*c*) *Eſther VI. v. 9.*

ſtinguuntur Reges aut Principes, ſed æquâ omnes ſorte ſunt nati, æquâ etiam conditione morituri; neque ulla eſt apud eum perſonarum acceptio, ſed ii ſolum honorati cenſentur, quos ipſe honorificaverit. Et quomodo putatis honorificet? nempe pro ut ipſe eſt. Ipſe infinitus eſt & incomprehenſibilis, ideo infinitè & incomprehenſibiliter eos, qui illi miniſtraverint, honorificabit, ut meritò David exclamaverit: *Nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum* (*a*).

Honorificavit cœleſtis Pater Laurentium integerrimum juvenem, & conſtantiſſimum virum, quia ſecutus eſt Chriſtum, cui in Levitarum ordine tanta cum dignitate, tanta animi & corporis puritate miniſtravit. Videte autem, quomodo ſit Chriſtum ſecutus: nam èt ipſe, (Deo tamen ſemper juvante, ſine quo nihil facere poſſumus) inimicos ſuos omnes fortiſſimos ſuperavit, Mundum videlicet, Dæmonem, & Carnem.

Ac primùm quidem vicit Mundum, mundanas omnes opes contemnens, ac longè aliter ſibi, quàm ille faciat, theſaurizans. Mundus quippe ſervit pecuniæ, & pecunia ſibi omnia ſubjicit; at hic non pecuniis ſervivit, ſed imperavit. Mundus pecunias abſcondit ſub lapide, ſub cordis duritie, in perditionem; at hic pecunias perdidit propter fratres & amicos, ſancto videlicet perdendi modo, eas in ſinu pauperum abſcondens, quod idem eſſe, ac perdere, Mundus exiſtimat. *Miſit ipſe panem ſuum ſuper tranſeuntes aquas: & poſt tempora multa invènit illum* (*b*); quia in vitæ præſentis, quæ torrens eſt rapidus, fine ac termino, ſuas omnes invènit eleemoſynas. Audite, quæſo, numquam ſatis commendandum Laurentii opus, qui a Sancto Pontifice Sixto mandatum hoc habens: *Accipe facultates Eccleſiæ, vel theſauros, & divide quibus tibi videtur*, ea accepta poteſtate, cœpit per regiones curioſè inquirere, ubinam Sancti Clerici, vel pauperes eſſent abſconditi; afferenſque theſauros, unicuique, prout opus erat, miniſtrabat. Unde èt ad Valerianum perductus, ipſumque audiens comminantem, atque dicentem (*c*): *Pone jam per-*

Tom. II. X ii

(*a*) *Pſal. CXXXVIII. v. 17.*

(*b*) *Eccleſiaſtes XI. v. 1.*

(*c*) Hæc omnia refert Surius, quo auctore S. Carolus utebatur in deſcribendis Vitis Sanctorum; attamen Acta iſta ſuppoſititia eſſe pro certo habet Pagius in Critic. Baroniana ad ann. cclxi. Baronius verò multa eſſe apocrypha, multaque veritati contraria, præſertim illa de obitu Decii, & Valeriani, clarè dignoſci teſtatur in Annotationibus ad Martyrolog. Roman. die x. Auguſti. Card. quoque Noriſius diſſertat. III. de Epochis Syro-Macedonum Cap. XX. hæc habet: „ Fictitia eſt Decii in Perſas expeditio, in memoratis Actis narrata; uti etiam perperam ibidem dicuntur Xiſtus Papa, ac Laurentius Martyres ſub Decio occiſi, qui Valeriano Auguſto imperante interfecti ſunt. Luculentos Commentarios de hoc Sancto Martyre edidit P. Pinius in Actis Bollandi ad diem Auguſti memoratum.

pertinaciam, & profer theſauros, quos apud te didicimus repoſitos; ipſe reſpondit: *Da mihi bidui, aut tridui inducias, & proferam tibi theſauros. Dixit autem Valerianus Hippolyto: Tua fide habeat trium dierum inducias. Collegit ergo Beatus Laurentius cæcos, claudos, debiles, & pauperes, & abſcondit eos in ædibus Hippolyti. Valerianus verò nunciavit Decio, Beatum Laurentium triduanis acceptis induciis, promiſiſſe ſe theſauros prolaturum. Poſt triduum præſentavit ſe Beatus Laurentius in Palatio Saluſtiano. Dixitque ei Decius coram Valeriano Præfecto: Ubi ſunt theſauri, quos te exhibiturum pollicitus es? Beatus Laurentius, collecta multitudine pauperum, introduxit eos in Palatium, dicens clara voce: Ecce iſti ſunt theſauri æterni, qui numquam minuuntur, ſed creſcunt; qui in ſingulos diſperguntur, & in omnibus inveniuntur.*

O Laurenti Sanctiſſime, quàm pauci tuam hanc, imo potiùs Chriſti quàm tuam, doctrinam excipiunt! Hæc ipſa tibi dicata Eccleſia, in qua nunc ſermonem habemus, tot ab hinc annis diruta, & numquam reſtituta (*a*), teſtatur, quanta ſit horum Chriſtianorum ſegnities, quàm frigida fides, quàm obumbratus animus; quàm ignorent, qua ratione frumenti granum debeat fructum producere. Cogitant ipſi, pecunias in arca retentas, vel fœnori traditas, fructum afferre; cùm tamen illæ in perditionem ſerventur, ideòque non niſi ſpinas & peccata producant: nec ſciunt, quia pecunia frumenti grano ſimillima eſt, &, ut afferat fructum, perdenda eſt atque ſerenda in terra, quæ ſunt pauperum ſinus, Eccleſiarum parietes, Templi hujus ſtructura. Hic eſt divitiarum uſus, o miſeri, quem Laurentius docuit, cui meritò illa congruunt verba: *Diſperſit, dedit pauperibus;* & quid eſt inde conſecutus? *Juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi* (*b*); de quo Sancta Mater Eccleſia ſumma cum exultatione canendo prorumpit in has nobiliſſimas voces: *Levita Laurentius bonum opus operatus eſt, qui per ſignum Crucis cæcos illuminavit, & theſauros Eccleſiæ dedit pauperibus.* Etiam abſque ulla ſpe præmii erogandæ eſſent a vobis pecuniæ in miſerorum uſus, ac Dei cultum; & hoc vobis eſſe deberet ampliſſimum præmium, quòd ipſe Dominus Deus, qui bonorum veſtrorum non eget, a quo omnia accepiſtis, eas tamen a vobis dignetur accipere, qui quod uni ex minimis iſtis feceritis, ſibi fieri proteſtatus eſt (*c*), ſuaque ipſa utilitati veſtræ cedere velit: Sed cùm tot, ac tanti ſint eleemoſynæ fructus

(*a*) Annum ruinæ, qua dirutum eſt hoc Templum, jam deſignavimus in ſuperiori Homilia, habita a Sancto Carolo in hac eadem Baſilica die XXXI. Maji, Tom. I, pag. 107.

(*b*) *Pſalm. CXI. v. 9.*

(*c*) *Matth. XXV. v. 40.*

fructus & in futura vita, & in præſenti, ac in hora illa mortis adeò tremenda; cur non ėt vos propter Chriſtum opes omnes veſtras perditis atque pecunias, qui vėl animas veſtras, quæ multò ſunt pluris faciendæ quàm pecuniæ, perdere jubemini, ut in vitam æternam eas cuſtodiatis (*a*)? Conſiderate, filii, quid ab eleemoſyna expectare poſſitis, quid item a divitiis. Certė a divitiis, ùt dixi, cùm ſint ſpinæ, non niſi quòd pungant, & in hora mortis vos deſerant; nam cùm interierit dives, non ſumet quicquam ſecum, *neque deſcendet cum eo gloria ejus* (*b*): At eleemoſynæ ſolæ vos divino Tribunali ſiſtent, ac Cœlorum vobis oſtium aperient; tot enim habebitis interceſſores, quot paveritis pauperes; quot lapides, quot pecunias erigendo ac reſtituendo huic Templo contuleritis. Sed largitas hæc mirė vos in extremo illo Judicii die defendet: *Fiducia* enim *magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam: & non patietur animam ire in tenebras* (*c*). Hæc contra inſurgentes Dæmones validė pro vobis certabit, ac *ſuper ſcutum potentis & lanceam, adversùs inimicos veſtros pugnabit* (*d*): illi namque prævaricationes veſtras opponent, quibus ſeptem lethalibus peccatis Deum offendiſtis; hæc verò ſeptem Miſericordiæ opera, in quibus vos exercuiſtis, altera ex parte objiciet, ac in memoriam Chriſto revocabit aſſurgens: *Memor eſto, Domine, verbi tui ſervo tuo, in quo mibi ſpem dediſti* (*e*); recordare, quia miſericordibus miſericordiam pollicitus es (*f*), quia eàdem illis menſurà remetiendum dixiſti (*g*): *Fœnerati ſunt hi tibi*, o Domine, *qui miſerti ſunt pauperis* (*h*). *Accepiſti mutuum, fœnerantis es ſervus* (*i*); *redde* ergo *iis viciſſitudinem ſuam* (*k*). Hæc & alia cùm dixerit eleemoſyna, advocata efficaciſſima exorabit veniam, & gloriam vobis, & *miſericordia ſuperexaltabit judicium* (*l*). Sed non modò in extremo illo die, verùm etiam in omnibus tribulationibus veſtris divinum vobis implorabit auxilium; nam cuicumque opem miſeris ferenti, in ærumnis ſubveniet Deus: *Deus* enim *proſpector eſt ejus, qui reddit gratiam: meminit ejus in poſterum, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum* (*m*). Sanė quæcumque a Deo ritė petieritis, eleemoſyna vobis ab ipſo facillimė impetrabit: Si enim *fregeritis eſurienti panem veſtrum, & egenos vagoſque induxeritis in domum veſtram: tùm vide-*

(*a*) *Matth. X. v.* 39.
(*b*) *Pſalm. XLVIII. v.* 18.
(*c*) *Tob. IV. v.* 11. & 12.
(*d*) *Eccli. XXIX. v.* 16.
(*e*) *Pſal. CXVIII. v.* 49.
(*f*) *Matth. V. v.* 7.
(*g*) *Ibidem VII. v.* 2., *Lucæ VI. v.* 38., & *Marci IV. v.* 24.
(*h*) *Prov. XIX. v.* 17.
(*i*) *Ibid. XXII. v.* 7.
(*k*) *Ibid. XIX. v.* 17.
(*l*) *Jacobi II. v.* 13.
(*m*) *Eccleſiaſtici III. v.* 34.

videritis nudum operueritis eum, *& carnem veſtram non deſpexeritis* (o Chriſtiani *carnem veſtram ;* veſtra caro ſunt pauperes, veſter ſanguis; cur ergo in vos ipſos eſtis crudeles?) *Tunc erumpet quaſi mane lumen veſtrum : tunc invocabitis, & Dominus exaudiet : clamabitis, & dicet : Ecce adſum* (*a*). Sed vobis licèt tacentibus, minimèque clamantibus, ſi concluſeritis eleemoſynam in corde pauperis, hæc pro vobis ab omni malo liberandis exorabit. Quid ergo jam dicitis, filii? Num adamantibus ipſis non eſtis duriores, quos nec Dei liberalitas, nec Chriſti petentis beneficia, nec Judicii acerbitas, nec a tribulationibus exemptio, nec orationes exauditæ ad miſericordiæ opus compellunt? Quid vobis ampliùs potuit hæc polliceri aut conferre? Certè nihil.

Sed quid adhuc deſideretis ſcio; toti terra eſtis, toti carnales, ſpiritualia non æſtimatis, eleemoſynam non cognoſcitis. Si terrena eſſetis lucraturi, ſubſidia certè diſtribueretis; jam hæc eſſet Eccleſia reparata. Nec hanc vobis permitto excuſationem; nam procul dubio fœnori dat, qui eleemoſynam largitur, & multò plus recipit, quàm det. Audite Sapientiſſimum: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei* (ideſt pauperibus): *& implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua redundabunt* (*b*); Audite eumdem alibi hæc verba proferentem: *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt : alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt* (*c*); Demum attendite ad Vas electionis Paulum dicentem; *Qui autem adminiſtrat ſeme.: ſeminanti : & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum : ut in omnibus locupletati abundetis* (*d*); Et numquid his teſtibus minimè creditis? Saltem Chriſto credite dicenti : *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum* (*e*). Videte : non ſatis eſt, quòd eàdem menſurâ, qua menſi fueritis, remetiatur vobis; quin bonam etiam adhuc paratus eſt reddere menſuram; & non modò *bonam*, ſed *&* *confertam*, ſed *&* *coagitatam* imo denique *ſupereffluentem*. O magna durities! o ignorantia intolerabilis! Quid non horrea deſtruitis? quid non, per tibicinem in plateis publicè clamantem, pauperes omnes advocatis, & eis non modò frumenta diſtribuitis, ſed etiam venire compellitis, & accipere cogitis frumenta, & ſaccos, & omnia? Quid non univer-

(*a*) *Iſaiæ LVIII. v. 7. & ſeqq.*
(*b*) *Prov. III. v. 9.*
(*c*) *Ibid. XI. v. 24.*
(*d*) *II. ad Cor. IX. v. 10. & 11.*
(*e*) *Lucæ VI. v. 38.*

univerſa veſtra oppignoratis, ori etiam veſtro ac victui neceſſaria ſubtrahentes, ut nobiliſſimam hanc, & multò quàm antea pulchriorem reparetis Eccleſiam? Sed adhuc duri ſunt multi; & quæ nunc in medium attulimus, non ad literam, ſed moraliter dicunt ac ſpiritualiter ſolùm intelligenda, ut videlicet qui terrena fuerint largiti, ſpiritualia ſint recepturi, quæ illorum comparatione, menſura ſunt *bona*, *conferta*, *coagitata*, & *ſupereffluens*. Imo addo etiam ego, hæc ad literam eſſe a vobis intelligenda; neque hoc ego ſolus, ſed addit & expreſsè dicit ipſemet Chriſtus, cui ſi non creditis, jam ſupervacaneum arbitror ultra vobiſcum loqui. Audite, audite Chriſtum expreſsè, apertè, manifeſtè, clariſſimè de bonis hujus vitæ retribuendis copioſiſſimè loquentem, nec commentarios aut expoſitiones admittentem: *Amen dico vobis: Nemo eſt, qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantùm nunc in tempore hoc: domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſeculo futuro vitam æternam* (*a*). Intelligite ergo aliquando, filii, & propoſitum hoc vobis præclariſſimum exemplum in Laurentio imitamini, qui, quæ Mundus adeò magni facit, contemnens, liberaliter ac viriliter fudit.

Verùm etiam Dæmonem profligavit, Tyrannos ejus ſatellites atque miniſtros illudens, a quibus occîdi quidem potuit, ſed minimè vinci. Videte autem, quomodo fuerit Dæmon illuſus atque confuſus. Unum tantùm hominem a ſe necandum cenſuit Dæmon; Laurentius verò moriens, innumeros ab errorum morte ad Fidei vitam revocavit. Putavit, ſe hoc pacto Chriſti Religionem everſurum; & hujus adoleſcentis pretioſiſſimo ſanguine, veluti firmiſſimo propugnaculo, eam inexpugnabilem reddidit.

Vicit demum èt Carnem, atrociſſimam omnium hominum inimicam; dum in eam adeò fuit propter Deum immitis, dum tam multis & variis illam ſuppliciorum ac cruciatuum generibus audacter expoſuit, quibus veluti malleorum ictibus expolitus, lapis effectus eſt, in Cœleſtis Regni ſtructura collocandus. Quid hic ego ferreos ſcorpiones enumerem, quid ſuſtes, quid candentes laminas, quid plumbatas, quid lectos ignitos, quid alia omnia tormentorum genera, quæ vix excogitari queunt? O invictam

(*a*) *Marci X. v.* 29. & 30.

ctam adoleſcentuli magnitudinem! o inæſtimabilem fortitudinem! Nonne tu fortior expugnatoribus Urbium atque Arcium extitiſti? Taceo, quàm hæc omnia libenter pertuleris, quàm ea tibi inferri cupieris, quomodo Sixtum Pontificem Sanctiſſimum e carcere eductum his verbis compellaveris (*a*): *Quò progrederis ſine filio, Pater? Quo Sacerdos Sancte ſine Diacono properas tuo? Numquam ſacrificium ſine Miniſtro offerre conſueveras. Quid in me ergo diſplicuit Pater? Num degenerem probaſti? Experire certè, utrum idoneum Miniſtrum elegeris: Cui commiſiſti Dominici Sanguinis conſecrationem, cui conſummandorum conſortium Sacramentorum credidiſti, huic ſanguinis tui conſortium negas? Vide, ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio diſcipuli detrimentum eſt magiſterii. Quot illuſtres præſtanteſque viri, diſcipulorum certaminibus magis quàm ſuis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmiſit; & tu, Pater, oſtende in filio virtutem tuam; offer, quem erudiſti; ut ſecurus judicii tui, comitatu nobili pervenias ad coronam.* Et paulò poſt cùm idem Sixtus ad mortem traheretur, taceo, quanto exclamares affectu: *Noli me derelinquere Pater Sancte; jam enim expendi theſauros, quos tradidiſti mihi.* Taceo, quàm non modò patienter tot poſtea cruciatus pertuleris, verùm etiam cum maximis gratiarum actionibus; quomodo dum cæder
eris ſcorpionibus, clamares: *Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus eſt adjungere ſervis ſuis;* quomodo plurimis tibi oſtenſis tormentis reſponderis Decio: *Infelix, has ego epulas ſemper optavi; hæc enim quidem tibi tormenta ſunt, nobis verò gloria;* quomodo cùm cruciareris, ad eumdem exclamares: *Ecce miſer, vèl modò cognoſce, quia triumpho ex theſauris Chriſti, nec ſentio tormenta tua,* ac conſtantiſſimè dixeris: *Ego in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti non reformido tormenta tua, quæ ad tempus ſunt; fac quod facis; noli ceſſare;* quomodo in cataſta extentus, & crudeliſſimè flagellatus, ſubridens, & gratias agens Deo addideris: *Benedictus es Domine Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nobis immerentibus impendiſti miſericordiam tuam; & tu Domine propter pietatem tuam largire nobis gratiam tuam, ut cognoſcant circumſtantes, quòd tu conſoleris ſervos tuos.* Hæc omnia, filii, & alia innumera lubens omitto, quæ ſi exponere vellem, tempus me certè deficeret. Sed glorioſum ſpectate triumphum ac Martyris finem, eò illuſtriorem, quò fuit crudelior; nam poſt plurimos alios cruciatus, tamdem canis ille rabidiſſimus ac tigris,

(*a*) Deſumpſit Sanctus Carolus hæc omnia ex Libro I. Officiorum Cap. XLI. Sancti Ambroſii. Emendatiores hi Libri prodiere Pariſiis anno MDCXC.

tigris, Decius, ferreum lectum in modum craticulæ juſſit afferri, in quo nudus glorioſiſſimus miles extenſus prunis ei ſubſtratis, furciſque ferreis fuit compreſſus; ubi in tam diris tormentis, quæ etiam Ethnicos ſpectantes commovebant præ admiratione, quòd eum Tyrannus vivum aſſaſſet, illè tamen ſemper lætus ac hilaris, & impium arguens, & Deo exhibens gratias, tamdem nobiliſſimum Deo ſpiritum reddidit.

O te feliciſſimum, Laurenti! o carbones illos feliciſſimos, o feliciſſimam craticulam, o feliciſſimum ignem, o feliciſſimam Romam, tantum in ſe continentem theſaurum, quo non minus gloriatur, quàm Jeroſolyma Stephano (a)! Qui lectuli umquam adeò delicati, ùt craticula tua? quæ roſæ adeò odoriferæ, ùt carbones illi ardentiſſimi? quis ros æquè placidus, ac ignis ille urens? quæ cervicalia atque pulvinaria adeò mollia, ſicut carnificum furcinæ & ſæviſſima illa inſtrumenta? Quis umquam adeò in ſummis deliciis hilaris & lætus, ac tu in ſummis extitiſti cruciatibus? Pertranſierunt dolores illi omnes; finierunt pœnæ; & æternis jam frueris præmiis. Mille jam & ampliùs anni a paſſione tua, quæ paucas horas duravit, tranſierunt; nunc verò tot frueris conſolationibus, & in æternum fruèris. Dic, te obſecro, ſi jam renaſcereris, quantò majora pro tali gloria comparanda patereris! Certè infinitò plura, ſi infinitè poſſes; major enim eſt caritatis ardor, quàm ignis. Gratulamur nos tibi de tuis victoriis; ad palmas tuas aſpiramus, homunculi in hac lacrymarum valle conſtituti; ejuſdem, cujus tu fuiſti, carnis & ſanguinis, ſed longè diſparis meriti atque virtutis. Miſerere, obſecro, noſtrì jam in Regno Cœleſti exiſtens; & quando ignes, ùt tu, pro Dei gloria non patimur, impetra ſaltem nobis, ne nos exurant flammæ vitiorum, ſed caritatis potiùs, ac divini amoris ignis abſumat; ut ad beatam illam gloriam èt nos aliquando pervenire poſſimus. Amen.

(a) Sermonem ſuum de Sancto Laurentio his verbis clauſit Sanctus Leo Magnus: „ ita „ per univerſum Mundum clarificavit gloriam „ ſuam (*Dominus*) ut a Solis ortu uſque ad „ occaſum Leviticorum hominum coruſcante fulgore, quàm clarificata eſt Jeroſolyma Stephano, tam illuſtris fieret Roma Laurentio.

HOMILIA LIX.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. XVIII.

De Phariſæo & Publicano

Habita in Metropolitana Mediolani

Dominica XI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XIV. AUGUSTI.

MAGNI duo Reges exiſtunt, dilectiſſimi filii, Deus, & Dæmon; ille quidem totius Mundi & rerum omnium, hic verò tenebrarum & barathri: qui ùt ſunt inter ſe maximè contrarii, ita eorum etiam opera ab invicem diſſidentia, diverſos producunt effectus; Dominus quidem Deus bonos, malus autem cacodæmon malos: Deus ex omnibus etiam malis, bonorum ſumit occaſionem; Dæmon non modò in malis, ſed etiam ex bonis procurat peccatum. Creaverat Dominus Luciferum, ceteroſque ejus ordinis Angelos pulcherrimos; qui tamen ſua minimè ſorte contenti, a ſuo Factore rebellantes, e Cœlo ſunt lapſi: Lapſus hic occaſionem rerum omnium Auctori, homines creandi præbuit, quibus vacuæ illorum ſedes replerentur. Sed etiam horum Protoparentes ad Creatoris imaginem & ſimilitudinem facti, antiquo ſerpenti aures exhibentes, & altum ſapere cupientes, divino violato præcepto, e deliciarum loco in hunc Mundi carcerem ſunt detruſi. His Dei æterna bonitas condolens malis, Dei Filium ſtatuit hominem fieri; ac Adæ peccatum Chriſti fuit Incarnationis occaſio. *Verbum* tamdem *caro factum:* Humanitate Dei Filius indutus, ac tot annos verſatus in terris, ab iis ipſis, a quibus præ ceteris coli debuiſſet, multoties in primis provocatus, demum nefario auſu morti eſt adjudicatus, ac Crucis patibulo appenſus. Horrendum hoc ſcelus & dirum nefas, o quot bonorum fuit feliciſſima origo! Nam hinc univerſæ terræ ſalutem

operatus

operatus eſt Dominus, ſuâque morte mortis atque peccati deſtruxit imperium; noſque e Dæmonis tyrannide ereptos, cara ac pretioſa libertate donavit. En igitur quomodo ex peſſimis, optima operandi occaſionem Dominus elicit. At contra generis humani ſæviſſimus hoſtis, non modò ex malis, verùm etiam ex bonis mala inferre conatur; cùm aut ſpecie virtutum ea, quæ a virtute exorbitant, licèt aliquam ejuſdem ſimilitudinem referant, proponit, ut cùm avaritiam prudentiæ, cùm prodigalitatem liberalitatis, cùm temeritatem fortitudinis nomine veſtit; ac veluti ſimia humanas actiones imitari ſtudet, ſic etiam ille vitia virtutum colore depingit: Vel cùm oppoſita omnino, nempe peccata, ex virtutibus producere ſtudet; ac ex iis, quæ rectè vel dicimus, vel facimus, Deo gloriam adimens, nobis ipſis tribuendam eſſe inſinuat, ac in jactantiæ nos & inanis gloriæ crimen inducit. Suos quilibet ex his Regibus hodie in Evangelica hiſtoria operatur effectus: Dæmon, dum Phariſæum aliena minimè rapientem, decimas dantem, jejunantem, bene viventem, ex his qualibuſcumque bonis ſuperbire, ceteroſque docet contemnere, illis ipſis, quæ habebat, ſpoliat bonis, & æternæ ſubjicit damnationi. Noſcit altera ex parte Publicanus crimina ſua, & commiſſa deflet peccata; Deus verò, dum illi propriæ miſeriæ agnitionem, cordis pœnitentiam, peccati erubeſcentiam, miſericordiæ petitionem, ac alia plurima bona ſuggerit, illeque amplectitur, ex peccatore juſtum, ex Dæmonis captivo Dei Filium, ex æternæ damnationis reo, æternæ felicitatis capacem reddit. O quàm liberalis es Domine in miſericordia! *Quàm magna eſt multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te* (*a*), qui *educis mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo* (*b*); quàm magna eſt, Domine, ſapientia tua, quàm magna bonitas, *qui & de lapidibus ſuſcitas filios Abrahæ* (*c*)! Sed quàm perverſa eſt etiam Dæmonis ſævities atque verſutia, quàm occultæ illius inſidiæ; quanta ſuperbiæ pernicies, quæ ſuis etiam virtutes fructibus privat ac meritis! O quàm multis plenos nos eſſe oportet oculis, & ante, & retro, ut & bonis proſpiciamus, ne ea amittamus; & in peccatis conſtituti, reſurgere curemus, ne in iis moriamur; ne de virtutibus præſumentes, aut in nobis ſeu operibus noſtris confidentes, condemnemur; & ut criminibus irretiti, ex iis humilitate ac contritione ſurgentes juſtificemur; ne denique nos exaltantes humiliemur, ſed ut nos humiliantes exaltemur a Domino! Quæ omnia hodiernâ Evangelicâ

(*a*) *Pſal. XXX. v.* 20.
(*b*) *Deuter. XXXII. v.* 13.
(*c*) *Lucæ III. v.* 8.

gelicâ lectione docentur appoſitè, Phariſæi ſuperbientis, ac Publicani pœnitentis exemplo, cujus utriuſque mores atque exitum nos Deo dante ad examen revocantes, quantum afferat damni ſuperbia, & quantum itidem humilitas emolumenti, vobis nos attentè audientibus, tractabimus.

Hoc eſt inter cetera, dilectiſſimi filii, Creatoris a Creaturis diſcrimen, quòd, nullius ille cùm egeat, nos verò omnium, pro liberalitate ille ſua paratus eſt magis ea nobis largiri, quibus opus habemus, quàm nos ne petere quidem cogitemus. Ideo, ut miſerationum nos ſuarum participes faceret, quid non tentavit, quid non excogitavit, quid denique nos non edocuit? Eò uſque devènit liberaliſſimus Deus, ut nos ad petenda neceſſaria excitet atque impellat frequentiſſimis vocibus, ad cor, & ad corporis aures exclamans: *petite, & dabitur vobis* (*a*). O quàm liberalis hic Rex, non modò munera conferre paratus, ſed èt petere ſuadens atque compellens!

Vult ergo petamus; ſed quia petere ignoramus, ideo petimus nec accipimus ſæpe, eò quòd malè petamus, aut in petendo minimè perſeveremus; qua ipſe longanimitate delectatur potiſſimùm. Tres præcipuas oratio conditiones exquirit, quarum defectu eadem inexaudita quandoque revertitur; docet ideo Chriſtus, quomodo & qualiter ſit a nobis orandum, ut a benigniſſimo Patre exaudiamur. Ac quidem conditiones hæ ſunt: Prima, ut orantes, in fide obtinendi non hæſitemus; ſcientes quoniam plus ille gaudet donando, quàm nos accipiendo, ac plus etiam noſtris ipſis petitionibus clargitur. Altera verò, ut, ſi nos probans Dominus non ſtatim petita concedat, nos tamen non deſiſtamus orare, ſed perſeveremus; quæ quidem perſeverantia ex firmiſſima obtinendæ gratiæ naſcitur fiduciâ. Tertia demum, ut omni animi ſubmiſſione atque humilitate oremus, veluti pauperes a Rege ſtipem emendicantes, veluti Rei a Principe veniam implorantes, veluti Dominum noſtrum alloquentes, cùm pulvis ſimus ac cinis (*b*). Docuerat Dominus noſter, ac cœleſtis Magiſter Chriſtus exemplo importunæ Viduæ (*c*) & Judicis iniqui, nec Deum timentis nec homines, & perſeveranter orandum, & ob impetrandi confidentiam eſſe perſeverandum; ſicuti Parabola, ſive hiſtoria, quæ vobis hodie in Sanctiſſimo eſt Miſſæ ſacrificio perlecta, humiliter ad orationem accedendum eſſe, Phariſæi ac Publicani exitu apertè nos inſtruit.

Dixit

(*a*) *Lucæ XI. v. 9.*
(*b*) *Geneſ. XVIII. v. 27.*
(*c*) *Lucæ XVIII. v. 1. & ſeqq.*

Dixit autem Dominus Jeſus *Parabolam iſtam ad quoſdam, qui in ſe confidebant tamquam juſti, & aſpernabantur ceteros* (*a*): Ad hos enim fuerat præcipuè dicenda, qui, vaniſſimi & arrogantiſſimi cùm eſſent, unde ſe humiliare debuerant, ſuperbiebant; modica, quæ in ipſis erant bona, pro inani Mundi gloria, ſeu propriæ laudis captatione vendentes. Et certè iis, qui in ſe, aut virtutibus ſuis confidunt, nil magis vanum reperiri poſſe crediderim; tum quia incertum eſt homini, quandonam bene operetur vel malè, & falsâ ſæpe ſeducitur juſtitiâ, neſciens, odio-ne, an amore ſit dignus; quæ vel ſola cogitatio Sanctiſſimum Apoſtolum Paulum ſæpe valde ſolicitum reddidit, dicentem: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum* (*b*): Quid enim gratiâ Dei delicatius, quæ vèl minimis quibuſcumque offenditur, & latenter quandoque ſe ſurripit, ac a nobis effugit? Tum etiam quia, licèt bona multa peragamus opera, ea tamen pluribus ſæpe imperfectionibus, negligentiis, atque tepiditatibus ſunt admixta, dicente Sancto Propheta; *Facti ſumus ùt immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ* (*c*). Et quando infecta minimè forent, ac eò perfectionis deveniſſemus, ut nihil in nobis deſiderari poſſe videretur; quæ tamen eſſet noſtra ſtabilitas, aut firmitas? Nonne in profundum illico peccatorum, Deo manus ſubtrahente, prolabi poſſumus? Nec Angeli in ſanctitate perſtiterunt, unde Job dixit: *Ecce qui ſerviunt ei non ſunt ſtabiles, & in Angelis ſuis reperit pravitatem* (*d*): Ipſi quoque Protoparentes noſtri ab innocentiæ ſtatu ceciderunt. Et quis Samſone fortior, quis Davide ſanctior, quis Nabuchodonoſore potentior, quis Petro ferventior? Et tamen hi omnes propter nimiam ſuî confidentiam corruerunt. Confidebat Samſon viribus ſuis, dicens: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum delevi eos* (*e*); & viliſſimæ Dalidæ ſuccubuit, quæ illum in manus inimicorum ejus tradidit. Confidebat David dicens: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum* (*f*); vix tamen avertit Dominus ab eo faciem ſuam, & factus eſt ſtatim conturbatus (*g*), ac in turpiſſima atque atrociſſima adulterii, & homicidii ſcelera præceps ruit. Confidebat Nabuchodonoſor Rex, dicens: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi* (*h*)? & ſtatim (ùt poſt audietis) miſerrimus evaſit. Viribus ſuis Petrus confidebat, millies ſe potiùs moriturum, quàm umquam Chri-

(*a*) *Lucæ XVIII. v. 9.*
(*b*) *I. ad Corinth. IV. v. 4.*
(*c*) *Iſaiæ LXIV. v. 6.*
(*d*) *Job IV. v. 18.*
(*e*) *Judic. XV. v. 16.*
(*f*) *Pſalm. XXIX. v. 7.*
(*g*) *Ibid. v. 8.*
(*h*) *Dan. IV. v. 27.*

Chriſtum Magiſtrum ac Dominum ſuum, negaturum; & vix mulierculam loquentem audivit, ac ſtatim eumdem iteratò, & tertiò, etiam cum juramento noſſe negavit. Quàm ergo labile eſt quidquid in nobis virtutis exiſtit, ad quemlibet licèt leviſſimum auræ flatum omni vitro fragilius! Et quis in ſe ipſo confidens, non eſt cenſendus vaniſſimus? Quamobrem non modò in virtutibus, ſed èt in omni alio humano conſilio, propriæ confidentiæ lues damnatur, & a Domino etiam patenter plerumque irrita oſtenditur. Confidebat Sennacherib in magnitudine copioſiſſimi exercitus ſui; & occidit Dominus ſtatim de exercitu illo centum octuaginta quinque hominum millia (*a*), ipſumque proprii ejus filii trucidarunt. Holofernes etiam, qui de armis ſuis gloriabatur, cum omni fuit Aſſyriorum profligatus exercitu (*b*). Annon èt ii maledicuntur, *qui confidunt in homine, & ponunt carnem brachium ſuum* (*c*)? Quid etiam ſtultius, quàm in Regum aut Principum gratiâ atque favore confidere? Superbiſſimus Aman tam multum ſibi de Aſſueri Regis benevolentia pollicebatur, ut ab eo interrogatus, qua majori poſſet ratione honorari, quem Rex vellet ſummis honoribus proſequi, de nullo alio id intelligi poſſe exiſtimaret, quàm de ſe ipſo: Attamen hoc ei, quem ipſe maximè oderat, Mardochæo Rex tribuit, ipſum verò ſuſpendio damnavit (*d*). Neque verò omnino improbaverim eos, qui non in ſe ipſis, ſed in divina bonitate ac gratia confidentes, in qua ſe exiſtere cogitant ob peracta omnia, quæ ad id conſequendum requiruntur, confidenter vivunt atque lætantur; non enim hi in ſe, ſed in Deo Deique gratiâ confidunt, quemadmodum Rex ille ſapientiſſimus David, *in Domino* inquit, *confido; quomodo dicitis animæ meæ: tranſmigra in montem ſicut paſſer* (*e*)? Hujus etiam confidentiæ verba ſunt, quæ Paulus proferebat: *omnia poſſum in eo, qui me confortat* (*f*); Iſta quoque Dæmones, ac creata omnia propter Deum aſpernari ſuadet, & dicere: *Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum: ſi exurgat adversùm me prælium, in hoc ego ſperabo* (*g*). Sed hi, ad quos hodie Dominus loquebatur, *confidebant in ſe tamquam juſti*, & in ſe confidentes *ceteros aſpernabantur*, quorum ut infelicitatem oſtenderet, eoſque reprehenderet, hanc ſubdidit Parabolam.

Duo homines aſcendebant in Templum, ut orarent. O verborum Chriſti facundiam! o mira in iis latentia myſteria! Videte, quomodo in hoc

(*a*) *IV. Reg. XIX. v. 35.*
(*b*) *Judith XII. & ſeq.*
(*c*) *Jeremiæ XVII. v. 5.*
(*d*) *Eſther VII. v. 9. & 10.*
(*e*) *Pſalm. X. v. 2.*
(*f*) *Ad Philipp. IV. v. 13.*
(*g*) *Pſalm. XXVI. v. 3.*

hoc ipſo Parabolæ exordio, quaſi aliud agens, nec id proponens, breviter tamen Eccleſiarum uſum oſtendat, ac quid in Templis ſit faciendum pulcherrimè doceat. Cur enim ad Templa eſt accedendum? quam ob cauſam Aris appropinquandum, o filii? Audite Dominum, *ut orarent;* unde ad orandum huc convenire debetis; *Domus enim mea*, inquit Chriſtus, *domus orationis vocabitur* (*a*). Numquid non Eccleſias profanant, qui in eas ad negotiandum ſe conferunt, qui in iis ſecularia tractant, qui de contractibus fortè etiam illicitis in iiſdem agunt? Sed quid de iis dicam, qui, ſeu quæ, ad eas ſe recipiunt, ut videantur, aut videant, vel turpes amores exerceant? Audiant ſcelesti hi Dominum, ſuper hæc querelas emittentem: *Quid eſt, quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa* (*b*)? Apud homines grave reputatur, ſi aliquis quempiam in propria domo aggrediatur, conviciiſque afficiat, & dicunt: Etiam in mea me domo auſus eſt provocare? unde èt Aſſuerus graviſſimum exiſtimabat, quod de Aman fuerat ſuſpicatus, nempe illum voluiſſe Reginam opprimere, eo præſente, in domo ſua (*c*). Et quale faciet Dominus ſuper hujuſmodi judicium, qui tantam ipſi in ea, quam ſibi elegit, domo, hoc eſt eidem dicata Eccleſia, inferunt injuriam, eò graviorem, quò ipſe hominibus univerſis, licèt ſublimiſſimis, eſt longè ſublimior atque excellentior? Orationis ergo dumtaxat causâ huc, filii, debetis accedere; & huc ingreſſi, omni hic debetis reverentia atque religione perſiſtere, quæ ex demiſſi animi profunda humilitate proveniat; non autem elatum hunc Phariſæum arrogantiſſimum imitari,

Qui ſtans hæc apud ſe orabat, cùm genua potiùs flectere debuiſſet, ſeſeque in terram proſternere atque dejicere; quæ quidem Eccleſiæ cæremoniæ, licèt de eſſentia non ſint, ac corda magis, quàm externam corporis poſitionem inſpiciat Dominus, interioris tamen cujuslibet de ipſo æſtimationis aperta ſunt ſigna: hoc quippe præ ceteris peccatis habet ſuperbia, quòd alia plerumque latent, nec ſemper ſe produnt; at ſuperbus homo latere non poteſt, ubicumque ſit; & quidquid peragat, exteriùs etiam tumorem ſuum oſtendat oportet; ideoque hic Phariſæus tumidus & elatus ob arrogantiam *ſtabat*. Et utinam multos hiſce temporibus non haberet imitatores, quos ante Sanctiſſimam Euchariſtiam in Eccleſiis exiſtentes, genua an flexibilia habeant, an ita integra, ut nequeant flecti,

(*a*) *Matth. XXI. v.* 13.
(*b*) *Jerem. XI. v.* 15.
(*c*) *Eſther VII. v.* 8.

flecti, ignoro; aut ſi flectunt, unicum tantùm flectunt, perinde ac ſi balliſtarii eſſent, & ſagittam emiſſuri ſcopum proſpicerent. Omnis in oratione requiritur humilitas, filii, & animi & corporis; *oratio* namque *humiliantis ſe penetrabit nubes* (*a*); & hujuſmodi *cor contritum, atque humiliatum Deus non deſpiciet* (*b*). Docent nos in ſacris Scripturis Dei Servi, quomodo ſit corpus in oratione componendum. Sic Salomon in Templo (*c*), quod Deo dicaverat, flexis genibus adorabat; & Daniel (*d*) ter in die genua flectens orabat: ſic Moyſes in faciem ſuam (*e*) in oratione cadebat: ſic Angeli adorantes (*f*) procidunt in facies ſuas coram eo, *ante quem Cœli columnæ contremiſcunt* (*g*). Sed quid hi ſunt, ſi cum Chriſto Dei Filio, Deo vivo & vero, conferantur, qui in horto ut oraret genua poſuit in terram, ùt Lucas ait (*h*), vel, ùt alii ſcribunt, *procidit in faciem ſuam* (*i*)? Et vos ergo dedignabimini genua flectere, niſi ſubſtratis linteolis, ac delicatulis pulvinaribus? O filii, o filii, ſi coram quo adſtatis, & qui ſitis agnoſceretis, mihi credite, non genua ſolùm humi poneretis, ſed ore ac linguà Eccleſiæ pavimentum lamberetis. Quomodo putatis, reus capite damnatus ante Regem conſiſteret? Num ſtans, aut altero tantùm genu flexus, & non ſupinus totus, proſtratus, dejectus, ut vèl hac ipſa humilitate Regis animum ad miſericordiam incitaret? Et nos Rei mortis toties cùm ſimus [*ſi* enim *dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus* (*k*)] o qualiter ante Deum manere oporteret; cùm talis præcipuè ſit Rex iſte, Princeps, & Judex noſter, quem nil æquè ac humilitas poteſt emollire!

Stans ergo Phariſæus, apud ſe orabat; debuerat apud Deum, & ad Deum orare, cùm ipſa oratio ſit mentis in Deum elevatio: & *apud ſe* miſer *orabat*. Non patitur Deus, filii, ſibi præſentes, alteri quàm ſecum colloqui; neque enim id urbani mores permittunt, ut coram tanto Rege, ipſo derelicto, nobiſcum loquamur. Sed quid hic oraret audiamus.

Deus, gratias ago tibi. Videte hujus ſtultitiam, nec orare ſcientis; in ipſo ſtatim orationis ſuæ principio in abſurda ac inepta prorumpit. Interrogo te ego, o Phariſæe, de ipſis initiis: quodnam eſt orationis principium? Certè, ſi in ſacris literis es verſatus, apud illas legiſti, quia *Juſtus prior eſt accuſator ſui* (*l*); & tu laudator es tuì,

(*a*) *Eccleſiaſtici XXXV. v.* 21.
(*b*) *Pſal. L. v.* 19.
(*c*) *III. Reg. VIII. v.* 22.
(*d*) *Dan. IX. v.* 3.
(*e*) *Num. XVI. v.* 22.
(*f*) *Apoc. VII. v.* 11.
(*g*) *Job XXVI. v.* 11.
(*h*) *Cap. XXII. v.* 41.
(*i*) *Matth. XXVI. v.* 39., & *Marci XIV. v.* 35.
(*k*) *I. Joann. I. v.* 8.
(*l*) *Prov. XVIII. v.* 17.

tuì, ac aliorum accuſator atque contemptor. Numquid ergo tu ſacrarum es literarum corrector, aut eo, qui ſapientià mortales omnes anteceſſit, es ipſe ſapientior? Tale ergo principium qualis nam finis conſequetur? Certè bene precantium melior eſt exitus orationis, quàm exordium; at malum tuæ orationis initium peſſimus exitus ſubſequetur. Numquid ſic Abraham, ùt tu, orare incipiebat, cùm diceret: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim pulvis, & cinis* (*a*)? Numquid ſic Regius Propheta David, dicens: *Quis ego ſum, Domine Deus, & quæ domus mea, quia adduxiſti me hucuſque* (*b*)? Numquid ſic deſideriorum vir Daniel Propheta, exclamans: *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio* (*c*)? Sic, ſic ſuperbiſſime hominum tibi fuerat orandum. Annon ego te apertè ex tuis ipſis verbis docebo, quàm ſtultus exiſtas? Si quis pauper eleemoſynam petiturus ad te accedens, auratos collo ſuo torques circumvolveret, pretioſiſſimos digitis imponeret annulos, marſupium aureis nummis plenum oſtentaret; numquid huic tu eleemoſynam largireris? annon potius ipſe ſua ei fortè raperes? Talis èt tu miſer exiſtis, qui aſcendens in Templum ad orandum, quod nihil aliud eſt, quàm a Deo emendicare gratiam, tuos ſtatim jactas theſauros, ac divitias prodis. Quid igitur mirum, ſi id tibi contingit, quod paſſim pecunias multas ſe habere jactantibus, aut pulcherrimam Virginem publicè omnibus oſtentantibus; quorum domos repentè fures & ſicarii homines invadentes, omnia illis bona ſurripiunt, & Virginem etiam dedecorant? Sic tibi tuos hoſce, quos jactabas, theſauros Dæmon abripuit.

Sed numquid non hic bene fecit, Deo gratias agendo? Annon id ipſum & Regius Pſaltes, & Apoſtolus Paulus, ut Deus in eis glorificaretur, ſæpe fecerunt? Hic procul dubio de iis gratias agebat, quæ operabatur, & quæ poſſidebat; ridicula namque eſſet laudatio, ſi de iis, quæ non habuiſſet aut feciſſet, gratum ſe declaraſſet: Neque verò ea ſibi tribuebat, qui pro iis Deo gratias agebat. Cur ergo ejus nos execrabilem dicimus orationem? Latet, o filii, ſub melle venenum, anguis in herba, ſub humillimis verbis elatiſſimus animus; neque enim verba tantùm, ſed proferentis cor Deus attendit. Quatuor quippe gradibus ſuperbiæ vitium comprehenditur: Quidam enim, quæ habent, ſibi ipſis accepta tribuunt, non Deo, quos Paulus inſequitur, dicens: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis* (*d*)? Alii verò, licèt Deo ac-

(*a*) *Gen. XVIII. v.* 27.
(*b*) *II. Reg. VII. v.* 18.
(*c*) *Daniel. IX. v.* 7.
(*d*) *I. ad Corinth. IV. v.* 7.

cepta referant, ſuis tamen id requirentibus meritis ſe a Deo accepiſſe arbitrantur; cujuſmodi multos hodie facile eſt reperire, qui divitias & opes induſtriæ propriæ, ſanitatem moderato victui ac parſimoniæ, periculorum fugam magnæ ſuæ attribuunt providentiæ; non conſiderantes, omnia hæc a Deo proficiſci, a quo & providentiam, & conſilium, & induſtriam nacti ſumus: Tertiò quidam de iis ſe jactant, quæ non habent: Alii demum, quæ habent ſingularia, ab hominibus cognoſci ac videri volunt; ſicut Phariſæus hodiernus gratias Deo agit, *quia*, inquit,

Non ſum, ſicut ceteri hominum, raptores, injuſti, adulteri. Porro hic eſt primus intolerandæ ſuperbiæ fructus, ceterorum deſpectus. Superborum eſt mos, ſe omnibus præferre, ac temerè alios judicare, imo etiam damnare; nec Paulum audientes dicentem; *Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat, aut cadit* (*a*); neque divinam iram metuentes, quæ in illos maximè ſæviet, qui ad Deum ſpectantia temerè ſibi uſurpaverint, cujuſmodi eſt judicium. Et videte, quàm iniquus eſſet hic Judex, qui, partibus inauditis, nec in judicium vocatis, damnationis ſententiam proferebat, quòd nempe ceteri *raptores* eſſent, *injuſti*, & *adulteri*; nec ſolùm id in abſentes, ſed etiam in præſentes; ſubdens:

Veluti èt hic Publicanus: O utinam *veluti èt hic Publicanus*, Phariſæe fuiſſes, qui paulò poſt Dei viventis ore, ac certiſſimâ ſententia juſtificabitur, tu verò damnaberis! Utinam frigidus aut calidus eſſes! ſed quia tepidus es, rejiciet te Dominus a conſpectu ſuo, & ex ore ſuo te evomere incipiet (*b*). Utinam vel caritate arderes, vel, licèt in te refriguiſſet penitus caritas, & abundaret iniquitas, te tamen frigidum ac pauperem, & mortuum eſſe cognoſceres! nam ſic facilior tuì eſſet curatio: Quoniam autem graviſſima infirmitate correptus, te ſanum exiſtimas, incurabilis fit plaga tua.

Neque id tibi ſoli evènit, ſed èt ſociis tuis omnibus, quos ſuperbia tumidos reddiderat. Sic èt alter ille Phariſæus miſerrimus Magdalenam damnabat; huic tamen, quia multum dilexerat, multa ſunt remiſſa peccata (*c*).

Sed cur hoc ſuperbis contingit? nempe quia magis aliena, quàm ſua reſpiciunt peccata; vident feſtucam in oculo fratris, trabem autem, quæ in oculis eorum eſt, minimè vident (*d*). Et quid mirum, ſi non vident, quæ non aſpiciunt; & vident, quæ curioſè ſemper

(*a*) *Ad Roman. XIV. v.* 4.
(*b*) *Apocalypſis III. v.* 15. *&* 16.
(*c*) *Luc. VII. v.* 47.
(*d*) *Matth. VII. v.* 3.

per ac diligentiſſimè examinant? Non ſic certè Job faciebat, qui verebatur omnia opera ſua (*a*): non ſic David, qui rogabat: *Delicta quis intelligit? Ab occultis meis munda me*, Domine, *& ab alienis parce ſervo tuo* (*b*); non ſic Paulus, qui de ſe ipſo perhibebat: *Quæ retrò ſunt obliviſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens meipſum, ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis* (*c*). Peccata tua magis tibi, o Phariſæe, inſpicienda erant, quàm virtutes; non quæ faciebas enarranda, ſed quæ omittebas, aut contra Dei legem patrabas: neque enim ſi hæc animadvertiſſes, dixiſſes:

Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo. Duplices ſunt in nobis, filii, virtutes: exteriores quædam, & quæ noſtræ ſunt quodammodo, cùm in iis nos Deo quoque cooperemur, ùt jejunia, pœnitentiæ, decimarum ſolutio, & hujuſmodi; aliæ verò interiores & abditæ, quæ nobis a Domino gratis ſunt conceſſæ, ùt Fidei dona, caritatis, internæ humilitatis, ſuì ipſius & Dei cognitionis: Hæ ùt illis ſunt nobiliores, ſunt quoque tutiores; ſicut theſaurus abſconditus, & Virgo latens ſecuriores ſunt a rapina, quàm ſi in publicum proferrentur. Phariſæus hic de dignioribus ne verbum quidem facit, quarum penitus erat expers, ſed extrinſecas tantùm virtutes jactat, juxta ſociorum ſuorum morem, quibus aliàs Dominus dixit: *Væ vobis Phariſæi, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium, & miſericordiam, & fidem: Hæc oportuit facere, & illa non omittere* (*d*). Hi exteriora tantùm quædam ſectabantur, in operibus namque ſuis ab hominibus quærebant laudari; intrinſecùs verò virtutibus vacui, faſtu & ſuperbia, ac mille vitiis pleni exiſtebant. Multò tibi fuiſſet utilius, Phariſæe, ſi dixiſſes: ſuperbus ſum, arrogans ſum, ceteros contemno, me ipſum aliis præfero: Melius, ſi quæ non habebas, inſpexiſſes, & modica, quæ habebas, non effudiſſes; nam ſic te dupliciter hypocritam eſſe oſtendebas, & aliis, & tibi ipſi; cùm & ab aliis, quod non eras, videri cupiebas, & ipſe te longè ſanctiorem, quàm eſſes, exiſtimabas: quæ utraque pernicioſiſſima peſtis a nobis eſt maximè effugienda. Vis noſſe, Phariſæe, qui te ſanum arbitraris, quàm ſis non dicam infirmus, ſed morti proximus? Attende: Sicuti de valetudine illius, qui ſanum colorem in vultu gereret, ſævientem autem intus morbum minimè ſentiret, conclamatum eſſe Medicus diceret; ita qui ſe a vitiis immunem, & virtutibus præditum putat, intus

(*a*) *Job IX. v.* 28.
(*b*) *Pſal. XVIII. v.* 13.
(*c*) *Ad Philipp. III. v.* 13. *&* 14.
(*d*) *Matth. XXIII. v.* 23.

intus autem conſcientiæ ſtimulis non angitur, licèt criminibus animus ſcateat, æternæ morti cenſendus eſt proximus. Itaque huic te prorſus ſimilem facis, Phariſæe, qui, dum juſtitiam jactas, quæ intra te latent vitia ignoras, aut negligis; & venenum intus retines, quod te demum conſumet.

Sed adhuc tecum loqui delectat. Vide, quàm temerarium oratione hac tua te oſtentes. Cur enim, quæſo, bona hæc tua opera Deo enarras? Numquid non ei nota ſunt omnia, qui *corda ſcrutatur & renes* (*a*)? Numquid ipſe non modò opera, ſed èt ſingulas licèt minutiſſimas operum circumſtantias ad examen revocat? Nonne obedientiam Abrahæ recogitans, quæcumque illam augere poterant recenſebat, dicens: *Quia non pepercisti filio tuo unigenito &c.* (*b*)? Numquid Magdalenam Phariſæo collegæ tuo conferens, exactiſſimè ſingulos ejus actus referebat, inquiens: *Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, & oſculum mihi non dediſti: hæc autem ex quo intravit, non ceſſavit oſculari pedes meos* (*c*) &c.? Quid ergo ipſe operum tuorum narratione opus habet? Numquid eum hæc ignorare exiſtimas?

O quàm pernicioſa hæc eſt, dilectiſſimi filii, ſuperbiæ ſoboles ac primogenita filia, inanis nempe gloriæ cupido, & propriæ excellentiæ jactantia! Quàm turpe hoc eſt vitium, ſi vèl ejus originem perpendamus; quàm pernicioſum, ſi damna quæ infert, conſideremus! Unde enim, obſecro, originem ducit, niſi a vanitate ac puſillitate animi, & ignorantiæ cæcitate? quæ omnia pulcherrimis ſimilitudinibus expreſſa conſpiciuntur. Similes ſunt hujuſmodi homines pauperrimis ruſticis, qui totos vitæ ſuæ dies in fœtidis ſtabulis permanſerint; oves tantùm & boves, ac ſues viderint; laceris ſemper & viliſſimis veſtibus fuerint induti; panem ſemper furfuraceum comederint: Illi, ubi primùm Civitatem ingrediuntur, ſtatim ac vèl minimam domunculam intuentur, aut artificem aliquem nigris pannis indutum aſpiciunt, hujuſmodi Regium palatium, aut nobiliſſimum virum eſſe arbitrantur. Et quid mirum, ſi abjecta tantùm videre conſueverunt! Simili puſillo animo ſunt arrogantes homines, paucis bonis ac virtutibus aſſueti; qui ideò, ſi quid vèl minimum boni fecerint, ſe ſtatim in Sanctorum Catalogum adſcribendos, ac vota ſibi a ceteris offerenda putant. Miſerrimi! O ſi viderent virtutum excellentiam; ſi quæ ipſis deſunt, & quæ ab ipſis requi-

(*a*) *Pſalm. VII. v.* 10. | (*b*) *Geneſ. XXII. v.* 12. | (*c*) *Lucæ VII. v.* 44. & 45.

requiruntur, agnoſcerent, quomodo ſeipſos deſpicerent! Sunt hi rurſum ſimillimi hominibus capitis levitate laborantibus, quos vèl unica vini gutta inebriat; ſic èt ipſos minima virtutis ſpecies, veluti ebrios in ſuî rapit admirationem. Hinc videte primam inanis gloriæ originem, nempe levitatem ac puſillitatem animi; alteram quoque, videlicet ignorantiam, perpendite.

Quid, quæſo, putatis in cauſa fuiſſe, quòd ſapientes homines ſe nil ſcire exiſtimaverint, ùt etiam præcipuè de doctiſſimo Angelico Doctore Sancto Thoma Aquinate perhibetur, quem ideo ſuperbiæ ſpiritus numquam ſuperavit? Contra verò ſcioli quidam garruli, vix duo verba componere cùm ſciant, omnium ſe Magiſtros arbitrantur. Similiter quænam eſt ratio, cur ſanctiſſimi Viri, quò ſanctiores fuerunt, eò ſe nequiores putaverint, ac defectus ſuos magis noverint? niſi quia hi Deo, vero Juſtitiæ Soli propinquiores, ſingulos ſuos magis vident & notant defectus, quos videre nequeunt, in ignorantia & peccatorum tenebris conſiſtentes.

Verùm damna etiam jactantiæ conſiderate; ac primùm quidem, quàm ſit periculoſum hoc vitium, cùm non ùt cetera malis tantùm, ſed bonis etiam maximè inſidietur, tineæ ſimillimum, quæ ex veſtimento naſcens, illud in primis corrodit; ſic vanagloria virtutum meritum abſumens, virtutes ipſas diruit atque corrumpit. Sed brevitati conſulentes hoc ſolum damnum commemoro, quòd nempe virtutibus vos omnibus, atque earum præmiis peſtis hæc ſpoliat. Non pigeat, obſecro, quid Ezechiæ contigerit, audire; id enim vobis oſtendet, quid ſuperbis hiſce hominibus accidat: *Miſit Berodach Baladan, filius Baladan, Rex Babyloniorum literas & munera ad Ezechiam: audierat enim quòd ægrotaſſet Ezechias. Lætatus eſt autem in adventu eorum Ezechias, & oſtendit eis domum aromatum, & aurum & argentum, & pigmenta varia, unguenta quoque, & domum vaſorum ſuorum, & omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis. Non fuit quod non monſtraret eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. Venit autem Iſaias Propheta ad Regem Ezechiam, dixitque ei: Quid dixerunt viri iſti? aut unde venerunt ad te? Cui ait Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. At ille reſpondit: Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias: Omnia quæcumque ſunt in domo mea, viderunt: nihil eſt quod non monſtraverim eis in theſauris meis. Dixit itaque Iſaias Ezechiæ: Audi ſermonem Domini: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ ſunt in*

domo tua, & quæ condiderunt patres tui uſque in diem hanc, in Babylonem: non remanebit quidquam, ait Dominus. Sed èt de filiis tuis qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur, & erunt eunuchi in Palatio Regis Babylonis (*a*): Quæ etiam omnia, prout prædicta fuerant, evenerunt. Idem fit cum iis, qui ſe ſuaque jactant; nam Babyloniorum Rex Dæmon illos ſuis omnibus theſauris ſpoliatos, ducit captivos in mortem.

Sed jam, ùt video, ſuperbiæ virus agnoſcitis, jam peſtem hanc horretis; ſed fugere neſcitis. Ego vos remedia, ut ab ipſa caveatis, docebo. Primò quidem abſcondenda vobis ſunt bona, quæ agitis, opera; juxta Domini præceptum, ut facientibus vobis eleemoſynam, *neſciat ſiniſtra veſtra quid faciat dextera veſtra* (*b*). Quòd ſi ſecundò ſtatûs ac dignitatis veſtræ publicæ gradus id non patitur, maneat ſaltem apud vos opus in intentione ſecretum, ut Deo ſoli notum eſſe velitis, ne vanæ gloriæ ſubrepat hirudo, quæ omnem a vobis meriti ſanguinem exugat. Ad hoc etiam tertiò proderit, ſi diutiùs in defectuum veſtrorum, quàm in virtutum examine immoremini. Demum quartò, ſi intelligatis, hujuſmodi delictum a Deo non modò Inferni æternis cruciatibus puniri, ſed èt temporalibus ac viſibilibus pœnis; quod inter cetera apertè vos Nabuchodonoſoris, & Herodis exempla docebunt.

Nabuchodonoſor Rex (*c*) cùm totus tumens in Babylonis Aula deambularet, ac, ùt ſupra audiviſtis, diceret: *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cùmque ſermo adhuc eſſet in ore Regis, vox de Cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor Rex: Regnum tuum tranſibit a te, & ab hominibus ejicient te, & cum beſtiis & feris erit habitatio tua: fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud. Eâdem horâ ſermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor, & ex hominibus abjectus eſt, & fœnum ùt bos comedit, & rore Cœli corpus ejus infectum eſt, donec capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium.*

Herodes Rex (*d*) ſceleſtiſſimus, qui Jacobum fratrem Joannis occiderat gladio, & Petrum quoque in carcerem conjecerat, cùm agnoviſſet ſe placere Judæis, nec ob ea flagitia ullas ſe dediſſe pœnas, videte, quomodo non impunè ſuperbierit; nam *ſtatuto die cùm veſtitus veſte regia ſediſſet pro tribunali, & concionaretur ad populum; popu-*

(*a*) *IV. Reg. XX. v.* 12. *& ſeqq.*
(*b*) *Matth. VI. v.* 3.
(*c*) *Dan. IV. v.* 27. *& ſeqq.*
(*d*) *Act. Apoſt. XII. v.* 21. *& ſeqq.*

populus autem acclamaſſet: Dei voces, & non hominis: Confeſtim percuſſit eum Angelus Domini, eò quod non dediſſet honorem Deo: & conſumptus a vermibus expiravit. Mille, niſi tempus deficeret, hujuſmodi vobis proponeremus exempla, filii; ſed duo hæc vos abundè docebunt, quàm Deo ſuperbia diſpliceat, *qui ſuperbis reſiſtit* (*a*), quàm illorum ſit inexorabilis oratio, ùt fuit hodiemi Phariſæi; de quo cùm hactenus egerimus, & quid cavendum ſit vobis oſtenderimus, jam ad Publicani orationem accedamus, ut quæ nobis item in ea ſint obſervanda videamus.

SECUNDA PARS.

Humilitatis in Oratione fructus, dilectiſſimi filii, quis enarrabit? Mala, a quibus liberat, quis recenſebit? bona, quæ affert, quis enumerabit? Ego planè, quia, licèt multum peccaverim, hanc tamen nondum ſum conſecutus, id præſtare non poſſum, ſed inducam ipſe vobis illorum cultores, quibus, veluti expertis in arte, credendum eſt.

Manaſſes (*b*) LV. annis regnavit in Jeruſalem: Hic *fecit malum coram Domino, juxta abominationes gentium, quas ſubvertit Dominus coram filiis Iſraël: & converſus inſtauravit excelſa, quæ demolitus fuerat Ezechias pater ejus: conſtruxitque aras Baalim, & fecit lucos, & adoravit omnem militiam Cœli, & coluit eam.* Hic *obſervabat ſomnia, ſectabatur auguria, maleficis artibus inſerviebat, habebat ſecum magos, & incantatores: multaque mala operatus eſt coram Domino, ut irritaret eum.* Peſſimus denique fuit ac impiiſſimus Idololatra, totque commiſit facinora, quæ nec cunctorum hominum jejuniis atque vigiliis expiari potuiſſent; ſolà tamen humilitate, ac oratione dolenti omnia delevit: Nam, cùm *ſuperinduxiſſet* Dominus *Principes exercitus Regis Aſſyriorum, cepiſſentque Manaſſen, & vinctum catenis, atque compedibus duxiſſent in Babylonem*, ipſe *poſtquam coanguſtatus eſt, oravit Dominum Deum ſuum: & egit pœnitentiam valde coram Deo patrum ſuorum. Deprecatuſque eſt eum, & obſecravit intentè: & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jeruſalem in Regnum ſuum, & cognovit Manaſſes, quòd Dominus ipſe eſſet Deus* (*c*).

Sed doceat vos, quanti Deus faciat humilem & contritam orationem, Prodigus ille filius (*d*), qui *peregrè profectus eſt in regionem*

(*a*) *Prov. III. v. 34.*
(*b*) *II. Paral. XXXIII. v. 2. & ſeqq.*
(*c*) *Ibid. v. 11. & ſeqq.*
(*d*) *Lucæ XV. v. 13. & ſeqq.*

gionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit uni Civium Regionis illius. Et miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autem reverſus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hìc fame pereo! Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te: jam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut unum de mercenariis tuis. Et ſurgens venit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordiâ motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in Cœlum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus. Et quis humilitatis hujus extitit fructus? Audite: Hic omnem ſuam ſubſtantiam, quam a patre peticrat *luxurioſè* diſſipaverat; & tamen *dixit pater ad ſervos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum ejus, & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat, & revixit: perierat, & inventus eſt. Et cœperunt epulari.* Hæc ipſa nos hodie docet probus hic evangelicus Publicanus, non minus appoſitè quàm illi, quos ſupra recenſui, pro ut ejus orationis finis indicabit, qui orando orare nos docuit. Nam primò

A longè ſtabat, quem longè a Deo fecerant peccata; indignum ſe agnoſcebat, qui & in ſacro loco conſiſteret, & a terra benignè ſuſtentaretur. Hic *a longè ſtans*, Cœlum, & Cœli Dominum Deum ad ſe trahebat, qui *humilia reſpicit, & alta a longè cognoſcit* (*a*), qui ab hominibus ſuperbientibus procul recedit; nam cùm accedit homo ad cor altum, exaltatur Deus (*b*). O quàm validum & efficax erat hoc converſionis initium in Publicano, noſſe videlicet, ſe per peccatum a Deo elongaſſe, multumque diſtare! Videte, quomodo totus hic erat interiùs & exteriùs indumento humilitatis amictus, cùm & animus eſſet demiſſus, & oratio humilis; humilis itidem locus delectus, utpote qui nec Sanctuarium ingredi audebat; & humilis aſpectus, quippe qui *nolebat nec oculos ad Cœlum levare*. Jam hic ſapere incipiebat quod optimum erat, nam peccati pudore ſuffuſus, divinæ reformidabat Majeſtatis aſpectum; fortè intra ſe dicens: Infeliciſſimus ego! & qui-

(*a*) *Pſalm. CXXXVII. v. 6.*

(*b*) *Pſalm. LXIII. v. 7. & 8.*

& quibus oculis Cœlum intuebor, a quo me toties ingratè averti? cui toties viliſſima prætuli? quo me toties ſpontè abdicavi? Quomodo ego in Cœlum oculos levare potero, ubi ille Rex inhabitat, quem toties offendi ac blaſphemavi? cujus toties ſum præcepta tranſgreſſus? cui ingratiſſimus ego pro beneficiis infinitis innumeras rependi injurias? Qualiter Cœlum ipſe aſpiciam, qui nec terram videre ſum dignus? Impuriſſimos hoſce oculos cœno ac luto, & fœdiſſimis quibuſque culpis immerſos, ego in limpidiſſimum illud Cœlum, in ſanctiſſimam illam Patriam levabo! O nos felices, filii, ſi hæc ſæpe corde recogitaremus! Et quàm id jure a nobis fieri deberet, qui toties Publicano pejores extitimus! Uxor a marito in adulterio ſemel deprehenſa, numquam impoſterum in eum, cui tantam intulit injuriam, oculos audet conjicere: Et animæ noſtræ, filii, & animæ noſtræ, quas ſibi Chriſtus deſponſavit in Fide, quas ſibi in Baptiſmo conjunxit, pro quibus eſt mortuus, quas tot cumulavit muneribus, quæ toties fornicatæ ſunt cum amatoribus terræ, quæ tam illicitè commixtæ ſunt alienis, oculos audebunt tollere in Cœlum? Ah anima mea, ſi peccaſti tam ſæpe, ſaltem exhorreſce, ſaltem proficuo pudore ſuffundere; diſce ſaltem ab hodierno Publicano verecundiam, ne tibi non modò a Domino, ſed a cunctis etiam circumſtantibus meritò dicatur: *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere* (*a*). Hæc proprii delicti erubeſcentia, eſt converſioni atque expiationi proxima. Sed in iis, qui Deo ſunt reconciliati, adhuc procedit ulteriùs; nam iſti pro alienis quoque confunduntur delictis; ſic Eſdras dicebat: *Deus meus, confundor, & erubeſco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum* (*b*). Et verè Deo plurimùm placet iſtiuſmodi pudor; gratiſſima enim ei fuit Publicani hujus verecundia, qui adeò prudenter oculos ad Deum ſuſtulit, cùm oculos ad Cœlum levare noluit, ùt enim Sanctus Bernardus ait: *Dum non auderet oculos ad Cœlum levare; ipſum Cœlum ad ſe potuit inclinare* (*c*). Quanti autem referat, quibus oculis Deum aſpiciamus, illa Cœleſtis Sponſi verba in Canticis declarant: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa in uno oculorum tuorum* (*d*); Chriſti namque cor ab oculo humili vulneratur, cùm eum ad

(*a*) *Jerem. III. v. 3.*
(*b*) *I. Eſdr. IX. v. 6.*
(*c*) De Diverſis, Serm. XXV.
(*d*) *Cant. IV. v. 9.*

miſericordiam inducit & veniam. Verùm nec hìc tantùm Publicani conſiſtit humilitas, nam præter hæc omnia

Percutiebat pectus ſuum ; & non, ùt hodie plurimi veſtrûm faciunt, manibus tantùm, ſed intimo cordis dolore percutiebat atque dilaniabat. O qualis in hujus pectore ardor latebat, quantus dolor, qui erumpere volebat, ſed non poterat! Quàm par eſſet, nos, dilectiſſimi filii, *ſcindere corda noſtra, & non veſtimenta noſtra* (*a*); pectus hoc noſtrum, Hieronymi Doctoris ſanctiſſimi inhærendo veſtigiis, percutiendo lacerare, in quo cor latet, unde tam multa execranda proficiſcuntur, tot blaſphemiæ, detractiones, malevolentiæ, tot maledicentiæ, odia, injuriæ, ac contumeliæ, tanta vindictæ cupido, tot ſanguinis effuſiones, tot vulnera, tot neces! Pectus hoc percutite, filii, unde tot turpes amores, tot obſcœnæ cogitationes, tot inhoneſtæ locutiones, ac tot denique crimina procedunt, quibus & Deus offenditur, & animæ noſtræ æternus præparatur interitus.

O Publicane doctor ſanctiſſime, magiſter prudentiſſime, quem Divina bonitas ex tot malis tam magnos docuit comparare theſauros, doce nos etiam, obſecro, orare; & ecce quia te audio non jam, ùt impium illum, gratias Deo pro virtutibus tuis agentem, ſed te ipſum accuſantem, & dicentem:

Deus propitius eſto mihi peccatori: Ubi primùm jam Deum agnoſcis, quem & Deum vocas, & quem, ut tibi peccata dimittat, rogas; quis enim hoc niſi ſolus Deus facere poteſt? Tum ab eo miſericordiam imploras, qui miſereri paratus eſt, qui nihil a te aliud, & a nobis expoſtulat, quàm ut petamus. Phariſæus ceteros omnes judicaverat peccatores, ſe uno excepto, raptores, injuſtos, & adulteros: tu demum tertiò te ſolum nominas peccatorem, quia te omnibus pejorem credis ex corde, & *ex abundantia* tui *cordis os loquitur* (*b*): quibus ſanè verbis tu breviſſimam nos & pulcherrimam orationem docuiſti; ſeu hanc a ſe compoſitam Chriſtus Dominus per te nos docuit. Et certè, vel tu, vel ipſe docuerit, non a te ipſo hæc deprecatio prodit, ſed ab æterna illa Sapientia, myſteriis plena & ſuaviſſima hæc verba proveniunt. Hoc unum ego tibi hodie maximè gratulor, quia pro ſumma tua humilitate, *deſcendiſti tu in domum tuam juſtificatus magis quàm ille, omnis namque, qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur.* Quæ gemina propoſitio, omni Chriſtianæ Philo-

(*a*) *Joël. II. v.* 13. | (*b*) *Matth. XII. v.* 34., *& Luc. VI. v.* 45.

Philoſophiæ, atque Theologiæ ſumma eſt atque compendium; nihil enim aliud ſacræ omnes utriuſque Teſtamenti paginæ ſpirant, quàm humilitatem; nil aliud docent, dogmatibus & exemplis, quàm *Deum ſuperbis reſiſtere, humilibus verò gratiam conferre* (a): nam quidquid Chriſtus Dominus Jeſus Dei Filius, quamdiu in terris inter nos extitit, vel dixit vel fecit, id omne eò dirigebatur, ut nos ad humilitatem comparandam excitaret; id omne, quàm ſit deteſtandum ſuperbiæ flagitium, edocuit.

Cur, obſecro, tu Chriſte Dei Fili, cùm ad dexteram Dei ſederes in excelſo illo Majeſtatis tuæ ſolio, adeò es humilis factus, ut ſervi formam acceperis? Cur humillimo loco naſci voluiſti, humillimè vivere, humillimè mori; niſi ut nos reginam hanc virtutum omnium humilitatem doceres? Ut autem peſſimum ſuperbiæ germen e cordibus noſtris evelleres, tot labores, ſudores, ac contumelias, tot ignominias, dolores, & vulnera, tam diram denique mortem pertuliſti, totum tuum ſanguinem effudiſti: & tamen adhuc, ſpontaneo noſtro damno, viget in cordibus noſtris hæc maledicta ſuperbia. Sed *ne deſpicias Domine opera manuum tuarum* (b): Ne ſint, obſecro, irriti tot tui labores, ne ſint in vacuum projecti tot tui cruciatus. Eſto benigniſſime Deus, liberalitatis ac miſericordiæ Pater, propitius nobis miſerrimis peccatoribus; *Peccavimus* quidem *in Cælum, & coram te, jam non ſumus digni vocari filii tui;* ſed non ob id tu Pater noſter eſſe deſiiſti, nec nos filii tui, licèt noſtras omnes ſubſtantias luxurioſè diſſipaverimus. Reſpice in opus tuum, & plaſma. Docuit nos Publicanus hodiernus. Tua in illum miſericordia nobis, licèt erubeſcentibus, nec ad Cœlum oculos levare valentibus, addidit animum, atque ad te accurrendi, ejuſque vel tuis potiùs verbis miſericordiæ opem noſtrorumque veniam delictorum implorandi viam aperuit. Da nobis cor humile, verbis tuis da roboris efficaciam, & peccatis noſtris remiſſionis gratiam, qui cum Patre & Sancto Spiritu vivis & regnas benedictus in ſecula. Amen.

(a) *Jacob. IV. v. 6.*

(b) *Pſalm. CXXXVII. v. 8.*

HOMILIA LX.

IN ASSUMPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ

Habita in Metropolitana Mediolani inter Miſſarum ſolemnia

Feria II. Dominicæ XI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XV. AUGUSTI.

SOLENT nobiliſſimi ac potentiſſimi Reges inter ceteras, quibus ornantur, virtutes, liberalitate atque beneficentia maximè fulgere, quod ab ipſis proprii gradûs ſublimitas jure expoſtulare videtur; nam quò magis ad Deum Summum bonum accedunt, eò ſe ſuaque omnia ſibi inferioribus largiùs communicant. Hinc eſt, quòd nullum eis redditur obſequium, quod ſuo careat præmio atque mercede. Fuit Regum omnium ſupremus, & proinde liberaliſſimus Dominus Jeſus, eò quòd & homo eſſet & Deus, cujus natura eſt, ſe totum omnibus pro eorum captu communicare: Ideo quamdiu etiam mortalis inter nos vixit, fuit in omnes, a quibus aliqua recepiſſet, & benigniſſimus, & ſimul gratiſſimus: in eos verò præſertim, a quibus hoſpitio excipiebatur, cùm tamen ipſe hoſpitio ſuo eoſdem illuſtrare dignaretur; nam pro corporalibus, ſpirituales illis cibos largiebatur, munera cœleſtia conferebat, eorum animas ad capeſſendam virtutem inflammabat, ac denique major ultra captum erat, quam illi accipiebant, retributio, iis donis, quæ ipſi exhibuerant, & quæ nonniſi maximo cum fœnore Chriſto impertiebantur. Quid mirum, ſi Zachæus hæc intelligens, quòd domum ſuam Jeſus ingrederetur, adeò geſtiret? Quid mirum, ſi duæ hæ ſorores Martha & Maria toties Domino offerrent hoſpitium, ſuamque domum illi penitus conſecraſſe viderentur-

rentur, cùm tanta pro minimis præmia ſibi fore conferenda compertum haberent? Et cui notum non eſt, qualia receperint; cùm vèl hoc unum ſatis præmiorum magnitudinem explicet, quòd nempe illas, quæ in terrena eum exceperant domo, in cœleſte ipſe cooptaverit Regnum? Sed ſi Marthæ ac Mariæ beneficia Chriſto exhibita cum iis, quæ Virgo Sanctiſſima ejuſdem Mater (cujus hodie glorioſam in Cœlos colimus Aſſumptionem) Filio contulit, comparemus, certè longè majora atque ampliora, ùt poſt audietis, fuiſſe reperiemus. Grati animi ergo lex exigebat, ut èt majora Chriſtus gratiſſimus filius Matri, quàm illis, rependeret dona. Quod ut fideles omnes intelligant, Sancta Mater Eccleſia congruè admodum & appoſitè, in hodierna Solemnitate, quod paulò ante audiviſtis, recitat Evangelium, ut, Marthæ ac Mariæ hoſpitalitate conſiderata, ſerióque perpenſis præmiis, a Chriſti liberalitate in eas collatis, conjiciamus, quàm magnum hodie gloriæ decus Virgo intemerata acquiſiverit, quæ ventris ac domûs hoſpitio per tot annos eumdemmet exceperat Chriſtum. Poſtulat igitur a nobis & Evangelica hiſtoria, & Mariæ Solemnitas, & ſimul utrumque, ut alterà præſentis ſermonis parte Evangelii literam proſequentes, illud interpretemur; alterà verò id totum Virgini ſacratiſſimæ, ac nobis ipſis accommodantes, & gloriam, ad quam fuit aſſumpta, quaque ad illam vià pervenerit, inquirentes, quibus etiam mediis eò ſit nobis perveniendum, diligenter inveſtigemus. Ita vero omnis hæc brevis ad vos habenda Oratio abſolvetur.

Deſignaverat Dominus alios ſeptuaginta duos diſcipulos, quos miſerat ante faciem ſuam in omnem Civitatem & locum, quò erat ipſe venturus (a), iiſque etiam præcepta multa tradiderat. Quamobrem hodierno quoque hoſpitii ſui exemplo docere illos pergit; curandum ipſis eſſe, ut ſpiritualibus cibis eorum hoſpites paſcerent, cùm ab iis exhibita corporis alimenta reciperent. Ideo, dum circuiret Jeſus, Regnum Dei prædicans, ac veluti cœleſtis Mercator Mundi maria navigaret; de regionibus ad regiones pertranſiens, & nihil niſi animas quærens, *intravit in quoddam Caſtellum* (b), quod erat Bethania, cujus quidem dominium Lazari erat, & ſororum ejus Marthæ, ac Mariæ Magdalenæ. Verùm nunc quoque Dominus vagatur, quia *omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (c); idcirco èt Caſtellum, ſi velimus, cupit intrare: Quod quidem aliud non eſt, niſi

(a) *Lucæ X. v.* 1.
(b) *Ibid. v.* 38.
(c) *I. ad Timoth. II. v.* 4.

niſi cor noſtrum & anima ; hujus quædam foſſæ ſunt cupiditates ; obſtinatio autem quaſi murus illud circumdat ; adeſt ſuperbiæ turris ; victualia porrigunt carnis illecebræ & voluptates ; munimenta ſunt cordis durities ; arma verò , mundanæ ſapientiæ ſophiſmata & machinationes. Hactenus quidem Caſtellum iſtud Princeps Mundi hujus ingreditur Dæmon, illudque diligentiſſimè nititur cuſtodire, nec vigilibus fidit, ſed ipſe met *tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret* (*a*). Sed accedit *fortis armatus* (*b*) Chriſtus noſtrì miſertus ; ad cujus ingreſſum per admirabilem gratiæ ſuæ in nos infuſionem, ſtatim Caſtellum evertitur, & aliud novum ædificatur, cujus murus eſt fortis continentia, antemurale patientia, fundamentum Fides ; ejuſque per dilectionem proximi creſcit ſtructura uſque ad culmen amoris Dei. O quàm ſolidus murus erat, quàm munitus, quo Caſtellum ſuum ille circumcinxerat, qui dicebat : *Quis nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius?* (*ſicut ſcriptum eſt* (*c*): *Quia propter te mortificamur tota die: æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.*) *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu* (*d*)! Adeò tenax bitumen ac fortis eſt calx caritatis, ut extructo cum ea muro, aquarum inundationes Caſtelli hujus incolæ minimè timeant ; *Aquæ* enim *multæ non poterunt extinguere caritatem* (*e*) Dei. Extruit quoque in Caſtello turrim humilitatis, unde veluti ex eminentiſſimo loco omnia ſtatim deteguntur, ac vèl minimi hoſtium incurſus facillimè repelluntur. Sed èt vectigalia illic præparantur, nempe Spiritùs Sancti fructus, Dei voluntatis adimpletio, verbum Dei ; adſunt etiam arma, nempe *lorica juſtitiæ, ſcutum fidei, galea ſalutis, gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei* (*f*): & ecce, quia Deo dante fortiſſimum conſtruitur in hominum cordibus Caſtellum, quo plurimùm delectatur Dominus Deus, illucque non modò cupit intrare *ſtans ad oſtium & pulſans* (*g*), ut aperiant ei ; ſed èt illic habitare, ac permanere deſiderat : ſummæ enim ſunt ejus *deliciæ eſſe cum filiis hominum* (*h*). Verùm *omni cuſtodia ſervandum eſt* iſtud *cordis* Caſtellum, *quia ex ipſo*

(*a*) *I. Petri V. v. 8.*
(*b*) *Lucæ XI. v. 21.*
(*c*) *Pſalm. XLIII. v. 22.*
(*d*) *Ad Rom. VIII. v. 35. & ſeqq.*
(*e*) *Cantic. VIII. v. 7.*
(*f*) *Ad Epheſ. VI. v. 14. & ſeqq.*
(*g*) *Apocal. III. v. 20.*
(*h*) *Proverb. VIII. v. 31.*

ipſo vita procedit (*a*): Duobus autem potiſſimùm modis cuſtodietur: Tum vigilando ad ejus valla & muros, qui ſunt exteriores corporis ſenſus, ac Caro ipſa, quam inſignis dux Paulus Apoſtolus, quomodo cuſtodienda ſit, docet, cùm ait : *Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar* (*b*): Tum verò (quæ quidem præcipua eſt cuſtodiendi ratio) Chriſto Domino noſtro ingreſſum aperiendo, ut illud inhabitet: *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam* (*c*). Intrat autem, ùt audiviſtis, quoties nos volumus, ſicut èt hodie *intravit in quoddam Caſtellum;*

Et Mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum ſuam (*d*). Ubi primùm Chriſti Redemptoris noſtri ſumma paupertas, ac infinita ſe offert admiranda dignatio : Illa quidem , quòd cùm is ipſe eſſet, cui *Cælum thronus eſt, & terra ſcabellum pedum ejus* (*e*), adeò tamen pro nobis pauper eſſe voluerit , ut *nec ubi caput ſuum reclinaret , haberet* (*f*), ſed piorum hominum, inter quos recenſentur duæ iſtæ mulieres, expenſis viveret, ac in eorum domibus hoſpitaretur: Dignatio verò elucet ex eo, quòd, cùm Cœli & terræ ipſe Rex eſſet, ac creaturas omnes paſceret, ab his tamen paſci minimè dedignaretur. In hunc Mundum deſcendens, *in propria venerat* (*g*), & ùt hoſpes recipi non reſpuebat ; imo ab aliis cibos accipiebat , quos ipſe Creator paſcentibus dono dederat. O te felicem inter mulieres Martham, quæ hodie Dei Filium intra tuas ædes excipere meruiſti! Sèd idem, ſi velimus, èt nos poſſumus , cùm ipſum met Chriſtum in membris ejus excipimus. Eumdem audite prædicentem, ſe extremo Judicii die juſtis dicturum (*h*): *Hoſpes eram, & collegiſtis me*. At illi dicent: *Domine quando te vidimus hoſpitem, & collegimus te?* Ipſe verò eis reſpondebit : *Amen dico vobis , quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis;* nam èt quas largimur eleemoſynas de bonis non noſtris, ſed ſuis , [*quid enim habemus, quod non accepimus* (*i*)?] ipſe in libro vitæ tamquam noſtras dignatur deſcribere, ac in iis certum præmii proventum aſſignare. Et quanta eſt hæc ipſius liberalitas atque dilectio, quòd bona præſtiterit, quibus meritorum nobis præberetur occaſio ? Sic èt aliàs ipſe Eliam diuturno tempore per corvum paverat (*k*) ; quem tamen poſtea a Vidua Sarepthana voluit paſci (*l*), ut illa hujus pietatis perciperet præmium.

Sed

(*a*) *Proverb. IV. v.* 23.
(*b*) *I. ad Corinth. IX. v.* 27.
(*c*) *Pſalm. CXXVI. v.* 1.
(*d*) *Lucæ X. v.* 38.
(*e*) *Matth. V. v.* 34. & 35.
(*f*) *Ibid. VIII. v.* 20., & *Lucæ IX. v.* 58.
(*g*) *Joann. I. v.* 11.
(*h*) *Matth. XXV. v.* 35. & *ſeqq.*
(*i*) *I. ad Corinth. IV. v.* 7.
(*k*) *III. Reg. XVII. v.* 4.
(*l*) *Ibid. v.* 9.

Sed, cùm Lazari, Marthæ, & Mariæ, item Caſtelli ac domus mentio fiat, cur Martha ſola nominatur, quæ excipiat, cùm præſertim etiam de Maria poſtmodum dicatur, quòd *optimam partem elegerit, quæ non auferetur ab ea* (a)? Laudat Chriſtus Mariam, ſed a Martha excipitur. Neque hoc vacat myſteriis; nam fortè per id, converſionis noſtræ Chriſti ingreſſu ſignificatæ, principium eſſe activa vita denotatur, quam Martha deſignat; licèt Maria quoque ſuſcepiſſe dici poſſit, ſed ſpiritu; ut nempe exceperit corporaliter Martha, Maria verò cogitatione fixa, quemadmodum ipſa ſuſcipienda foret in Cœlo, potiùs conſideraverit. Vel ſecundò hinc innuitur, Marthæ & Mariæ nominibus (quod ad nos ſpectat) operationem & intellectum deſignari; Martham autem excipere, ſedente Maria, eò quòd contemplationem actio ipſa præcedat.

Excipit autem *Martha in domum ſuam*, non autem in alienam; ùt quidam his temporibus faciunt, qui alios corrigere volunt & reformare, Magiſtratibus, Clericis, Religioſis hominibus detrahentes, alienæ domûs defectus notantes, obliti verò ſuæ; qui zelum quemdam habent non modicum, *ſed non ſecundùm ſcientiam* (b). O quàm multi reperiuntur hujuſmodi, qui ubi in medium bona aliqua proponuntur facienda, quamdiu res ipſos minimè tangit, primi propoſitæ rei ſubſcribunt, eam amplificant, omnibus ſuadere nituntur; at ubi vèl minimum de eorum cauſa agitur, mille quærunt ſe excuſandi modos & artes, & domi non ſunt, vel domum non habent; quibus tamen in Proverbiis a Domino dicitur: *Præbe fili mi cor tuum mibi* (c), nempe domum tuam volo; *unuſquiſque* enim *onus ſuum portabit* (d). Neque verò negaverim, poſt debitam nobis ipſis curam, èt de proximis noſtris nos debere eſſe ſolicitos; eos præſertim, quibus id aliquo modo ex ſuî incumbit officio: Sed propria in primis quærenda ſunt, ac ſua domus Deo offerenda, non aliena, ne facientibus largas de alienis eleemoſynas, id fortè, quod dicitur, quadret: *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui* (e): Quæ quidem verba, licèt ùt proferuntur, ſint intelligenda, quia tamen ditiſſima eſt & abundantiſſima ſacra Scriptura, èt in illis quoque verificari poſſunt, qui propriis domibus relictis vacuis, in alienas volunt Chriſtum inducere, quorum zelus æquè Deo eſt gratus, ac illius ſacrificium, qui coram patre

(a) *Lucæ X. v. 42.*
(b) *Ad Roman. X. v. 2.*
(c) *Proverb. XXIII. v. 26.*
(d) *Ad Galat. VI. v. 5.*
(e) *Eccleſiaſtici XXXIV. v. 24.*

patre dilectum filium mactaret. Eſt igitur Dominus in domum noſtram excipiendus, hoc eſt in animam noſtram, quæ mundanda eſt & ornanda non ſolùm exteriùs, ſed etiam interiùs; nec enim in ſepulchris dealbatis habitare vult Chriſtus: alioqui ſi domus extra ſit ornata, vel juncis ſtrata, & intus plena luto, ac Chriſtus Dominus ipſa ſuperficie delectatus primum pedem incipiat defigere, primam aliquam viſitationis ſuæ gratiam indulgendo, (quod tamen fieri poſſe non eſt credendum, cùm nimis lynceos habeat oculos, ac primo intuitu interiora & cordis abdita rimetur) numquid non reſiliet illico cum indignatione? numquid non effugiet clamans: *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia* (a)? Virtutis namque ſpecies & non veritas, eſt (ùt Philoſophi ajunt) quaſi qualitas, & non ſubſtantia; ſed ſolida virtute ac firma, non autem apparenti, Chriſti domus futura, Anima eſt ornanda, ut eam ipſe libenter inhabitet.

Marthæ domum intravit, *cui erat ſoror, nomine Maria*, nam ad ſorores unanimes, & ſimul cohabitantes Dominus intrat; quia cum iis, qui pace fruuntur, & concordes vivunt, Chriſtus libenter verſatur. *Quàm bonum*, filii, *& quàm jucundum, habitare fratres in unum* (b); quàm Deo dilecta pax, quæ illius cultores, Dei viventis efficit filios! *Pacem habete*, filii, *& Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum* (c). Erat ergo Marthæ ſoror Maria, *quæ etiam ſedens ſecus pedes Domini audiebat verbum illius* (d); ubi illud *etiam* additum puto, ut clarè oſtenderetur, ipſam non obiter audiviſſe verbum Jeſu, quemadmodum diſtracta Martha poterat audire, ſed ſeſe totam in id intendiſſe; tum etiam, quòd unà cum aliis mulieribus ipſa ad Domini Salvatoris pedes ſedens audiret. Ubi èt admirari compellor Mariæ aviditatem divini verbi audiendi, qua ceteris omnibus poſtpoſitis, quod Propheta præceperat dicens: *Audi filia, & obliviſcere populum tuum* (e), ſibi potiſſimùm dictum exiſtimabat; ideoque & ſororis, & omnium oblita, in ecſtaſim rapta ſedebat, & divini eloquii vim atque dulcedinem, quod ſummopere illius inebriaverat animam, prægustabat. Qua corporis ſui compoſitione Maria, duo nos docebat neceſſaria eſſe divini verbi auditoribus, ut *audientes verbum Dei, cuſtodiant illud* (f), & fructus ex eo percipiant: Alterum eſt quies, quod *ſedendo* deſignabat; Alterum verò reverentia & humilitas, quod *ſecus pedes* ſedens oſten-

(a) *Pſalm. LXVIII. v.* 3.
(b) *Pſalm. CXXXII. v.* 1.
(c) *II. ad Corinth. XIII. v.* 11.
(d) *Lucæ X. v.* 39.
(e) *Pſalm. XLIV. v.* 11.
(f) *Lucæ XI. v.* 28.

oſtendebat. Quem, filii, creditis ex divino verbo fructum capere poſſint ii, quorum mens mille implicita negotiis adſtat, qui terrenis curis magis, quàm audiendo Dei verbo vacant? Nullum profectò; nam ēt hoc Philoſophorum quiſpiam noſſe videbatur, dicens, *animam ſedendo fieri ſapientem*. Porrò unde major ſapientia, quàm ex divini verbi auditu? Vacate ergo, filii, & ſedete; omnibus Mundi curis rejectis, ſancto ocio ac quiete fruimini, & ad Domini pedes in humilitate ſedete; *Dominus* enim *humilibus dat gratiam* (*a*). O ſanctiſſimos Domini pedes; quis mihi nunc det apud vos poſſe ſedere! quàm ipſe vos ſtringerem, quàm complecterer fortiter, *neque dimitterem, donec benediceret Dominus mibi* (*b*)! Vos beatiſſimi pedes, qui *ambulaſtis ſuper aſpidem, & baſiliſcum, & conculcaſtis leonem, & draconem* (*c*); qui tam multa pro ſalute mea confeciſtis itinera, qui a *ſummo Cœlo egreſſi eſtis* (*d*)! Vos, inquam, beati pedes, pro me ligno ſalutari Crucis affixi! O ſuaviſſimi pedes, o dulciſſimi pedes; utinam ego vos lacrymis irrigare, exoſculari, lambere poſſem!

Noveras tu Magdalena Sanctiſſima, quanta in pedibus illis virtus exiſteret, nec eos dimittere volebas; neque te umquam ſororis preces, aut totus Mundus ab iiſdem divellere potuiſſet. Prudentiſſima mulierum, quæ quantò humiliùs ad Chriſti pedes ſedebas, tantò altiùs divina percipiebas! Erat Chriſtus fons vitæ æternæ, *fluvius lætificans Civitatem Dei* (*e*), flumen Eccleſiam irrigans, lavacrum regenerans, piſcina ſanans, balneum mundans; & quia aquæ confluunt ad convalles de ſummitatibus montium, ideo Maria ad vallis oram ſedebat, in quam tam *magna multitudo dulcedinis tuæ* (*f*), Rex Chriſte, defluebat. Hi ſunt pedes, Maria, quos tu oſculari non deſtitiſti, quos tu lacrymis rigaſti: hi ſunt pedes, quos tu capillis terſiſti, penes quos omnium percepiſti remiſſionem peccatorum (*g*). Apud hos pedes tu ex peccatrice ſpeculum es facta pœnitentiæ; ex vaſe contumeliæ, in vas tranſlata fuiſti gloriæ; & quæ Diaboli fueras ſerva, facta es Dei filia: pedes hi tibi veniam ſcelerum, tibi copiam munerum, tibi abundantiam cœleſtium contulerunt bonorum. Quid ergo mirum, ſi *ſecus* hos *pedes ſedebas*, apud quos jure ſedere debebas?

Et audiebat verbum illius. Annon dixi, quia Maria in valle con-

(*a*) *Jacobi IV. v. 6.*
(*b*) *Geneſ. XXXII. v. 26.*
(*c*) *Pſalm. XC. v. 13.*
(*d*) *Pſalm. XVIII. v. 7.*
(*e*) *Pſalm. XLV. v. 5.*
(*f*) *Pſalm. XXX. v. 20.*
(*g*) *Lucæ VII. v. 38. & ſeqq.*

conſiſtens, torrentis in ſe aquas colligebat? Ecce torrentem Chriſtum, ecce aquas fluentes, verbum illius. *Audiebat Maria ſedens verbum*. Heu me filii! Quàm multi hodie ſedent, qui ſedere non deberent, ſed ambulare; ſedent *in via Ægypti* (*a*); ſedent *ſuper ollas carnium* (*b*); ſedent *ſecus viam Jericho* (*c*); *in tenebris* denique, *& in umbra mortis ſedent* (*d*)! quibus a me toties fuit etiam cum lacrymis dictum, quia *omnia tempus habent* (*e*): tempus ambulandi, & tempus ſedendi; tempus laborandi, & tempus quieſcendi: ſed nunc ambulandi, nunc laborandi, nunc ſeminandi tempus eſt, ne cùm adveſperaſcere cœperit, cùm nox mortis advenerit, a Patria ſimus longinqui; non laborantes, mercedem non recipiamus; ac denique, cùm non ſeminaverimus, nec colligamus, & in æterna illa æſtate tamquam pigri, quorum campi pleni ſunt ſpinis & tribulis, fame pereamus. Non ſic, filii, ſedendum docet Maria, quæ dum ſedebat ad pedes Jeſu, maximè tamen ambulabat, ſingulis momentis, ne dicam horis aut diebus, longa vitæ ſpatia tranſigendo; elongabatur a Mundo, appropinquabat ad dilectum ſuum Chriſtum, *& audiebat verbum illius*. Qua etiam ex re mirum vobis minimè videri debet, ſi nos, & Coadjutores noſtri Sacerdotes ſimul omnes, ſingulis diebus, in ſingulis locis, & *opportunè & importunè* (*f*) vobis prædicare non ceſſamus; quod tamen importunè numquam fieri poteſt, etiamſi numquam ceſſaremus, nam animæ ſalus, & quæ ad eam comparandam juvant, importuna eſſe non poſſunt: Hæc, inquam, vobis admirationem afferre non debent, quando exemplo ſuo adeò apertè Chriſtus nos docuit, ubique ſemper omnibus eſſe prædicandum; cùm hodie vix domum ingreſſus, ad amicas mulieres ſtatim verba facere aggrediatur; nec de cibo ſuo aut quiete ſolicitus ſit, ſed de paſcendis illis, a quibus ipſe cibum erat ſumpturus.

Equidem bonis ſemper inſultant qui minus fervido ſunt corde: Martha adversùs Mariam querelam exponit; ſed potiùs adversùs ipſummet Chriſtum exponere dixerim, cùm ait: *Domine, non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare* (*g*)? quaſi Domino non *ſit cura de omnibus* (*h*), ſine cujus permiſſu nec de arboribus leviſſimum quidquam demitur. Quàm multi etiam hodie idem Domino dicunt, cùm eos tentari aut tribulari permittit: *Domine non eſt*

(*a*) *Jerem. II. v.* 18.
(*b*) *Exod. XVI. v.* 3.
(*c*) *Matth. XX. v.* 30.
(*d*) *Luc. I. v.* 79.
(*e*) *Eccleſiaſtes III. v.* 1.
(*f*) *II. ad Timoth. IV. v.* 2.
(*g*) *Lucæ X. v.* 40.
(*h*) *Sapient. XII. v.* 13.

tibi curæ? Sed multò pejores ſunt illi, qui religioſis, ac divino cultui dicatis Viris detrahunt, ac dicunt: *Ut quid* hi *terram occupant* (*a*)? Cur terræ fruges inutiliter comedunt? quaſi panem otiosè comederent, quia iiſdem, quibus illi, curis non vacant. O ſtulti, utinam ſic vos omnes eſſetis ocioſi; utinam ita in ocio negotioſi! Circumſtant hoſtium agmina Civitatem, in qua quidem multi ſtrenuè laborantes alii muros extruunt, alii foſſas evacuant, alii tormenta bellica curant, alii in eminenti turris loco diu noctuque evigilant, proſpicientes, num hoſtes aliquid moliantur, aut appropinquent. Annon per injuriam primi illi, hos ultimos, ad publicæ ſalutis cuſtodiam oculos tantùm intendentes, ocioſos vocarent? Væ illis profectò, niſi hi adeſſent; quibus ad tutelam vigilantibus, ipſi, poſtquam laboraverint, ſomnum ſaltem aliquando capere poſſunt! Sunt in Eccleſia militanti plurimi activæ vitæ dediti; ſunt ėt nonnulli contemplativæ. Illi *turbantur erga plurima*; iſti *ſedent ſecus pedes Domini*. O nos infelices, niſi adeſſent hujuſmodi! Quot Dei flagella, orationibus ſuis, a nobis iſti avertunt! Numquid, quia Moyſes cum populo non pugnabat, ſed pugnantibus aliis orabat, erat inutilis? Annon potius, cùm manus attolleret, victoriam illis impetrabat (*b*)? Doceant vos miſeræ illæ quinque Civitates, in quibus quia quandoque hujuſmodi reperti non fuerunt, ipſæ igne & incendio ſunt devoratæ (*c*).

Quid tu Martha Dominum rogas: *Dic illi, ut me adjuvet?* Cur veſtrùm aliqui, o filii, Religioſos ac Sacerdotes ſecularibus volunt implicari negotiis? Et qua ratione poſſunt illi magis vos adjuvare, quàm, dum vos peccata committitis, ſacrificia pro vobis offerendo? dum Deum ad iram provocatis, eumdem vobis propitium reddendo? dum vos impetunt Dæmones, pro vobis orando? Num quia oculus non æquè ac pes laborat, eſt corpori inutilis (*d*)? Tollite ex corpore oculos, & in mille præcipitia miſerrimè ruetis; tollite ex Civitatibus juſtos & religioſos, ac orationi deditos; & putabitis, quia vos diutiùs ſuſtinere poterit Dominus? Dicite obſecro: quis uberes terræ fructus impetrat; nonne orantes? Quis peſte graſſante ſalubritatem aëris obtinet; quis inimicos a veſtris finibus arcet; quis facit, ut optata pace fruamini; nonne orantes? Quis Deo manus quodammodo ligat; quis denique Deum dicere compellit: permittite me, ut caſtigem populum hunc; nonne, inſtar Moyſis (*e*), orantes? Permittite obſecro, filii,

Mariam

(*a*) *Lucæ XIII. v.7.*
(*b*) *Exod. XVII. v.11.*
(*c*) *Geneſ. XIX. v.24. & 25.*
(*d*) *I. ad Corinth. XII. v.15.*
(*e*) *Exod. XXXII. v. 10.*

Mariam ſedere. Juvate potiùs vos, & fovete Mariam eleemoſynis veſtris; Sacerdotes, Religioſos, Dei ſervos & famulas nutrite, ne umquam a Domini pedibus recedant; nam ſi receſſerint, vos miſeros! O, niſi Alexius Sanctiſſimus ſub ſcala ſediſſet, quot mala Romanis omnibus ſuperveniſſent! Audite Deum ipſum, id Romano Pontifici omnibus audientibus apertè teſtificantem (*a*). Neque tamen ob id negaverim (ubi caritas poſtulet & proximi neceſſitas) etiam contemplationis ocium ac propriæ conſolationis quietem eſſe deſerendam; nam *qui viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo* (*b*)? Nec Maria ſediſſet, ſi ejus operà Martha indiguiſſet, cùm modicum id, quod Chriſto fuerat præparandum, facillimè ipſa ſola parare potuiſſet. Sed ubi hujuſmodi cauſæ non ſuppetunt, ſinite illos, neque iiſdem moleſti fueritis: nam licèt ipſi tacuerint, clamabit pro illis Dominus, eorumque cauſam defendet; quod vèl Mariæ ſilentio diſcite, quæ ſemper tacens, defenſorem & advocatum meruit Chriſtum habere. It Maria in domum Simonis, currit ad pedes Jeſu; Phariſæus illam condemnat, & ait: *Hic ſi eſſet Propheta, ſciret utique, quæ & qualis eſt mulier* (*c*), eamque a ſe rejiceret. Nil tamen Maria reſpondet, pergit Chriſti lambere pedes; pro ea Chriſtus reſpondet: *Vides hanc mulierem &c.?* (*d*) Pergit ad Chriſtum Maria, & vas alabaſtri unguenti in caput effundit; obmurmurant diſcipuli, & præcipuè Judas, dicentes: quia *poterat unguentum iſtud venundari pluſquam trecentis denariis, & dari pauperibus*. Tacet Maria; ſed Chriſtus reſpondet: *Sinite eam. Bonum opus operata eſt in me. Prævenit ungere Corpus meum in ſepulturam* (*e*). Sedet hodie Maria, & intenta Dei verbum auſcultat; conqueritur Martha, & ſtans, ad Dominum converſa proclamat: *Domine non eſt tibi curæ, quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare? Dic ergo illi, ut me adjuvet*. Tacet Maria; & reſpondens Dominus Marthæ dicit: *Martha, Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima* (*f*). Maria *cor ſuum coram Chriſto effuderat* (*g*), *revelaverat ei cauſam ſuam* (*h*), illum in

ſui

(*a*) Hanc Summi Pontificis admonitionem ad Populum referunt Acta Sancti Alexii, quæ in nonnullis corrigenda eſſe admonuit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ſub die XVII. Julii. Eadem luculentis Commentariis illuſtravere Sectatores Bollandi ad eumdem diem, falſa a veris ſecernentes.

(*b*) *I. Joann. III. v. 17.*
(*c*) *Lucæ VII. v. 39.*
(*d*) *Ibid. v. 44.*
(*e*) *Marc. XIV. v. 5. & ſeqq.*
(*f*) *Lucæ X. v. 41.*
(*g*) *Pſalm. LXI. v. 9.*
(*h*) *Jerem. XI. v. 20.*

ſui patrocinium aſſumpſerat, ſicut etiam Mariæ ſimiles aſſumuntur a Domino, dicente: *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei* (*a*): Ideo Martham increpans dicit: *Martha, Martha*. Sed quàm dulcis increpatio, quæ ex geminata nominis appellatione Chriſti amorem ſignat! quos enim diligit, eorum nomina recolit; ſecus verò impiorum, de quibus ait: *Neq memor ero nominum eorum per labia mea* (*b*). Sic in Evangelio pauperis Lazari nomen exprimitur; Divitis verò minimè. *Solicita* eſt igitur Martha, *& turbatur*; ſolicitudinem quippe turbatio ſequitur. Quòd ſi Marthæ erga Chriſtum ſolicitudo quodammodo reprehenditur, ecquid erit de iis, qui erga terrena atque illicita ſunt valde ſoliciti? Quid de iis, qui curam ſuam omnem ac ſtudium ponunt in congregandis opibus, in propagandis agris & domibus? Et hi quidem certè *turbantur*; ea namque eſt horum proprietas, ut & in quærendo, & in retinendo, & multò magis in amittendo perturbentur: Quæ etiam ſolicitudo maximam Patri noſtro Deo infert injuriam; ſi enim ejùs nos ſumus filii, quis dubitet, ſummam illi curam eſſe de nobis? Cur ergo immoderatà ſolicitudine erga plurima turbamur? cùm tamen

Unum eſt neceſſarium, nempe Deo per cognitionem & amorem adhærere; omnis enim in eo noſter finis eſt poſitus. Attamen miſeri mortalium animi in tam multa diſtrahuntur; & quod potiſſimum eſt ac neceſſarium omittentes, plurima, eaque ſuperflua, anxii quærunt. Quibus verbis nec defuere, qui literaliter ea exponendo dixerunt, Dominum id ſignificaſſe: nempe non opus fuiſſe, quòd adeò Martha angeretur, aut ſororis egeret auxilio, cùm Chriſto Domino vèl unicus tantùm cibus ſatis eſſet, nec plures requireret. Quo ſanè loco quis non deploret veſtros, o Mediolanenſes filii, mores, veſtramque in tam multis Menſæ apponendis ferculis curam? cùm tamen paucis ſit natura contenta; cùm plures interfecerit gula, quàm gladius; cùm morborum, infirmitatum, ac ſæpe mortis mater ſit intemperantia, ne dicam quàm multa inde vitia proficiſcantur atque peccata; ùt rectè Sapiens id deteſtabatur, qui non modò cibos adeò lautos, & multos non eſſe diſquirendos, ſed nec appoſitos quidem Principum menſis comedendos ſuadebat, dicens: *Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ appoſita ſunt ante faciem tuam, & ſtatue cultrum in gutture tuo: ne deſideres de cibis ejus, in quo eſt panis mendacii.*

(*a*) *Zachariæ II. v.* 8. | (*b*) *Pſalm. XV. v.* 4.

cii (*a*). *Statue* inquit *cultrum*, hoc eſt cohibe cupiditatem tuam, &, veluti cultro gutturi immiſſo, refræna immodicam appetentiam rerum appoſitarum; nec cultro abutaris ad quævis edulia diſcindenda atque manducanda: Rectè autem in cibis dicitur *panis eſſe mendacii*, cùm fallaces ſint, & deliciis ſuis ad intemperantiam, ac innumera mala homines pertrahant. Uno tantùm, & quidem leviſſimo cibo, inquit Theophilactus antiquiſſimus itemque graviſſimus auctor, contentus Dominus, *unum* ideo eſſe *neceſſarium* dicebat; *in multis enim eſcis erit infirmitas: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam* (*b*). Quòd ſi moraliter hæc verba intelligamus; quis ignorat, quàm cara ſit unitas Chriſto, qui ad Patrem orans dicebat: *Rogo, Pater, ut ipſi in nobis unum ſint* (*c*); qui èt ipſe unus eſt. Ad hanc nos unitatem hortatur Apoſtolus (*d*) *idipſum ſapere, unanimes idipſum ſentire*; ſicut èt Apoſtolorum *erat cor unum, & anima una* (*e*). *Inconſutilis* etiam erat Domini *tunica* (*f*), caritatis deſignans unitatem, ab iis requirendam, quorum *unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma* (*g*). Hac unanimitate, ùt diximus ſupra, nil Deo gratius, quæ èt Deum nobis facit propinquum, qui dicit: *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* (*h*). Sed vitanda eſt peſſima quædam & maledicta unitas, atque concordia eorum, qui in malo conveniunt; hæc enim non ſancta ac divina, ſed diabolica unitas eſt: *Porro unum eſt neceſſarium*, nempe quod ex corde David petebat a Domino, dicens: *Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*i*). Hoc unum Maria Marthæ ſoror elegerat, ideo de ea dicitur, quòd

Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Jam diximus ſæpius, in duabus hiſce ſororibus, duas nobis vitas deſignari; activam ſcilicet in Martha, contemplativam verò in Maria. *Elegit* ergo Maria *optimam partem*, quia activæ vitæ præſtat contemplativa; illa enim, licèt ab invito, tolli poteſt, non autem iſta: hæc ex natura ſua majoris eſt meriti, quàm illa: hæc diuturnior eſt illâ, utpote quæ in Patria perficitur; tum quia verſatur circa incorruptibilia & inviſibilia, nempe divina atque cœleſtia meditanda; tum ex parte etiam noſtrî, quia convenit nobis ſecundùm actio-

(*a*) *Prov. XXIII. v. 1. & ſeq.*
(*b*) *Eccli. XXXVII. v. 33. & 34.*
(*c*) *Joann. XVII. v. 21.*
(*d*) *Ad Philipp. II. v. 2.*
(*e*) *Act. Apoſt. IV. v. 32.*
(*f*) *Joann. XIX. v. 23.*
(*g*) *Ad Epheſ. IV. v. 5.*
(*h*) *Matth. XVIII. v. 20.*
(*i*) *Pſal. XXVI. v. 4.*

actionem incorruptibilis potentiæ, ideſt ſecundùm intellectum; qua inſuper de cauſa poſt præſentem vitam poteſt perdurare; tum etiam quia in ea non manibus laboramus, ideo plus ei incumbere poſſumus; ac demum, quia dulcior eſt atque ſuavior; *non enim habet amaritudinem converſatio illius* (*a*), oblectat quippe intellectum, & voluntatem. Ideo Magdalena quieta ſedet; Martha verò ſolicita *turbatur erga plurima*. Sed ſi illa ita laudatur; ubi, obſecro, illud eſt Domine, quod èt tu aliàs dixiſti: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus, & ubi ego ſum, illic èt miniſter meus erit* (*b*)? Cur Diſcipulos monuiſti: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter* (*c*)? Numquid non iniquitatis te Martha arguere poſſe videtur, cùm & ſententiam tuleris a tuis ipſis verbis diſcrepantem, ac ipſam tibi miniſtrantem & benefacientem quodammodo increpaveris? Sed *melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens* (*d*); neque enim iniqua fuit tua reſponſio, nam aut de electione Mariam laudaſti, aut quòd ad utrumque jubente Domino eſſet parata, nempe ad verbum tuum ſanctiſſimum audiendum, & ad miniſtrandum; ſed te ita volente, quem, ceteris paribus, ſpiritualia magis, quàm corporalia delectant obſequia, in tuì verſaretur contemplatione.

Quæ non auferetur ab ea. Jam jam filii ſecura ad Chriſti reſidet pedes in Cœlis Maria: Non jam illam amplius Martha perturbat, non eam amplius Phariſæus incuſat, non jam amplius Judas cum Apoſtolis murmurat; ſed læta inebriatur Chriſti ſuavitate, illum ſolum ſemper & continuò contemplatur, ab eo numquam mentis oculos divellit, ſed ſanctâ quadam ecſtaſi tota in illum rapitur; ipſe illi eſt cibus, viſus, armonicus concentus, ſplendor, guſtus, olfactus, *omnia* denique *in omnibus* (*e*): idem quoque nobis futurus, ſi quam illa *elegit partem*, elegerimus èt nos. Sed brèviter jam ad Mariam, Dei Matrem ac noſtram accedamus.

Intravit Dominus Jeſus, cùm e Cœlis deſcendit in terras, *in quoddam Caſtellum*, cùm in hunc Mundum acceſſit, qui ſi Cœlo conferatur, multò minor eſt, quàm ſit exiguum in totius terrarum Orbis comparatione Oppidulum; ubi locus cum Propheta exclamandi videtur apertiſſimus: *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei, & ingens locus poſſeſſionis ejus* (*f*)! In hoc ergo Caſtellum cùm veniſſet, illa

(*a*) *Sap. VIII. v. 16.*
(*b*) *Joann. XII. v. 26.*
(*c*) *Matth. XX. v. 26.*
(*d*) *Eccleſiaſtici XLII. v. 14.*
(*e*) *I. ad Corinth. XV. v. 28.*
(*f*) *Baruch. III. v. 24.*

illa eum *in domum ſuam excepit*, quæ Angelo nuncianti ejus adventum reſpondit: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* (*a*). Videte, quàm benignè, quàm liberaliter illum excepit! Salutatur mater futura; virginalis ejus uterus in Chriſti eligitur hoſpitium: Et non modò quidquid habet, ſed èt quidquid eſt, totam nempe ſe ipſam ei offert ancillam. Quàm *diligit hilares* hoſce *datores* Dominus *Deus* (*b*)! Et verè hi ſoli ſapiunt, quia Dei noverunt infinitam liberalitatem; quoniam quò plura dederint, eò ſe ſciunt plura recepturos; omnia dant unà cum ſe ipſis. Sic ſe totam Maria cùm dediſſet, totum ſe ei etiam reddidit Chriſtus, totam illam gratià cœleſti veluti indumento cooperuit, ùt a prandio, Deo dante, audietis.

Suſcepit Martha Chriſtum, ſuſcepit èt Maria; ſed o quantum inter utramque diſcrimen! Illa ſuſcepit in domum, hæc ſuſcepit in uterum; illa pane & cibis variis pavit, hæc proprio ſanguine enutrivit; illa eum ſæpius per triennium excepit, hæc integros novem menſes in ventre continuit, & triginta annorum curriculo ſecum etiam domi ſuæ habuit; illa Martha fuit, hæc verò Martha ſimul, & Maria: illa *ſatagebat circa frequens miniſterium*, hæc etiam ſimul *audiebat verbum* Dei: illa *ſolicita erat, & turbabatur erga plurima*, hæc præter id *ſedebat* etiam & quieſcebat: illa ſolùm activa, hæc & activa, & contemplativa; hæc denique *optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea*.

Ac primùm quidem Virgo Sacratiſſima *ſatagebat circa frequens miniſterium*. O quàm fuit frequens Mariæ miniſterium ab eo die, quo in ejus uterum Dei Filius deſcendit, uſque in mortis ſuæ diem! Fuit planè Virgo Maria, Martha *ſatagens circa frequens miniſterium*, Chriſto Jeſu ſolicitè inſerviens; & a præſepio uſque ad ſepulcrum ſedula ei miniſtravit; non menſam opiparam illi tantùm appoſuit, ùt Martha, ſed ubera lacte virgineo plena ori Salvatoris ſæpe ſæpius diu noctuque admovit. O quibus lacrymis faciem Infantuli pia mater lavabat, gaudens & videns Deum hominem factum, quem videre tantopere ipſa deſiderabat! Quid, cùm in Ægyptum, fugiens tyrannidem improbi Herodis, per deſerta ſquallentia ſuis brachiis Virgo tranſtulit? Quo amore, quo materno affectu, dolore acerbo ſauciata, triduo flens ac gemens, inter vicinos & cognatos quæritavit? Ipſa veſtivit nudum, talarem tunicam ex ſuis viſceribus ei contexens, & Filium Dei

(*a*) *Lucæ I. v.* 38.

(*b*) *II. ad Corinth. IX. v.* 7.

Dei carne velatum nobis dedit; pavit eſurientem; potum dedit ſitienti. Quoties filium infirmum viſitavit, flagellis dirè cæſum in domo Pilati contemplans; vinculis alligatum inviſit, ubi funibus cateniſque ferreis irretitum agnovit; captivum redemit, in Templo *par turturum, aut duos pullos columbarum* pro illo offerens (*a*): collegit hoſpitem, nam multoties feſſum, iter agentem Jeſum in ædes ſuas recepit? Fuit Virgo velut Martha, cùm ad Eliſabeth profecta, ei tot menſes tam aſſiduâ ſolicitudine inſervivit. Ei nec Marthæ negotium defuit, nec Mariæ ocium; nam licèt *omnis gloria filiæ Regis* eſſet *ab intus*, *in fimbriis* tamen *aureis circumamicta* erat *varietate* (*b*); omnes quippe in illa virtutes reperiebantur. Habebat oleum in lampade ſua Maria, prudentibus Virginibus ſimilis; nec ſolâ Virginitate contenta, humilitatem, miſericordiam, caritatem, reliquaſque omnes virtutes illi adjecit. Et in qualem domum, quæſo, hæc Virgo Chriſtum excepit, quàm mundam, quàm nitidam, quàm candidam! Non certè vacuam, imo *gratiâ plenam* (*c*), qua ejus anima, & antequam ipſa naſceretur, fuit plena, & ſuperveniente cœleſti hoſpite adhuc repleta, & Spiritu Sancto in Apoſtolos deſcendente adhuc ſuperimpleta, & quamdiu vixit, millies repleta; cùm quidquid diceret, faceret, vel cogitaret, novum ei ſemper gratiæ afferret augmentum; qua & ſibi plena fuit, & nobis, ut ejus gratiæ affluentia etiam in nos redundaret.

Sed èt *ſolicita* fuit Maria de totius humani generis ſalute, cùm, ut eam aliquatenus hac ſolicitudine Angelus levaret, ei dixerit: *Ne timeas Maria; inveniſti enim gratiam apud Deum* (*d*), quam videlicet tamdiu deſideraſti. Et *turbabatur erga plurima*. Quibus, quæſo, perturbationibus animus angebatur Mariæ, innumera & infinita totius Mundi peccata conſiderantis! Quomodo illius cor ſauciabant; quomodo *zelabat ſuper iniquos*, *pacem peccatorum videns* (*e*); quomodo *zelus* honoris Divini *comedebat eam* (*f*)! Non tanto corripitur dolore ſponſa caſtiſſima, ſponſum ſuum a temerario quopiam injuriis laceſſitum videns, aut verberibus affectum; non adeò præ mœrore deficit mater, filium ſuum unicum vulneribus confoſſum aſpiciens: ſicut ſuper injuriis Chriſto Deo, ſponſo, & filio ſuo dulciſſimò atque cariſſimo per univerſum terrarum Orbem illatis, piiſſima hæc & mater, & ſponſa contriſtabatur. *Turbabatur*

(*a*) *Lucæ II. v.* 24.
(*b*) *Pſal. XLIV. v.* 14. & 15.
(*c*) *Lucæ I. v.* 28.
(*d*) *Ibidem v.* 30.
(*e*) *Pſal. LXXII. v.* 3.
(*f*) *Pſal. LXVIII. v.* 10.

batur certè, & anxiabatur *erga plurima*, quæ plurimis mederi cupiebat malis; & quod, utpote virgo & mulier humana commercia fugere ſolita, reipſa præſtare non poterat, certè pio animi affectu, & ſolicito ſtudio præſtabat. Qualem nos ſolicitudinem, ac animi perturbationem ſanctiſſimam unà cum ceteris innumeris virtutibus ſuis ab ipſa diſcere deberemus! Porro hanc etiam facilè aſſequeremur, ſi Deum diligeremus: Verus enim amor offenſas amanti facit communes; ſed quia non didicimus, idcirco & ipſi peccamus, &, aliis peccantibus coram nobis, non ſumus ſoliciti, nec circa id quidquam turbamur, diabolica quadam animi quiete, & ſatanico ocio marceſcentes.

Sedebat etiam Maria Virgo, *ſecus pedes Domini, & audiebat verbum illius*; non ſolùm Marthæ, ſed Magdalenæ quoque fungens officio, quod èt ab infantia exercuerat: Quid enim illam, antequàm Filium ſuum unigenitum conciperet, facere ſolitam creditis? Num quod horum temporum nonnullæ Virgines faciunt, nempe per Civitatem vagari? Minimè profectò; ſed domi latitans, Scripturæ Sacræ libros evolvens, orationibus intenta, eloquia Domini meditabatur, futura humanæ redemptionis myſteria contemplabatur. Cùm verò Filium ſuum peperiſſet, ac Paſtores, qui ad eum acceſſerant adorandum, *loquerentur ad invicem*, ipſa *conſervabat omnia* eorum *verba*, *conferens in corde ſuo* (*a*). Quòd ſi Paſtorum verba ruminabat, ac conferebat in corde ſuo; & quid illam feciſſe credideritis de Filii ſui Chriſti Jeſu Domini noſtri verbis? Non ita aurifex, aut qui gemmas tractat, diligenter omnia colligit, ne quidquam vèl minimum pereat, ſicuti Maria diligentiſſimè omnia Chriſti verba conſiderabat, ac in animæ ſuæ reponebat theſauro, ut ne *unum* quidem ex iis *jota præteriret* (*b*); noverat enim ipſa, quanti eſſent facienda, cùm Divinitatis vim in ſe ipſa, pluſquam ullæ aliæ umquam creaturæ, fuiſſet experta. Certè arbitror, quia omnis Mariæ vita, tota actio fuit, tota itidem contemplatio. Si eam in præſepio conſidero, attentiſſimè video in natum Infantulum oculos conjicientem, ac in membrulis illis latentem Divinitatis theſaurum contemplantem. Si illam in Templo puerum offerentem, ac circumcidi videntem aſpicio; certè meditantem invenio Simeonis verba, & imo cordis infigentem, ac ſtylo ferreo pectori inſculpentem. Si in nuptiis in Cana Galilææ illam intueor; non modò ſingula Chriſti verba obſervantem cerno, ſed èt ceteris, ut adimpleant, mandantem. Quòcumque illa pergit, ſemper Filii ſui

Tom. II. Cc ii

(*a*) *Lucæ II. v.* 15. & 19. | (*b*) *Matth. V. v.* 18.

ſui excipit verba; ut, ſi eam mihi interrogare liceret, exiſtimem, ſingula mihi, quæ Chriſtus a primo uſque ad ultimum vitæ ſuæ diem protulit, adamuſſim recitaturam. Quid, ſi ad Crucem accedo? Nonne *ſtat juxta Crucem* Chriſti *Mater* lacrymoſa (*a*), ejuſdem verba vulnera & plagas, cruciatus & dolores, mortem denique in corde ſuo excipiens? O Maria, o Maria, o contemplationis arca, o contemplatio ipſa, o theſaurus divinorum verborum! O Martyr, o Martyrum Regina, o Protomartyr! ideo prima, quia ante te nemo Chriſto morienti commortua eſt; ideo Martyrum Regina, quia tu multò magis Chriſtum Filium tuum diligebas, quàm ulli umquam Martyres corpus ſuum; ideo Martyr, quia tot & talia es paſſa, quæ non ſine miraculo, nec niſi Divina Filii tui, qui te in vivis retinuit, adjuvante virtute pati potuiſſes.

Verè *optimam partem elegiſti, quæ non auferetur a te* (*b*): Bona ſiquidem erat conjugalis fœcunditas, at melior virginalis caſtitas; ſed ſuper hæc omnia *optima* virginalis fœcunditas, quæ *a te* certè non *auferetur*, quia nulli umquam alteri hujuſmodi privilegii prærogativa fuit data, nec dabitur umquam. Verè *optimam partem* habuiſti, quæ Dei mater fieri meruiſti. Verè *optimam partem* es etiam in Cœlis conſecuta: nam glorioſus quidem eſt Beatorum omnium Spirituum & Angelorum ſtatus; tu verò ſuper cunctos eorum choros, ad Filii tui es dexteram conſtituta. Verè *optimam*, dum viveres, tibi *partem elegiſti*; *multæ* quippe *filiæ congregaverunt* ſibi *divitias*, *tu* verò *ſupergreſſa es univerſas* (*c*). Fuit in multis Virginitas; ſed tu omnium prima illam propoſuiſti; unde èt Angelo Verbi incarnationem tibi nuncianti, ſtatim reſpondiſti: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco* (*d*)? Fuerunt èt aliæ humiles; ſed tu humilitatis Magiſtra fuiſti, & exemplar; Humilitas tua Chriſtum Dei Filium attraxit in terras; & *quia reſpexiſti humilitatem* tuam, ecce quòd te *beatam* in æternum *dicent omnes generationes* (*e*); nec beatitudinis tuæ magnitudo *auferetur a te*. Fuit èt in aliis multis caritatis fervor; ſed tu caritatis fornax eras ſuccenſa; nil factis aut dictis, niſi caritatem ſpirabas, cùm te totam repleviſſet caritate, qui *caritas eſt* (*f*); & dilectionis Mater extiteris, ex quo Mater Dei extitiſti. Sed quid in recenſendis ego virtutibus tuis immoror? Quid tuas ego divitias, quid tuos theſauros enarrare contendo, cùm facilius ſit multitudinem ſtellarum, & arenam maris enumerare? O Maria Chriſti hoſpes, Caſtellum, & Domus,

(*a*) *Joann. XIX. v.* 25.
(*b*) *Lucæ X. v.* 42.
(*c*) *Proverb. XXXI. v.* 29.
(*d*) *Lucæ I. v.* 34.
(*e*) *Ibidem v.* 48.
(*f*) *I. Joann. IV. v.* 8.

Domus, doce nos, obſecro, qua ratione intra nos etiam ipſi Chriſtum hoſpitio excipere poſſimus; quomodo noſtra hæc ſit domus ornanda. Non cupimus certè tecum contendere, aut tibi in domùs ornatu æquiparari, quippe hoc temeritatis eſſet intolerandæ, atque expreſſæ arrogantiæ. Neque verò adeò ſumus audaces, ne dicam ſtulti ac mente capti, ut credamus, Deum noſtrâ æquè, ac tua domo oblectaturum. Quis enim ad ſanctitatis tuæ culmen poſſit accedere, quam, ùt toties diximus, divinæ gratiæ torrentes impleverunt, ac redundare fecerunt? Sed vellemus èt nos ſponſum Chriſtum in cordibus noſtris excipere, dignas ei domos offerre, aut non ſaltem indignas. Vaſcula quidem parva nos ſumus, minimè tibi conferenda, quæ ipſum in te Mare divinæ contines miſericordiæ; ſed èt nos pro captu noſtro cupimus impleri de ea, quæ ex te expanditur, gratiæ aquâ. Impetra tu eam nobis a Filio; nam niſi in te confideremus, numquam profectò eum ad nos invitare præſumeremus. Neque verò opem tuam fortè expoſceremus, niſi nobis eam aliqua ratione deberes; peccata ſiquidem noſtra, ac Protoparentum noſtrorum, Dei te matrem, ac Cœlorum effecere Reginam, cùm, ſi peccatum non fuiſſet, nec Verbi æterni opus fuiſſet incarnatione. Sed non eſt certè, quòd ad id, juribus noſtris expoſitis, nos te compellere ſtudeamus, ad quod te naturâ tuâ proniſſimam novimus, atque incitatam. Hoc igitur unum, ceteris in præſentiarum omiſſis, a te totis noſtris præcordiis efflagitamus, ut nempe Filius tuus, te implorante, in domum noſtram dignetur divertere. Meminerit tantùm, quia *mendici ſumus & pauperes* (*a*), ipſe verò *Rex eſt gloriæ* (*b*), ſempiternus. Præſtet ipſe quod Reges faciunt, pauperi alicui favere, ac illius domum illuſtrare decernentes. Illi ſuos præcurſores præmittunt cum regiis aulæis atque tapetibus, cibis etiam & ſupellectile, ut adventantibus poſtea ipſis, pauperis illius domus ornata, ac menſa conferta, rectèque diſpoſita inveniatur. Mittat èt ipſe in nos per te, regia virtutum præclariſſimarum perizomata, Humilitatis tapetia, vario virtutum omnium colore diſtincta, ac ſuis ipſe ſibi aulæis domos noſtras exornet, ſicque exornatas intrare dignetur, ac illas per gratiam ſuam inhabitare; ut èt nobis id poſtea conferat, quod liberaliſſimè omnibus hoſpitibus ſuis contulit, quibus adeò largè pro minimis maxima, pro corporalibus ſpiritualia, pro momentaneis ſempiterna, pro terrenis cœleſtia retribuit; ac demum nos hoſpitio dignetur excipere in cœleſti ſuo regno in longitudinem dierum, & in ſecula ſeculorum. Amen.

HO-

(*a*) *Pſalm. XXXIX. v.* 18. | (*b*) *Pſalm. XXIII. v.* 10.

HOMILIA LXI.

IN ASSUMPTIONE B. VIRGINIS MARIÆ

Habita in Metropolitana Mediolani poſt Completorium

Feria II. Dominicæ XI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XV. AUGUSTI.

TAMDEM poſtquam menſibus ſeptem Arca Noë, humani generis atque aliarum ſpecierum reſtitutrix, menſibus, inquam, ſeptem fuerat diluvii aquis jactata, cùm *clauſi* fuiſſent *fontes abyſſi*, *& cataractæ Cœli*, *& prohibitæ pluviæ de Cœlo*, *menſe ſeptimo*, *vigeſimo ſeptimo die menſis requievit ſuper Montes Armeniæ* (*a*). Tamdem, dilectiſſimi filii, Arca benedicta Virgo Dei genitrix, atque eo nomine humani generis reparatrix, poſtquàm per plures annos vitæ hujus præſentis immenſum pelagus ſulcaviſſet, poſt varios toleratos labores atque dolores, aſſumpta fuit ad quieſcendum in altiſſimis Cœli montibus; & hæc eſt hodierna Feſtivitas. Magna quidem ſunt Sanctorum omnium Feſta; at longè illis majores ſunt omnes Mariæ Solemnitates, quò ipſa illis omnibus & gratiæ plenitudine præſtat, & gloriæ. Inter ceteras autem ipſius Solemnitates primum hodierna obtinet locum; nam cùm fuit Virgo concepta, vel cùm in hanc lucem edita, vel cùm in Templum aſcendit, vel cùm Eliſabeth viſitavit, hæc omnia vel in Mundi hujus ingreſſu, ſeu mora fuerunt, in quo doloribus omnia miſcentur, & qui lacrymarum ac miſeriarum eſt vallis. Quòd ſi etiam Chriſti filii ſui myſteria conſideremus, in omnibus ipſa, licèt lætitiæ plurimum ſenſerit, quidpiam tamen admixti doloris percepit; nam quæ ſacrarum literarum ſtudio

(*a*) *Geneſ. VIII. v.* 2. *&* 4.

ſtudio edocta, ac Deo inſpirante noverat, humanum genus dirâ Filii ſui Paſſione & morte redimendum, naſcente ipſo, dolorum ex ejus cruciatibus percipiendorum conſideratione, dolebat: cùm eum in Templo obtulit Domino, Simeonem dicentem audierat, *& tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (*a*) doloris: Ipſum etiam Reſurrectionis Dominicæ Feſtum, recenti adhuc in Mariæ pectore diræ mortis recordatione vigente, non plenum illi attulit gaudium. At hodierna Solemnitas fuit Mariæ undique jucunda, fuit nullis doloribus mixta, fuit pœnarum omnium finis, perpetuæ gloriæ ac felicitatis initium. Nulli amplius ſuperſunt mœrores, non jam erit ultra lacrymis locus, non curis & ſolicitudinibus, aut animi angoribus. Verè illi beatiſſimus dies, quo ad æthereum Virgo intemerata Dei genitrix aſſumpta eſt thalamum. *Tempus* hodie *loquendi eſt*, inquit Bernardus (*b*), *omni carni, cùm aſſumitur incarnati Verbi Mater in Cœlum; nec ceſſare debet a laudibus humana mortalitas, cùm hominis ſola natura* & pura (nam in Chriſto fuerat Divinitati conjuncta) *ſupra cœleſtes omnes Beatorum Spiritus*, ſupra Angelicas omnes Hierarchias *exaltatur in Virgine*. Nil ergo mirum, ſi, cùm hoc mane de tanta Solemnitate nonnulla dixerimus, hodie iterum de ea ad vos verba facturi venerimus. Sed quî poterit humana fragilitas tot Mariæ gaudia, tam glorioſos triumphos, tam nobiles coronas, verbis aut mente complecti, cùm èt Angeli ipſi quidquam proferendo ſint impares, & admiratione affecti dicant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto deliciis affluens* (*c*)? *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris* (*d*)? *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ùt luna, electa ùt ſol, terribilis ùt caſtrorum acies ordinata* (*e*)? Neque verò nos rudes & imbecilli, quod Angeli nequeunt, conſequi poſſe dicendo confidimus: Sed quam illi excipiunt, nos hinc in Cœlum aſpicientes atque admirantes, cordis ſequemur affectu (quantùm ferre poterunt carnei & infirmi oculi noſtri radios tanti luminis atque ſplendoris) ut per ejuſdem veſtigia, ſi quæ cernere poſſumus, incedentes, digni ſimus, qui non modò hodie illi congaudeamus, ſed aliquando etiam ejus gloriæ participes efficiamur.

Diximus, ſolemnitatem hodiernam cunctis Sanctorum omnium, & ipſiuſmet Virginis ſolemnitatibus eſſe majorem; ſed nondum finis, o filii. Facta eſt grandis celebritas in Jeruſalem, qualis a diebus Salomonis

(*a*) *Lucæ II. v.* 35.
(*b*) Sermone IV. in Aſſumpt. B. M.
(*c*) *Cant. Cantic. VIII. v.* 5.
(*d*) *Ibid. III. v.* 6.
(*e*) *Ibid. VI. v.* 9.

lomonis filii David Regis Iſraël in ea Urbe non fuerat (*a*): Facta eſt etiam hodie Feſtivitas magna in Cœlo & univerſo terrarum orbe, qualis a Chriſti Regis pacifici, filii David ſecundùm carnem, aſcenſione in cœleſtem illam Jeruſalem, facta non fuerat. Et certè multiplex hodiernum eſt Feſtum, atque ad multos pertinet; idque de eo dici meritò poteſt, quod de Joannis nativitate prædixerat Angelus: *Multi in nativitate ejus gaudebunt* (*b*): Imo verò omnes; Feſtum hoc ſiquidem, humanæ omnis creaturæ in primis eſt, quæ naturam ſuam puram, non Divinitati conjunctam, ſed in humano ſuppoſito, in anima ſcilicet & corpore, in tam ſublimi loco collocatam gloriatur. Quinimo ipſa inanimata elementa, ſi alicujus eſſent lætitiæ capacia, hodie Feſtum actura putaverim, dum corpus illud, cujus ipſa compaginem contexuere, adeò nobilitatum conſpiciunt. Sed noſtrum præcipuè eſt, Mediolanenſes, Feſtum, qui ſingulariter ſub Virginis hujus Sanctiſſimæ vivimus protectione; cujus interceſſione populus hic gloriatur, innumera ſe a Domino beneficia recepiſſe, teſte magno illo Pontifice (*c*). Verùm non modò in terris omnia hodie exultationis & lætitiæ ſunt plena, ſed èt in Cœlis omnia perſonant jubilo; quis enim exprimat Angelorum exultationem, Reginam ſuam excipientium, ruinæ ſuæ Reparatrici gratulantium, per quam eorum ſedes replendas agnoverant? Patriarcharum verò Sanctiſſimorum, & Prophetarum in Cœlis exiſtentium, quanta eſt hodierna Solemnitas, cùm Filiam ſuam, de ea ſtirpe, de qua ipſi tam multa prædixerant, in ſublimitatis ſolio vident conſidentem! Sed infinitè tota Sanctiſſima Trinitas in hac Solemnitate lætatur; hanc enim ùt Matrem cum gaudio excipit Filius, ùt Sponſam & Filiam æternus Pater, ùt Arcam ſuam & Templum Spiritus Sanctus. Hodie novo quodam lumine Cœlum repletur; novum ſidus fulget in Cœlo; regia Mariæ præſentia omnes Cœli lætificat incolas. Si hujus verba, infantem Joannem in matris utero latentem in gaudio exultare compulerunt; quantùm Angelici illi Chori, & Beatorum Spirituum agmina, Mariæ non vocibus ſolùm, ſed perpetuo intuitu atque contemplatione exultabunt? Celebrarunt Feſtum hodiernum primi omnium, Apoſtoli ſanctiſſimi, idque digniſſimè, teſte magno illo Dionyſio Areopagita, qui, cùm de laudibus Hierothei magiſtri ſui diſſereret, ſic ait: „ Cùm nos, & plerique ex ſanctis „ fra-

(*a*) *III. Regum VIII.*
(*b*) *Lucæ I. v.* 14.
(*c*) Gregorio nempe VII. Pontifice Maximo in Epiſtola, quam infra referemus in Notis ad Homiliam Sancti Caroli, habitam in Nativitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

„ fratribus noſtris ad contuendum corpus illud, quod auctorem vitæ, Deumque ceperat, conveniſſemus (aderat autem èt frater „ Domini Jacobus, & Petrus ſupremum decus, & antiquiſſimum „ Theologorum columen) ubi poſt contuitum placuit, ut infinitè „ potentem bonitatem Pontifices laudarent omnes, quiſque pro „ captu ſuo, ille ſcilicet Hierotheus poſt Apoſtolos omnibus aliis laudatoribus ſuperior erat, totus excedens, totus ſe deſerens (*a*). Utinam nos pari affectu hodiernæ eſſemus celebratores Solemnitatis, quæ triplicem continet Mariæ feſtivitatem; tranſitum nempe ex hac lacrymarum valle ad patriam; ejuſdem reſurrectionem; & corporis cum anima aſſumptionem in Cœlum! Sed quantum hodie ſuperior Mundus exultat, tantum fortè inferior lugendi materiem capit; nam ille quidem ob Dei Matris gaudet præſentiam, nos verò mœrore conficit ejuſdem abſentia. Verùm ceſſet dolor, o filii; non enim hìc nobis eſt Civitas permanens, ſed eò tendimus, ubi eſt Maria triumphans. Advocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ & Judicis eſt, & miſericordiæ mater: Magnum donum terra miſit ad Cœlos: fructus terræ ſublimis eò aſcendit, unde *omnia data optima, & omnia dona perfecta deſcendunt* (*b*). Aſcendens in altum Virgo beata, dabit ipſa quoque dona hominibus: nec dandi facultas ei deerit atque voluntas; nam & Matrem Filius honorat, & ipſa ineffabili eſt caritate repleta, quæ caritatis fontem novem menſibus geſtavit in utero.

Ac mihi quidem Mariæ triumphum cogitanti pulchra illa Arcæ translatio, in libro Regum deſcripta occurrit, cùm *congregavit David omnes electos ex Iſraël triginta millia. Surrexitque David, & abiit, & univerſus populus, qui erat cum eo de viris Juda, ut adducerent arcam Dei, ſuper quam invocatum eſt nomen Domini exercituum, ſedentis in Cherubim ſuper eam. Et impoſuerunt arcam Dei ſuper plauſtrum novum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa. David autem, & omnis Iſraël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis* (*c*). Quæ quidem omnia glorioſam hanc Virginis exprimunt aſſumptionem in Cœlum; nam quæ alia eſt fœderis Arca ſublimior, quàm beatiſſima Virgo Maria, quæ habuit intra ſe Verbum carne indutum, quæ fuit ſacrarium Spiritus Sancti, quæ intus ac foris ſanctitate & virginitatis nitore fulgebat, auro ornata cœleſti? Arca hæc legis

(*a*) Leguntur iſta in Libro *de Divinis Nominibus* Cap. III., diverſis tamen verbis ab Interpretibus ex Græco translata. Ea inſeruit Sanctus Joannes Damaſcenus Orationi II. de Aſſumptione Beatæ Virginis, quam refert etiam Surius ad diem xv. Auguſti.

(*b*) *Jacobi I. v. 17.*

(*c*) *II. Reg. VI. v. 1. & ſeqq.*

tabulas continebat, & urnam Manna, & virgam Aaron, quæ fronduerat; ſiquidem ipſa non Legis tabulas, ſed præcepta in tabulis cordis habebat inſcripta; ſpiritualis dulcedinis & contemplationis Manna fuerat repleta; ipſa denique erat virga Aaron, quæ, cùm virgo eſſet, fronduerat atque floruerat, & fructum illum protulerat, de quo Eliſabeth loquens ei prædixerat: *Benedictus fructus ventris tui* (*a*). Hæc Virgo Arca fœderis eſt, in qua fœdus & pax noſtra facta eſt, ubi Deus factus homo *pacem* dedit *iis, qui longè, & iis, qui propè* (*b*), utrumque populum in unitate Fidei & caritatis concilians. Hanc Arcam *de domo Aminadab, qui erat in Gabaa*, eductam eſſe perhibent; *Aminadab* quippe, hoc eſt Pater ſpontaneus, eos deſignat, qui ſe libenti animo offerunt ad obſequium Dei, & ad ſalutem proximorum; *Gabaa* verò collis ſublimis, ſublimitatem operum & contemplationis demonſtrat, quibus in locis Arca permanſerat; ſponte namque ſe totam Deo obtulerat Virgo, cùm dixerat: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* (*c*); pro animarum verò ſalute quis dubitet eam, ſi opus fuiſſet, cum Filio ſuo Crucem ſubire paratam fuiſſe? Sed èt in Gabaa fuerat, ùt manè audiviſtis, hoc eſt in colle perfectionis & ſublimitatis virtutum omnium, potiſſimùm verò contemplationis. Itaque hinc eam plauſtro novo repoſitam, cum electis Iſraël & Cantoribus, ac citharis perſonantibus, eduxit David manu fortis, Rex Regum, & Dominus Dominantium Chriſtus Salvator noſter. Hic tabernaculum Matri ſuæ fecit in Cœlo, quando moriens, ſurgens, & in Cœlum aſcendens præparavit ei locum, juxta illud Diſcipulis ſuis promiſſum: *Vado parare vobis locum* (*d*), & iterum: *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt* (*e*). Plauſtrum verò novum, fuit ſacratiſſimum Mariæ corpus ſuſcitatum, cujus quatuor rotæ, dotes gloriæ ſunt, quibus decoratur atque movetur, gaudens mira claritate, agilitate, ſubtilitate, & perpetua immortalitate. Quam circumdant electi Iſraël, Cherubim, & Seraphim, & omnes Cœlorum Cives exultantes, ac dulciſſima dicentes cantica in ſacratiſſimæ Virginis laudem.

Sed triplicem libet, filii, in triumpho hoc ſtatum conſiderare; ipſam nempe Mariæ mortem ac mortis conditionem; tum ejus, poſt mortem, iter & profectionem in Cœlum; in Cœlo denique ſtatum. Equidem mors ipſa lætior eſſe non potuit; nam quemadmodum

(*a*) *Lucæ I. v. 42.*
(*b*) *Iſaiæ LVII. v. 19.*
(*c*) *Lucæ I. v. 38.*
(*d*) *Joannis XIV. v. 2.*
(*e*) *Ibidem.*

dum quiſpiam miro gaudio perfunditur, cùm, quod intensè ac diu deſideravit, conſequitur; ſic Virgo beatiſſima, quæ miro flagraverat hinc emigrandi deſiderio, ùt poſt videbimus, cùm ſtatuta mortis dies acceſſit, incredibile eſt, quantâ alacritate deceſſerit. Si Paulus adeò cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ut exclamaret: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*a*)? & David ob id ita dolebat, ut flens diceret: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea* (*b*); & alibi: *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum: ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei* (*c*)? quantò majori, obſecro, hoc æſtuabat Virgo deſiderio, ad Filium dilectum ſuum accedendi? Ecce Beatiſſima Mater, quia quod tamdiu exoptaſti, conſequeris; jam migrationis tempus appropinquavit. Quid igitur mirum, ſi hilaris & expedita hinc evolare parata es? cùm præſertim ad te aſſumendam acceſſerit Chriſtus, qui cùm Apoſtolis ſuis antea prædixiſſet: *Iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum* (*d*), multò magis id tibi, Matri, quàm illis, diſcipulis & ſervis præſtitiſſe credendus eſt. Neque ad te ſolus acceſſit, ſed innumeris Angelorum Choris ſtipatus, qui, ſi plurimorum Sanctorum atque Sanctarum animas in Cœlum ſunt proſecuti, & mendici Lazari ſpiritum in Abrahæ ſinum detulerunt, quantò magis obſequium hoc tibi, eorum Reginæ ac Dei Matri detulerunt? Non eſt immemor Chriſtus ejus, quod toti Mundo tradidit, præcepti, de Parentibus in honore habendis; & eum, qui ſervos ſuos adeò honorificavit, & amicorum ſuorum principatum nimis exaltavit, multò affluentiùs te quibuſcumque honoribus cumulaſſe nemo in dubium vocaverit.

Quis nobiliſſimum illud atque dulciſſimum colloquium hic inchoatum inter Matrem & Filium oratione poſſit exprimere? Certè Filium arbitror Matri occurrentem, quod Sponſus dixerat Sponſæ, dixiſſe; nempe: *Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni* (*e*); *amica mea* per Fidem & dilectionem; *columba mea* per innocentiam & ſimplicitatem; *formoſa* per virtutum pulchritudinem. Equidem dilectus tuus tibi loquitur Virgo, qui te ad Cœli gaudia anhelat perducere; vide, quàm ſolicitus ſit, quàm anxius:. *Surge*, inquit, de vitæ præſentis lectulo; *propera*, ne hìc amplius tibi vèl momento

(*a*) *Ad Roman. VII. v.* 24.
(*b*) *Pſalm. CXIX. v.* 5. & 6.
(*c*) *Pſalm. XLI. v.* 2. & 3.
(*d*) *Joannis XIV. v.* 3.
(*e*) *Cant. Cantic. II. v.* 10.

mento conſiſtendum arbitreris, ſed feſtinato opus eſt curſu; propera, curre, evola. O quantâ celeritate ad tanta eſt gaudia pergendum! Iſta Filii tui verba ardentiſſimum in eo beatitudinis tuæ deſiderium oſtendunt; & vide, quomodo deſideret! quaſi enim primam vocem minimè audieris, repetit dicens: *Surge amica mea, formoſa mea, & veni; Jam enim hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit. Flores apparuerunt in terra noſtra* (*a*): *Veni ſponſa mea, veni de Libano: coronaberis* (*b*). Veni benedicta Patris mei, & accipe thalamum tibi ante Mundi conſtitutionem præparatum, quæ me eſurientem paviſti, ſitientem potaſti, nudum carne veſtiſti, & hoſpitem ac peregrinum in terris, intra pudici pectoris tui clauſtra excepiſti, lactaſti, & omni pietatis obſequio foviſti. Jam non me amplius in terris peregrinantem, ſed in Cœlis regnantem; non in humili præſepio, ſed in ſublimi ſolio; non fame aut ſiti laborantem, ſed paſcentem atque potantem mei aſpectu Angelicos Spiritus; non inter perfidos Hebræos, ſed inter Angelicos Choros; non in Crucis patibulo, ſed ad Patris dexteram ſedentem videbis. Erunt tibi omnia hæc mea gaudia communia, cui communes fuerunt, dum in terris eſſem, dolores atque labores; non jam amplius tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit, ſed gaudii perfecti cumulus adimplebit, & gaudium tuum nemo tollet a te. Hìc *mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra* (*c*), quoniam priora tranſierunt; quoniam *hyems tranſiit, imber abiit, & receſſit*; ver æternitatis acceſſit, ubi jucundiſſimis floribus, & ſuaviſſimis fructibus hortus noſter cœleſtis redundabit. Surge ergo Mater; eamus, quò tamdiu ire deſideraſti, ubi nos univerſa cohors cœleſtis expectat.

Cui ego Matrem Sanctiſſimam, quod Angelo quondam nuncianti reſponderat, promptiſſimo animo arbitror dixiſſe: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum* (*d*). *Dilectus meus mihi* nunc & perpetuò jungatur, *& ego illi* (*e*); quid enim hìc me retinet omnibus ſolutam impedimentis, nullo vinculo adſtrictam ac penitus a Mundo extorrem; cùm tu ſolus amor ſis meus, ſponſus meus filius meus, pater meus, & Deus meus? *Tene* tu *manum dexteram meam, & in voluntate tua deduces me, & cum gloria ſuſcipies me* (*f*).

Tum ſtatim ſacratiſſima illa Mariæ Anima corpus aſſumpſit; certiſſimè enim tenendum nobis eſt illud Bernardi Sanctiſſimi

(*a*) *Cant. Cantic. II. v.* 10. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. IV. v.* 8.
(*c*) *Apocalyp. XXI. v.* 4.
(*d*) *Lucæ I. v.* 38.
(*e*) *Cant. Cantic. II. v.* 16.
(*f*) *Pſalm. LXXII. v.* 24.

mi effatum, Mariæ Virgini non eſſe denegandum quidquid Deus Optimus Maximus contulit aliis Sanctis, licèt pauciſſimis (*a*); cùmque ex Evangelica hiſtoria liquidò conſtet, multa corpora ſurrexiſſe cum Chriſto, & apparuiſſe multis in Sancta Civitate (*b*), neminem eſſe arbitror, qui eximium hoc privilegium Sacratiſſimæ Virgini Matri auſit adimere. Ipſi ergo in Cœlum prodeunti, obviæ factæ ſunt innumerabiles Angelorum turmæ, admiratione primùm & ſtupore repletæ. Putaverim ergo, innumeros præcedentes, & totidem ſubſequentes, ac alios undequaque Reginam circumdantes, mutuis inter ſe vocibus in Cœlum tendentes dixiſſe: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit de deſerto*, ex Mundo nempe inferiori, rebellibus hominibus pleno, *deliciis affluens*; quæ ex paupertatis loco conſurgit, ubi nihil eſt, niſi carnis & oculorum concupiſcentia, ac vitæ ſuperbia, *deliciis* tam multis & magnis *affluens*, *innixa ſuper dilectum ſuum* (*c*), Altiſſimi Dei Filium; quæ de Mundo, in quo non eſt, niſi labor & dolor & afflictio ſpiritus, aſcendit *deliciis* ſpiritualibus *affluens*, longè majoribus, quàm Angelorum, quos in Civitate Domini lætificat fluminis impetus? Quales *deliciæ*, virginitatis decus cum munere fœcunditatis, inſignis humilitas, diſtillans caritatis favus, miſericordiæ viſcera, plenitudo gratiæ, prærogativa gloriæ ſingularis? Sed deſinite Angeli delicias deſerti hujus admirari; *Dominus* enim *dedit benignitatem, & terra noſtra dedit fructum ſuum* (*d*). Miramini potiùs ex deliciarum loco pauperem Chriſtum deſcendentem; longè enim majus miraculum eſt, Dei Filium paulò minus ab Angelis minorari, quàm Dei Matrem ſuper Angelos exaltari. Sed necdum eos ſtupor relinquit aut admiratio, ſed adhuc ſubmurmurant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & univerſi pulveris pigmentarii* (*e*)? & bene *quaſi virgula fumi*, quia gracilis & delicata, quia divinis extenuata præceptis, & concremata intus in holocauſtum, incendio pii amoris, & deſiderio caritatis: *ut virgula*, inquiunt, *fumi ex aromatibus*; nimirum quia multis erat repleta virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat odor, etiam Spiritibus illis Angelicis ſuaviſſimus. Recta erat hæc *virgula*, & recta tendebat; non eam ventus huc aut illuc inflectebat; non evaneſcebat, ùt mul-

tæ

(*a*) Sanctus Bernardus in Epiſtola ad Canonicos Lugdunenſes.

(*b*) *Matth. XXVII. v.* 52. *& ſeq.*

(*c*) *Cant. Cantic. VIII. v.* 5.

(*d*) *Pſalm. LXXXIV. v.* 13.

(*e*) *Cant. Cantic. III. v.* 6.

tæ hodie veſtrûm, o nobiles mulieres, quæ vix aliquam a Deo perceperunt ſpiritualem conſolationem, & ſtatim ſuperbiunt; ac dum, quæ intrinſecus acceperant, dona jactant, in vanum dilabi penitus ſinunt. Mariam vix bis terve in Evangeliis loquentem audivimus, eò quòd fidiſſimum ſibi virginitatis, & virtutum ſuarum cuſtodem ſilentium elegiſſet. Ceterùm *ùt virgula fumi* mens noſtra in altum conſcendere poteſt, ſi myrrham mortificationis per pœnitentiam habeamus, & thus devotionis acquirere totis viribus enitamur. Alii iterum ad invicem dicunt: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra ùt Luna, electa ùt Sol, terribilis ùt caſtrorum acies ordinata* (*a*)?

Sed cùm jam Cœli fores eſſet ingreſſa, ad Sanctiſſimæ Trinitatis conſpectum admiſſa, o quales tunc utrinque exultationes & Virginis & Divinarum Perſonarum, & Sanctorum ſimul omnium! Hic enim Pater dulciſſimam Filiam amplexari non deſinit; Filius ſuaviſſima, quæ acceperat, oſcula reddit; Spiritus Sanctus eam, cui obumbraverat, ſuper omnes Beatorum Spirituum ſedes eminentiſſimè collocat. Hìc jam ipſa jubilans & ſplendens dicere incipit: *Invêni quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam* (*b*). Hìc beatiſſimum illud corpus in ſplendoribus reſidet. Porro ſi de Juſtis dictum eſt, quòd *fulgebunt ſicut Sol in Regno* Dei *Patris eorum* (*c*); ecquid erit de Mariæ corpore cogitandum? Qua lætitia Sanctarum Virginum Chori perfunduntur, cùm Virginum Reginam triumphantem vident? Quid Sancti Confeſſores, cùm ejus gloriam contemplantur, quam ipſi dum viverent, humilitatis, puritatis, caritatis, omniumque virtutum ſibi exemplar propoſuerant? Quid triumphalis Martyrum exercitus, cùm dolorum ſuorum ſociam, & pluſquam Martyrem in Paſſione Filii contuentur? quomodo ei hilares gratulantur? Quid Prophetæ, qui Spiritu Sancto pleni tam multa de ea olim vaticinati ſunt? Quid Sancti Patriarchæ, cùm filiam ſuam in tanta gloria & felicitate poſitam cernunt? Omnes ſimul venerabundi & ſupplices occurrunt dicentes: *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia populi noſtri* (*d*).

Quis hìc gloriæ ipſius valeat adumbrare magnitudinem? Si *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum* (*e*); quis umquam quæ Genitrici

(*a*) *Cant. Cantic. VI. v. 9.*
(*b*) *Ibid. III. v. 4.*
(*c*) *Matth. XIII. v. 43.*
(*d*) *Judith XV. v. 10.*
(*e*) *I. ad Corinth. II. v. 9.*

trici ſuæ præparavit, quis cogitare ſufficiat? Equidem cum Bernardo exclamare compellimur, *Chriſti generationem, & Mariæ aſſumptionem quis enarrabit? Quantum enim gratiæ præ ceteris adepta eſt in terris, tantum èt in Cœlis obtinet gloriæ ſingularis* (*a*). Sed videamus, obſecro, quomodo ipſa hìc abundaverit meritis, ut inde in aliquam præmiorum ipſius cognitionem aſcendamus; quandoquidem vitæ meritis retributionis merces reſpondet in Cœlis.

Pro magnitudine, filii, caritatis, qua quiſque in præſenti vita excelluerit, & laborum, quos pro Chriſto pertulerit, erit èt præmiorum magnitudo cœleſtium. At ſi Mariæ caritatem & gratiam expendamus, quis eam comprehendere valeat, cùm non ſicut in nos parvus ejuſdem rivulus, ſed vaſtiſſimum pelagus in illam defluxerit? Hæc enim Virgo Sanctiſſima priuſquam naſceretur, uberem gratiam accepit; in Angeli verò ſalutatione dicta eſt gratiâ plena; & ubi Dei Filium concepit, ſuperveniente Spiritu Sancto, copioſior, in eam effuſa eſt gratiæ plenitudo. Ipſo etiam Sanctiſſimo Pentecoſtes die, cùm in Sanctos Apoſtolos ſimul congregatos Spiritus Sanctus deſcendit, ipſa quoque tantorum fuit particeps donorum, & multò plurium quàm illi, quantò capacius erat cor ejus, ut altiùs impleretur. Hìc addendum, quòd ſeptuaginta & pluribus annis, quibus vixit (*b*), quidquid ſemper egit, dixit, aut cogitavit, novos in ejus animam gratiæ theſauros congerebat. Sed quid de immenſa illa caritate dicam, qua Deum Filium ſuum adhuc viventem diligebat, quid de cordis ardentibus votis, de dulciſſimis oſculis, de quamplurimis obſequiis; quibus omnibus ſemper gratiâ excreſcebat, itaut ejuſdem magnitudini, quæ in nulla umquam alia pura creatura fuit, aut erit, par hodie in Cœlis fuerit gloriæ gradus conſtitutus?

Sed quis ejus labores aut cruciatus enarret? quorum initium fuit, acerbiſſimum Simeonis vaticinium: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius* (*c*) doloris; ex quo quidem tempore numquam gladius eam transfigere ceſſavit: quæ enim intimè Filium ſuum diligebat, intimè etiam futurorum illius cruciatuum meditatione angeba-

(*a*) Serm. I. de Aſſumpt. B. M.

(*b*) Variæ ſunt opiniones Scriptorum, quo vitæ ſuæ anno deceſſerit Beatiſſima Virgo. Nonnulla de hac re diſſeruit Eminentiſſimus olim Proſper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. Summus Pontifex, in die Feſto Aſſumptionis, Parte ſecunda Adnotationum num. CIII., ubi veriſimiliorem viſam fuiſſe ait Cardinali Urſino, poſtmodum Benedicto XIII., nec non Cardinali Ludovico Vincentio Gotti eam ſententiam, quæ tribuit Deiparæ annos LXXII. moræ in hoc Mundo. Hanc quoque Sancto Carolo placuiſſe videmus.

(*c*) *Lucæ II. v.* 35.

gebatur. Quàm magnus ejus fuit dolor & labor, cùm tenellum adhuc infantulum accipere coacta fuit, & in Ægyptum tanto cum labore traducere, ut furentis Herodis impetum evitaret! ubi impios illorum hominum mores animadvertens, ac debitum Deo honorem, vanis idòlis & ſimulacris tribui videns, quis exprimat, quæ adeò divinum zelabat honorem, quàm intimè affligeretur? Sed quis dolorem illum dolorum omnium vehementiſſimum animo revolvens, cum Maria non moritur, illam aſpiciens ſtantem juxta Filii Crucem! Quàm *mœrebat, & dolebat pia mater, cùm videbat Nati pœnas inclyti!* Quomodo ipſa cum Filio ſpinis coronabatur, cum illo flagellis cædebatur, cum illo conſpuebatur, ac demum clavis duriſſimis Cruci cum illo configebatur! Verè Martyr, & pluſquam Martyr, ùt diximus, extitit tunc Dei Mater, neque niſi divino miraculo ſuperſtes remanſit. Graves quidem plurimorum Sanctiſſimorum Martyrum pœnæ fuerunt: dirum Laurentii mortis genus, cùm vivus in craticula aſſatus fuit; crudelis Bartholomæi mors, cui èt pellis fuit a carne divulſa; mirè paſſus eſt Jacobus ille, qui minutim in fruſta conciſus fuit; ſæviſſimus fuit interitus Caſſiani, quem ſtylis ferreis Pueruli ipſius diſcipuli, palo alligatum interemerunt, ut alios hic cruciatus plurimorum ſilentio prætermittam. Sed ſuperavit hos omnes Mariæ dolor intenſus; cùm procul dubio multò plus Filium ſuum diligeret, quàm illi corpus ſuum; quin magis etiam Filii ſui ſentiret dolores, quàm illi propriæ carnis tormenta. Quantus denique Mariæ dolor fuit, tamdiu poſt Chriſti in Cœlos aſcenſum cum hominibus vivere, quibus, præſertim Apoſtolis, ab ipſo Magiſtra fuit relicta; tam longam Filii ſui abſentiam ferre; tanto tempore a Dilecto ſuo ſejungi! Nam ſi Tobiæ Mater, filii peregrè profecti abſentiam numquam non deflebat (*a*); quale in Beatiſſima Virgine videndi Filii deſiderium extitiſſe putandum eſt, cùm ipſa in hac vita peregrinaretur? Si enim quò major eſt dilectio, eò ardentior Dilecti videndi, & ejus præſentià fruendi cupìdo eſt: quantò majore videndi amantiſſimi Filii deſiderio eam flagraſſe dixerimus, quæ ceteros omnes Sanctos caritatis virtute præceſſit?

Si igitur præmii ſublimitas caritatis & laborum reſpondet magnitudini, quis mente concipiat amplitudinem gloriæ, huic Virgini Sanctiſſimæ præparatæ? Ego certè quid de hac dicam, igno-

(*a*) *Tobiæ X. v.* 3.

ignoro ; ſed eum interrogabo , qui cùm ex Dominici pectoris fonte divina hauſerit ſecreta, ac Mariæ ipſi juxta Crucem ſtanti fuerit a Filio commendatus , ipſique Maria ; aliquid fortè pro ſua in nos caritate , quod ad hoc ſpectet , docebit. Aggredere ergo Joannes, particulam aliquam gloriæ illius nobis exponere. Ecce jam te audio dicentem : *Et ſignum magnum apparuit in Cœlo* (*a*). Sed quodnam *ſignum?* Id nempe ſignum, quod ut peteret Achaz, a Domino fuit admonitus dicente : *Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo in profundum Inferni*, *ſive in excelſum ſupra* (*b*): ubi cùm idem perfidus Rex reſponderet : *Non petam* , *& non tentabo Dominum ;* protinus ad domum David ſermo dirigitur , quo dicitur : *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum : Ecce Virgo concipiet*, *& pariet filium*, *& vocabitur nomen ejus Emmanuel* (*c*): Eſt igitur Virgo *ſignum*. Sed adhuc apertiùs , o Joannes, quod ſit hoc *ſignum*, & qualiter *in Cœlo apparuerit*, expone: *Mulier amicta Sole* , *& Luna ſub pedibus ejus*, *& in capite ejus corona ſtellarum duodecim* (*d*). Verè *magnum* fuit hoc ſignum , quia magnum pignus bonitatis ſuæ , & caritatis erga homines Deus oſtendit in Maria . Hæc *Mulier*, eſt Maria , benedicta ſuper omnes mulieres , quæ ſalutis auctorem peperit viris ac mulieribus ; *amicta* , ideſt ornata *Sole* , videlicet Chriſto , qui illam ornavit , decoravit, & ſplendidiſſimam reddidit, non autem ſuis radiis ſolùm, ſed etiam ſe ipſo; unde Virginis claritas in alios redundat , ut ipſa quoque cœleſtis Jeruſalem clariùs jam rutilet virgineæ lampadis illuſtrata fulgore. *Et Luna ſub pedibus ejus* eſſe perhibetur , quia temporalia & defectibilia omnia, ùt Luna, ſub pedibus Mariæ, ideſt affectibus ejus fuerunt ; omnia quippe temporalia contemnendo calcavit , ne per eadem quidpiam ejus in Filium dilectioni detraheretur : Ideo de ipſa dicitur : *Ego Mater pulchræ dilectionis* (*e*) ; amor enim commutabilis boni , aliquo modo ſemper derogat amori boni incommutabilis. *Et in capite ejus corona ſtellarum duodecim*, nempe duodecim ipſius prærogativæ, quas Bernardus Doctor mellifluus enumerat, quarum quatuor de Cœlo , quia ſupra eam erant, quatuor ex parte animæ, quatuor ex parte corporis. Primæ quatuor ſunt, ſanctificatio ipſius, ſalutatio Angeli, obumbratio Spiritus Sancti, inenarrabilis conceptio Filii Dei; aliæ qua-

(*a*) *Apocal. XII. v.* 1.
(*b*) *Iſaiæ VII. v.* 11.
(*c*) *Ibidem. v.* 12. *&* 14.
(*d*) *Apocal. XII. v.* 1.
(*e*) *Eccleſiaſtici XXIV. v.* 24.

tuor fuerunt, donum humilitatis, magnanimitas Fidei, manſuetudo pudoris, ſive zelus humanæ ſalutis, & martyrium cordis; poſtremæ demum ſunt, quia fuit virginitate puriſſima, ſine corruptione fœcunda, ſine gravamine gravida, ſine dolore puerpera: Et hæ quidem dotes, fulgidiſſimæ ſunt *ſtellæ*, quæ eam clariſſimam & ſublimiſſimam reddunt.

Aſtitit ergo Regina a dextris Dei: Quòd ſi adulteræ Matri, Salomon tantum tribuit honoris, ut *ſurrexerit Rex in occurſum ejus, adoraveritque eam, & ſederit ſuper thronum ſuum: poſituſque ſit thronus Matri Regis, quæ ſedit ad dexteram ejus* (*a*); quantò magis crediderimus ad Chriſti dexteram, incorruptam ac ſanctiſſimam Virginem Matrem ſediſſe? Quo autem illam munere ibidem fungi putatis? Certè ſi pro Adonia ſtatim oravit Bethſabee, ita pro nobis continuò ad Filium intercedit Maria; illic ubera Filio oſtendit, illic uteri hoſpitium memorat, ibi labores & dolores pro ipſo toleratos enumerat, &, ut nos in gratiam recipiat, orare non deſinit.

Vidimus jam, filii, *ſpecioſam aſcendentem deſuper rivos aquarum, cujus inæſtimabilis odor in veſtimentis ejus, & circumdabant eam flores roſarum, & lilia convallium*, ùt canit hodie Sancta Mater Eccleſia, hoc eſt virtutum omnium ſuaviſſima fragrantia: Et nos hìc in deſerto, in valle lacrymarum remanſimus, nec qua ad ipſam vià ſit evolandum, aut iter in Cœlum tendendi ſcimus; Maria enim tamquam avis ſcindens aërem tranſvolavit in Cœlum. Sed quis meliùs ipsà nos viam docebit, quæ per virtutum omnium ſemitam conſtanter inceſſit?

Quibus ergo, o Maria, inhærentes veſtigiis veniemus ad te? Scalæ, quæ in via eſt, aſcenſus vobis eſt, o filii, ſuperandus. Sed domo priùs vos egredi oportet; hoc enim primum eſt viæ principium, nempe a terra divelli, a terrenis omnino ſeparari, ad Patriam aſpirare, eam toto animi affectu perquirere; ad quam cùm ſitis creati, quare, o miſeri, *adhæſit pavimento anima veſtra* (*b*)? *Uſquequo*, o *filii hominum*, *gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium* (*c*)? Cur inane mecum regnandi deſiderium concipitis, cùm ne pedem quidem movere decernatis? *Egredimini*, filii, de regione veſtra, *& de domo patris veſtri* (*d*), & ſcalam aſcen-

(*a*) *III. Reg. II. v.* 19.
(*b*) *Pſalm. CXVIII. v.* 25.
(*c*) *Pſalm. IV. v.* 3.
(*d*) *Geneſ. XII. v.* 1.

aſcendite. Sed quinam ſunt, o Mater miſericordiæ, hujus ſcalæ gradus? Quis primus? Humilitas, filii; quis ſecundus? Humilitas; quis tertius? Humilitas; qui omnes? Humilitas filii: nam ſi millies interrogaveritis, millies Humilitatem audietis: *Quia reſpexit* Dominus meus *humilitatem ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes* (*a*). Jam percepimus, Mater, & gradus hos novimus; dum namque hanc nobis commendas, te humillimam oſtendis; neque enim virtutis humilitatem in te, ſed vilitatem & abjectionem tuam a Domino reſpectam prædicas; quod ipſum humilitas maxima eſt: Et quia id reſpicit Filius tuus, ideo beatam te prædicant omnes. O filii, quàm faciles hi ſunt gradus, quàm omnibus obvii, quàmque vobis opportuni, imo greſſibus veſtris commodiſſimi! Potuiſſet Virgo innumeros vobis alios gradus oſtendere, juxta innumeras, quibus reſplenduit, virtutes; ſed unicâ humilitate complexa eſt univerſos: ad quam cùm omnia quæ in Cœlis, & quæ in terris, quæ in corporibus, & quæ in veſtris animabus ſunt, vos hortentur; cur jam animum non aſſumitis, & ſcalam aſcenditis? Erratis (mihi credite) manifeſtiſſimè, ſi aliâ, quàm hac via, vos ad Cœlum evadere poſſe ſperatis. Hac unâ Chriſtus Dei Filius inceſſit; hac Virgo beatiſſima ejus Mater; hac denique quotquot in Cœlis exiſtunt: nam licèt alia ſit ſuperbiæ ſcala, quam qui Babylonicam turrim ædificabant, conſcendere præſumpſerunt, per eam tamen aſcendentes, e Cœlo altiſſimus *Deus* deturbat, qui *ſuperbis reſiſtit*, *humilibus* verò manus porrigit, atque *dat gratiam* (*b*); *qui* enim *ſe humiliat exaltabitur* (*c*), ùt pluries vobis ex Domini verbis diximus. Eja ergo, Regina Cœli, Mater miſericordiæ, Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos converte; &, cùm nemo ad Patrem aſcendat niſi per Filium, fac, ut per te aſcendamus ad Filium: *Trahe* nos: *poſt te curremus in odorem unguentorum tuorum* (*d*); fac, ut tuis hæreamus veſtigiis, tuas amplectamur virtutes, ut in tuum tamdem deſideratiſſimum ſinum accurramus, a quo nemo nos in æternum divellere poſſit. Amen.

(*a*) *Lucæ I. v.* 48.
(*b*) *Jacobi IV. v.* 6.
(*c*) *Lucæ XIV. v.* 11.
(*d*) *Cant. Cantic. I. v.* 3.

HOMILIA LXII.

DE S. SIMPLICIANO EPISCOPO MEDIOLANI

Habita in Baſilica Metropolitana

Feria III. Dominicæ XI. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. XVI. AUGUSTI.

EXTITIT olim, dilectiſſimi filii, tempus, cùm Mediolanenſis hic populus abundabat mirabilibus theſauris, dives erat dilectis a Deo ſacris pignoribus, Sanctorum nempe Reliquiis; ſed neſciebat, neque divitias has ſuas agnoverat. Id, cùm eſſet hujus Urbis Pontifex, ſibi contigiſſe teſtatur Patronus noſter Sanctus Ambroſius, in Inventione Corporum Sanctorum Protaſii & Gervaſii (*a*). *Erant* (inquit) *clauſi iſti oculi, quamdiu obrutæ. Sanctorum corpora deliteſcebant. Aperuit oculos noſtros Dominus; videmus auxilia, quibus ſumus ſæpe defenſi; non videbamus hæc, ſed habebamus tamen.* Verùm tempora ſucceſſerunt, quibus, licèt hujuſmodi pretioſas margaritas Dominus detegere dignatus fuiſſet, adeò tamen univerſi hujus populi refriguerat caritas, ut vix viderentur agnoſci: tam parva in illarum cultu adhibebatur pietas atque religio. Neque verò id priſcis temporibus, aut multis ab hinc annis, ſed noſtrûm plurimi, qui hìc adſumus, quod dicimus, vidimus, & pietatis algorem deflevimus. Sed denuo miſericordiæ ſuæ recordatus eſt Dominus, quando occaſione inſtaurationis Templorum, ſuperiore anno (*b*) tranſlati a nobis fuerunt ſanctiſſimi Epiſcopi & Paſtoris noſtri Simpliciani,

(*a*) Leguntur hæc in Epiſtola ad Marcellinam ſororem, quæ nunc in editione Pariſienſi anni MDCXC. jacet in Claſſ. I. ſub num. XXII.

(*b*) Anno videlicet MDLXXXII. die XXVII. Maji. Magnificentiam hujus tranſlationis deſcripſere Gluſſianus in Vita S. Caroli Libr. VI. Cap. XIV., & Placidus Pucinellus in Zodiaco Eccleſiæ Mediolanenſis, in Vita S. Simpliciani.

ni, aliorumque nobiles cineres atque oſſa; & quæ diu latuerant, in propatulo, & ſacro ac conſpicuo loco repoſuimus. Prima quidem ignorantia nullam habuit culpam admixtam, quia nulla præceſſerat eorum Sanctorum notitia; ſed Beatiſſimi Patris Ambroſii meritis ac precibus, ſacra corpora Altiſſimus Dominus ubi recondita eſſent ſignificaverat: Secunda frigiditas atque irreligio culpâ non vacabat, eò quòd illa homines oblivioni tradidiſſent, incuriæ ſuæ vitio. Cavete autem fratres, ne tertia ſubſequatur tepiditas; quanta namque iſtiuſmodi foret ingratitudo, ſi frigidi iterum eſſe cœperitis atque irreligioſi! nec vos ignorantia, aut aliud quidpiam excuſare valebit; Solem enim quis eſſe non ſciat, cùm videat? Sic èt theſauros hoſce cœleſtes, Sanctorum oſſa, quæ Sole magis reſplendent, omnes, quotquot volunt, videre poſſunt. De magno vobis hodie locuturi ſumus theſauro, de ſacro nempe Corpore, quod propria ſervat Eccleſia, SIMPLICIANI Sanctiſſimi, qui inſignis fuit populi hujus Pater & Paſtor, qui Patriæ hujus fuit filius & incola (*a*); qui tantum univerſo Mundo, & huic imprimis Civitati, ornamenti attulit pariter & emolumenti; cui tam multum univerſus hic Sacerdotum, & Clericorum ordo debet (*b*). Curandum ergo nobis eſt diligentiſſimè, ut numquam amplius excidat ejus memoria, ſed debitis eum proſequamur honoribus; quod quàm ipſe meritus fuerit, & quo a nobis jure exigat; tum qualiter ſit illi præſtandum a nobis, breviter hodie apud vos, Deo dante, tractabimus.

Ac mihi quidem Sanctiſſimi hujus Epiſcopi vitam ac mores conſideranti, tam latus ſeſe offert laudationum ipſius campus, ut verear, ne, dum velim ejus laudes aliquatenus proſequi, tenebras potiùs iis offundere videar, quàm ſplendorem: quem enim tam multiplici graviſſimoque teſtimonio ſcimus laudatum, ùt poſt etiam videbimus, quî pares nos erimus hujuſmodi Viro commendando? Sed delectabitur fortè tenuitate noſtra Simplicianus: Hujus quidem vèl ipſum nomen non minimum ejuſdem mentis deſignat ornatum; nam ſi Chriſtiana fide compellimur credere, caſu nihil accidere, ſed quæcumque fiunt, Dei aut ſuprema voluntate, aut evenire permiſſu, ut nec capillus de capite

(*a*) Gloriam hanc, quòd Mediolanum Patria fuerit S. Simpliciani, egregiè nobis vindicant Bollandi Sectatores, ad diem XVI. Auguſti, contra nonnullos, qui eumdem fuiſſe natione Romanum perperam tradidere.

(*b*) Quæ S. Simplicianus addiderit poſt S. Ambroſium, ut copioſior auguſtiorque Deo præſtaretur cultus in Templo maximo, aliiſque Eccleſiis Mediolanenſis Metropolis, refert Ughellus in Italia Sacra Tom. IV.

pite noſtro cadat (*a*), nec ex arboribus ſiccà folia, abſque cœleſtis Patris conſenſu; quantò igitur magis quæ circa ſanctiſſimos Viros facta cognovimus, non ſine maximo divinæ providentiæ conſilio eveniſſe putabimus? Et quidem, cùm nomina ad placitum eſſe impoſita Philoſophi affirment, certè id, licèt ipſi ignoraverint, Deo imprimis maximè competit, qui Sanctorum præſertim ac Servorum ſuorum nomina in libro ſuo diligentiſſimè habet deſcripta. Et quemadmodum prudentiſſimus Princeps, aut pater-familias eorum omnium, qui domi ſuæ degunt, nomina novit & munera; ſic èt famulorum ſuorum nomina Deo nota ſunt, atque virtutes: Imo etiam virtutibus futuris congrua quandoque nomina mandat imponi; quod (omiſſo ſacratiſſimo illo atque dulciſſimo Salvatoris noſtri JESU nomine), multis aliis fuiſſe conceſſum novimus, ut eorum virtutes & ſtudia, ipſa etiam aliquatenus nomina deſignaverint. Certè nil prohibet, quin Simplicianum Deus nuncupari voluerit, quòd Columbæ inſtar ſimpliciſſimum fore prænoverit. Fuit, dilectiſſimi, Simplicianus *ſimplex ùt columba, ſed prudens* ſimul *ùt ſerpens* (*b*); quæ duo quidem ipſemet Chriſtus ſejungi vetat; & hic ejus ſervus in ſe conjunxit; quocirca nec de ipſius nos poſſumus ſimplicitate loqui, niſi èt de ejuſdem prudentia ſimul verba faciamus. Inter animalia quippe omnia nihil eſt ſerpente aſtutius atque prudentius; inter ipſa verò nihil eſt candidius, nihilque columbâ ſimplicius, quæ nulli nata eſt ſtruere dolos aut inſidias; carens felle amaritudinis, nec opponens ſeſe aut inſequens eos, qui injuriam inferunt, quive pullos ſubripiunt. Sed quis Simpliciano prudentior ſerpens, qui ſerpentum omnium prudentiam longè ſuperavit? & quæ columba ipſo ſimplicior, qui omnem columbæ candorem vicit ac ſimplicitatem? Serpens cautiſſimè ſibi proſpicit ne lædatur, caput ſuum totius corporis involucro tegens ac defendens, & ad incantatorum carmina aures ſuas obturans. Simplicianus ſibi prudenter & aſtutè cavit, ne ab impiis læderetur, ne eorum in ſe malitiam provocaret, neve anſam præberet calumniandæ doctrinæ. Serpens, cùm corporis molem non habeat magnam, nec inſtrumenta valida ad pugnandum cum impetu & vi, ſed tantùm venenum, quo hoſtibus ſuis nocere poſſit, tacitè obſervat opportunitatem effundendi ſuum virus, neque illud niſi commodiſſimo tempore & modo effundit, ut ſic prævaleat prudentiâ,

(*a*) *Lucæ XXI. v. 18.* | (*b*) *Matth. X. v. 16.*

tiâ, & aſtutiâ id ſuppleat, quod viribus deeſt. Simplicianus corpore infirmus, utpote ſenex, non humanis armis fortis aut viribus, quod defuit corpori, mirâ ſpiritus animique prudentiâ ſupplevit; providè enim circumſpexit, & ſolicitè occaſionem captavit, qua omnibus modis, etiam pio quodam dolo, captas a Satana animas ad Chriſtum reduceret, & in ipſis ſaluberrimo divini verbi veluti veneno, peccatum, & peccati parentem Diabolum interimeret. Quid enim vetat, quo minus ſuaviſſimum mel divini verbi, venenum quoque Dæmonis & peccati vocemus, cùm quod venena hominibus, hoc iiſdem divina præſtent eloquia? Serpens toto corpore caput occultat, aut foveæ immergit, ut illud, in quo vita eſt, protegat; imo pro capitis cuſtodia, totum corpus perſequenti objicit: Simplicianus, ut caput ſuum, & noſtrum, quod Chriſtus eſt, cuſtodiret, & Fidem integram ac incorruptam ſervaret, omnia fuit paratus exponere, nulla formidavit pericula; & quòd univerſum etiam corpus non perdiderit, ſeu martyr extiterit, non per ipſum ſtetit, ſed Deo hoc diſponente non evênit. Serpens demum per anguſtias ſe coarctans, veteri tunicâ exutus innovatur, & ſenectam deponit: Simplicianus *per anguſtam portam intravit* (*a*), & ſic veteri homine depoſito, novum induit, ut *renovaretur ſicut Aquilæ juventus ſua* (*b*). Et ecce, quia prudentiſſimum ſerpentem fuiſſe, Patrem noſtrum Simplicianum agnoſcimus.

Verùm fuit quoque columba; columba namque candida eſt, & Simpliciani mores lacte ac nive fuerunt candidiores. Gemit columba, gemebat continuò Simplicianus, poſtquam ſua expiaverat, aliorum quoque peccata; & pro iis ſolicitus invigilabat, pro quibus redditurum ſe noverat rationem. Columba felle caret; & hic omnem ignoravit amaritudinem, hic iraſci neſcivit, hic nemini ſuccenſuit. Columba ſe perſequentes non inſequitur; Simplicianus pro ſe perſequentibus orabat; nec enim ipſi putandum eſt perſecutores defuiſſe, qui ejus fuit diſcipulus, qui antea prædixerat: *Si me perſecuti ſunt, èt vos perſequentur* (*c*). Columba demum non ſævit in ſubtrahentes ſibi pullos ſuos; Simplicianus èt inimicos diligebat: ac ſi qui eidem fuiſſent infenſi, iis ipſe pro malis bona rependere ſatagebat. O ſimpliciſſimam Columbam, o prudentiſſimum Serpentem: O digniſſimum Antiſtitem, qui

(*a*) *Matth. VII. v.* 13.
(*b*) *Pſalm. CII. v.* 5.
(*c*) *Joann. XV. v.* 20.

qui Evangelici impleti præcepti utramque laudem eſt conſecutus! O Simplicianum, qui verè *abundavit in divitiis ſimplicitatis* ſuæ (*a*); nihil enim pretioſius viro ſimplici: „ Quid ſimplicitate ditius; „ quæ ſicut bonus pater-familias ſatis ſibi abundat, & ſua puritate contenta, non quærit alienum? Innocens enim credit „ omni verbo, nec ſe in artes varias ſæpe commutat, ſicut aſtutia, quæ ut ſit cauta, timet omnia, nec ſe conſiliis ſuis credit, verſat ſuas ipſa ſententias. Simplicitas autem timere nil „ novit (*b*).

Sed & generis nobilitate, ac ſanguinis fuit ſplendore inſignis: quæ quidem licèt tanti non ſint facienda, ac ab hominibus, vanitatem tantùm diligentibus atque mendacium hodie æſtimentur, iſque verè ſit nobilis, qui Chriſto eſt ſimilis, & apud Deum nulla ſit hujuſmodi perſonarum diſtinctio, cùm de limo ſimus omnes formati, ac ab iiſdem Protoparentibus noſtris æquè omnes originem duxerimus; quando tamen ſanguinis nobilitatem, eximia conſequitur, imo etiam ſuperat vitæ ac morum claritas, nemini dubium eſt, quin èt illa laudi ſit adſcribenda. Non fuit inſignis modò Cataneorum familia (*c*), ex qua Simplicianus ortum duxit, ſed èt ipſe eam præclariſſimis virtutibus ſuis inſignivit. Non ita familias Regiæ dignitatis culmen exornat, non ſic Imperatoria ſtemmata illuſtrant, non tantum afferunt ornamenti nobiliſſimæ partæ victoriæ, & de hoſtibus reportata trophæa, ac bello, & viribùs, virtuteque propria Civitatum ſubactarum claves & opima ſpolia in Patriam invecta; ſicut univerſam

(*a*) *II. ad Corinth. VIII. v. 2.*

(*b*) Ambroſ. in Pſalm. LXI. num. 21. Edit. Pariſ. anni MDCLXXXVI.

(*c*) Papebrochius in Exegeſi Epiſcoporum Mediolanen. præfixa Tomo VII. Sanctorum Maji num. LXVIII. & ſeq. animadvertit, auctoritate Puricelli in Vita S. Laurentii Epiſcopi, Petrum Galeſinium primum fuiſſe, qui propria cognomenta, & Familias ſingulis nominibus Epiſcoporum Mediolanenſium ſuperaddidit, cùm eorumdem Tabulam, inſertam Actis Eccleſiæ Mediol., a Sancto Carolo Borromeo editis, condidit. Subjungit autem, ſe non mirari, in re paſſim gratioſa Nobilitati, paucos habuiſſe contradictores, aſſentatores plurimos. Ceterùm ait, nemini erudito Viro perſuaderi poſſe, ut jam tum inter Eccleſiarum Antiſtites notus fuerit uſus Cognominum; quantumcumque Seculi XVI. credulitas cum plauſu exceperit eorum temeritatem, qui Epiſcopis per Inſubriam etiam primis præſumpſerunt adſcribere certam aliquam ex nunc celebratis nominatiſque, Familiam. Sanè Carolus a Baſilica-Petri Epiſcopus Novarienſis, Vir doctiſſimus, & Sancto Carolo Borromeo familiaritate conjunctus, S. Geruntium Mediolanenſem Antiſtitem, qui ejuſdem Familiæ adſcribitur, minimè ſuum agnoſcit, inquiens: *Quod ſuperioribus ſingulis Archiepiſcopis familias horum temporum quidam aſſignant, a veritate Hiſtoriæ abhorret*. Loquens verò de Familia a Baſilica-Petri, quam nonnulli florentem Mediolani voluere temporibus S. Monæ, ſincerè iſta ſcribit: *Delectavit nos quidem antiquiſſima origo - - - - - verùm illud obſtat, Familiarum, quæ nunc ſunt, nomina, talis antiquitatis non eſſe; & circa milleſimum, vel ad ſummum nongenteſimum ſalutis annum, initium habuiſſe;* atque id proſequitur invictis documentis confirmare. Sanctus Carolus ex vulgari fama hæc pronunciavit, cùm ad ipſius Inſtitutum minimè ſpectaret, diligentiùs controverſias iſtas expendere.

verſam non modò Cataneam familiam, ùt audiviſtis, ſed èt totam noſtram hanc Patriam Pontificia Simpliciani dignitas, qua tam ſanctè perfunctus eſt, & Animæ illorum, quos ipſe in Chriſti rete pertraxit, ejuſque ſubegit imperio, condecorant. Aliis certè familiæ ſplendor ornamentum affert & decus; hic ſplendidam familiam ſuam mirificè exornavit & auxit. Quo vos Mediolanenſes Cives pater veſter edocuit, non tantì faciendam eſſe ſanguinis nobilitatem, quantì virtutum ſplendorem, ac morum probitatem; illa quippe vos Mundo, hæc Deo & Angelis, ac Cœlo nobiles reddit: qui verò, ùt Simplicianus, utrumque conſequitur, nemini dubium eſt, quin præter eſſentialem cœleſtis gloriæ beatitudinem, accidentale etiam præ ceteris lumen ſit conſecuturus. Verùm ad ea, quæ magis ſua ſunt, accedentes (*Nam genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, Non ea noſtra voco*), omnem ejus, obſecro, vitam expendamus, ut in eam veluti in limpidiſſimum ſpeculum oculos conjicientes, num ei noſtra ſit ſimilis, inſpiciamus. In qua quidem quatuor potiſſimùm ipſius tempora conſiderabimus, pueritiam imprimis, tum juventutem, virilem tertiò ætatem, ac demum venerandam ſenectutem.

A primis ætatis ſuæ annis Simplicianus ſe totum Deo tradidit, ſacris Inſtitutis excolendum. Opportunè in vitæ limine Deo cœpit ſervire, ac pietatis ſtudia ſectari; primitias frugum ſuarum & fructuum obtulit Deo, non Dæmoni, non Carni, aut Mundo, ùt filii veſtri nunc faciunt, Mediolanenſes. O tempora, o mores! Heu quales ego ſæpe multorum audio voces, quàm impias, quàm execrandas! Juvenes, inquiunt, ſunt, fræna rumpant oportet & lora, juventutem ſuam perficiant. Vulnerandi ſunt ergo, ut poſtea ſanentur; priùs ergo debent venenum bibere, ut poſtmodum curentur; ætatis ſuæ florem Diabolo dedant, quod poſtea reliquum fuerit, Deo tradant? O perniciosiſſimum dogma, o diabolicum Inventum! Num arbores, quamdiu teneræ ſunt, inflecti permittitis, ut cùm obduruerint, rectas efficiatis? Quæ eſt hæc ignorantia? Annon ſcitis, quod Ethnicus ille ſcriptum reliquit, quia *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem Teſta diu?* Quàm magnam, o patres, Deo & Liberis veſtris, immoderatâ hac indulgentiâ atque ſegnitie infertis injuriam, cùm & illi, quod eſt deterius, offertis, & hos permittitis pravos mores imbibere, quos non niſi difficillimè, cùm velint, poſtea ſint deleturi! Quanta inde in hanc Civitatem ca-

lamitas infertur; quanta hinc emanat pernicies; quot malorum & miſeriarum origo eſt, prava filiorum veſtrorum educatio, ac in dies protracta correctio!

Teſtentur hoc Civitatis hujuſce apothecæ, dicant viæ, dicant plateæ, tam multam juvenum licentiam videntes; tantam vivendi nequitiam, tantam morum corruptelam aſpicientes. Hæc omnia (certè dicent) veſtrâ o parentes causâ contingunt; & pro his omnibus, nos extremo Judicii die, contra vos ad eum, qui nos fecit, clamare cogemur, quòd Simpliciani vos exempla non moverint, qui primos annos Chriſto ſacravit, & ſacris acquirendis diſciplinis impendit, ut in perfectam Dei perveniret cognitionem, ac ſuî.

Adoleſcentiam attingens, eam omnem, & totius quoque vitæ ſuæ tempus in literis conſumpſit; cujus etiam rei, ac Fidei & religionis causâ plures Mundi partes peragravit, multos annos in varias regiones peregrinatus, ut variis ſcientiis animum ſuum excoleret. Sunt quidem in hac potiſſimum Civitate multi, qui liberos ſuos adoleſcentulos in longinquas regiones tranſmittunt; ſed quia oculus eorum lucidus non eſt, totum etiam corpus ipſorum tenebræ ſunt (*a*). Cur enim mittunt? nempe ut mercaturam exerceant, ut acquirendi ac lucrifaciendi artes addiſcant, ut patrimonia augeant: & quod dolendum eſt valde, plerumque etiam, modò majoris lucri ſpes adſit, nullum habent Civitatum delectum, in quas illos mittant; num hæreſum peſte ſint infectæ, an a Sanctæ Matris Eccleſiæ pendeant unitate; num debitus illic Deo cultus exhibeatur, an Dæmoni; modò pecuniæ, & rei familiaris fiat augmentum, morum Chriſtianorum atque virtutum diſpendium, Fideique orthodoxæ jacturam nihilî faciunt; modò terram cumulent, negligunt Cœlum. Stulti & infelices, cùm modò multa habere ſe ſomnient, & dormientes ſibi divites videantur, veris divitiis atque theſauris abundare contemnunt, cùm tamen & ſciant, & me hinc toties clamantem audierint, quia umbra ſunt & ſomnium, Mundi hujus divitiæ, aurum & argentum; veræ autem divitiæ, ſolæ ſunt virtutes, quia *cùm interierint* viri divitiarum, nihil *ſument* ſecum, *neque deſcendet cum ipſis gloria eorum* (*b*); *ſed qui ſibi amicos* fecerint *de mammona iniquitatis*, illos in altera vita reperient, & ab iis *in æterna taber-*

(*a*) *Lucæ XI. v.* 34. | (*b*) *Pſalm. XLVIII. v.* 18.

tabernacula recipientur (*a*). Attamen ſuper hæc omnia, vanitatem diligere non ceſſant atque mendacium. Simplicianus, ut Cœlum inveniret, ac Deum Deique veram ſapientiam quæreret, peregrinabatur; hi verò filios ſuos peregrè mittunt, ut terram, ut Dæmonem, ut falſam Mundi ſapientiam, ut mortem ſibi denique parent, & æternum interitum: Ille ut veris divitiis locupletaretur, ſanctis ſcilicet virtutibus, humilitate, ſimplicitate, prudentia, caritate, & reliquis; hi verò ut ſomniis ditentur atque mendaciis.

Sed progrediente ætate prudentiſſimus Mercator Simplicianus jam vir effectus, numquid quos peregrinando congeſſerat theſauros, abſcondit ſub lapide? Minimè verò, ſed iis alios ſuperlucratus eſt plurimos; nam ſuî ipſius minimè ſanctimoniâ contentus, alios ſuî ſtuduit imitatores efficere. Deſignaverat illum Dominus, veluti piſcatorem ad piſces multos in Evangelicum rete trahendos; ideo cùm tempus advênit, vocationi ſuæ reſpondere non deſiit, & ſtudia, in quibus plures annos verſatus fuerat, in quibuſque profecerat, ad Dei promovendum honorem, & procurandam animarum ſalutem ſolicitus contulit. Quatuor in Occidente inſignes habuit Sancta Mater Eccleſia Doctores: Inter hos præcipui duo fuere Ambroſius, & Auguſtinus, alter Patriæ hujus pater & Archiepiſcopus; alter ab eo hìc ad Chriſti Fidem converſus; qui duo veluti magna luminaria Mundum illuſtravere. Sed quantam in utroque ſibi vindicat partem ſanctiſſimus Simplicianus! Nemo eſt, qui ignoret, quantum univerſæ Eccleſiæ Auguſtinus illuſtriſſimus Doctor profuerit, quot ei victorias pepererit. Extinxit ipſe in Africa Manichæos, delevit Donatiſtas, Pelagianos evertit, vaſtiſſimaſque illas Provincias multis liberavit hæreſibus; tam multos confutavit Hæreſiarchas, tot pernicioſa dogmata ſuſtulit, tam religioſam vivendi regulam inſtituit, tot ſacræ Scripturæ interpretatus eſt libros, tot dubia ac difficultates ſapientiæ ſuæ torrente diſſolvit; unde ex ejus doctrina, qui illum ſubſecuti ſunt Patres atque Theologi, & Catholicæ Univerſitates, ac Generalia Concilia, plurima Fidei dogmata ſtabilierunt. Verùm hæc omnia magna ex parte Simpliciano accepta ſunt referenda, qui, cùm Mediolani degeret Auguſtinus, hæreſis Manichææ mille irretitus erroribus, omni illum ſolicitudine ac diligentia ad Ambroſium adducere ſtuduit; illiuſque

(*a*) *Lucæ XVI. v. 9.*

que confutatis ſententiis, & philoſophicis exploſis fallaciis mendaciiſque, in Fide illum Catholica inſtituit. Sed non minùs illuſtre fuit experimentum, quod Romæ edidit; in ea enim Urbe, quia inſigni Chriſtianarum virtutum claritate, morum exemplo, doctrinarum præſtantiâ, ac pia quadam ſolertiâ ſplendebat, cùm ex præcipuis multos ad Chriſtum adduxiſſet, inter ceteros Victorinum Nobilem Rhetorem, ac virum diſciplinis liberalibus eruditiſſimum, & imprimis apud Romanos auctoritate gratiâque florentem, ab impura Idolorum ſuperſtitione, qua maximè devinctus erat, ad veram Chriſti Domini Fidem convertit. O fortiſſimum virum Simplicianum, cujus potiſſimùm operâ & induſtriâ, inter quamplures, duo illi adeo celebres Oratores, humanæ ſapientiæ compreſſo faſtu, Chriſti ſunt Fidem amplexi! Auguſtini captioſam argutamque Dialecticam, omnes tunc temporis Chriſti Fideles verebantur; Victorinus ſuis facundiſſimis verbis omnes ſuadebat errores, omneſque Idolis honores deferri curabat. Sed Simpliciani virtuti atque doctrinæ, illius argumentatio ſophiſtica, & hujus Oratoria ceſſit facundia. His omnibus rite inſigniterque peractis, Româ Mediolanum reverſus, quo de Patria meliùs mereretur, in eam Apoſtolorum Principis Reliquias intulit. Quod, quàm magnum fuerit huic Civitati donum, qui probè noſcit, quantum hominibus Sanctorum proſint ſuffragia; & quo ſint in honore illorum corpora habenda, quæ Spiritus Sancti templa extiterunt, ac in univerſali reſurrectione erunt Sole ſplendidiora, quantæque ſit dignitatis in utraque militante ac triumphante Eccleſia Apoſtolorum Princeps Petrus, manifeſtè percipiet.

Cùm denique omnem ſuam ætatem lucrandis Chriſto animabus conſumpſiſſet, ac nobiliſſimæ hujus Eccleſiæ Archidiaconus, eidem operam navaſſet; ne diutiùs ſub modio lucerna conſiſteret, tamdem poſuit illam Dominus ſuper candelabrum, ut perfectiùs & clariùs luceret omnibus, qui in domo (a) Dei ſunt; cùm ipſum Archiepiſcopum ſuffecit Ambroſio, in ejuſque demortui locum huic ampliſſimo gregi Paſtorem conſtituit. Et verè Dominus conſtituit, quia ipſe non dignitatem quæſivit, aut ullo modo ambivit, ſed ad illam, tamquam Aaron a Domino vocatus, acceſſit. Quod nemini dubium eſt, qui illius electionem perpenderit: nam Ambroſio jam morti proximo ac in extremis labo-

(a) *Matth. V. v. 15.*

laborante, cùm tres ipſius Diaconi, longè tamen ab eo diſtantes, inter ſe perquirerent quiſnam cenſeretur idoneus, qui morienti Patri ſuccederet; Ambroſius ipſe, qui nec illos audire potuerat, & cui Dominus vocis vim dederat, quam naturæ infirmitate perdiderat, ter his verbis de Simpliciano clamavit: *Senex ſed bonus: ſenex ſed bonus: ſenex ſed bonus* (*a*); licèt enim ætas infirma tanto oneri non videretur idonea, ejus tamen debilitatem vitæ ſanctitas abundè ſupplebat. Quibus Ambroſii vocibus diſcat univerſus populus, quantum compati debeat Paſtoribus ſuis, tantum onus ſuſtinentibus, vèl ipſis Angelicis humeris formidandum. Sciant etiam omnes, hujuſmodi dignitates minimè eſſe quærendas, ſed invitè vix ſuſcipiendas; ac ad eas illis tantùm licere conſcendere, quos vocaverit Dominus. Quanta item Simpliciani ſanctitas fuerit, liquet apertè; nam cùm Patres decedentes potiſſimùm filiis ſuis paterni amoris indicia præbere conſueverint, cariora illis tunc ac pretioſiora quæ poſſint munera relinquentes; certè cùm Ambroſius Sanctiſſimus ſummâ populum hunc fidei ſuæ creditum dilectione proſequeretur, non ei Simplicianum Paſtorem dono dediſſet, niſi muneris agnoviſſet magnitudinem, & Simpliciani meritum.

Qui ſi ante ſuſceptam Epiſcopatus dignitatem adeò fuerat ſolicitus animarum piſcator, earumque ſalutem anhelaverat; quid eum fuiſſe exiſtimabimus, cùm innatæ ipſius caritati, paternæ pietatis vincula acceſſerunt? Quanta cum dignitate onus ſuſtinuit, quàm fuit in ſeveritate miſericors, & in miſericordia non remiſſus; quomodo divini zelo honoris ardebat, quàm liberalis in pauperes, quàm in profundendis eleemoſynis beneficus! Erat Simplicianus caritate mirificè accenſus, rerum divinarum contemplationibus totus deditus, in officio precum ſummè aſſiduus, pauperum alienâque ope egentium ſtudioſiſſimus, præclarus morum Magiſter, egregius ſacrarum literarum Doctor, omnique virtute præcellens: Eccleſiaſticæ verò diſciplinæ promovendæ, ac divino cultui augendo deditiſſimus; nam in Eccleſiæ Mediolanenſis regimen curamque toto pectore incumbens, Divinorum Officiorum Ritibus, quæ Sanctus Ambroſius inſtituerat, religione, aliiſque pietatis ornamentis illam auxit (*b*).

Et

(*a*) Hæc narrat Paulinus in Vita Sancti Ambroſii num. 46.

(*b*) Quos Ritus & ſacra Officia invexerit Sanctus Simplicianus in Ambroſianam Eccleſiam, olim recenſui Cap. I. meæ diſſertationis Hiſtoricæ ad vindicandam veritatem, editæ Mediolani anno MDCCXXXIII.

Et quidem ſi a magnis Viris commendari magnum eſt ; quantus erit Simplicianus, quàm magnus, qui a duobus tàm inſignibus Viris, nempe Ambroſio, & Auguſtino adeò fuit commendatus, & ab utroque Pater vocatus, & veluti Pater ſemper habitus? Eorum prior, nempe Ambroſius, ab illo per literas interrogatus, *quid ſibi vellet, quòd Moyſes poſt oblatum ſacrificium, & immolatas Domino ſalutares hoſtias, dimidiam partem ſanguinis in crateras miſerit, dimidiam autem ad Altare effuderit*, ei ita reſpondit : *Sed quid eſt, quòd ipſe dubites, & a nobis requiras; cùm Fidei, & acquirendæ cognitionis divinæ gratiâ totum orbem peragraveris; & quotidianæ lectioni nocturnis ac diurnis vicibus omne vitæ hujus tempus deputaveris, acri præſertim ingenio etiam inintelligibilia complectens; utpote qui etiam philoſophiæ libros, quàm a vero ſint devii, demonſtrare ſoleas, & pleroſque tam inanes eſſe, ut priùs ſcribentium in ſuis ſcriptis ſermo, quàm vita eorum defecerit?* Ac poſt multa : *Vale, & nos parentis affectu dilige, ùt facis* (*a*). Sed & alibi eumdem Ambroſium inſigniùs ſcripto comprobantem ea quæ diximus audite : *Divinæ Clementiæ innumeras gratias agere debemus, quòd Auguſtinus Afer Carthaginenſis Philoſophus acutiſſimus contempto Gentilium cultu ad veram Chriſtianam Religionem divino tamdem nutu pervênit. Hoc reſurrectionis tempus duplici lætitia celebrandum eſt, Chriſti ſcilicet victoriâ, ac deleto Inferorum imperio; & Auguſtini converſione, quæ Chriſtianis plurimùm confert. Quis expugnavit ani-*

(*a*) Epiſtola LXV. Editionis Monachorum Sancti Mauri Pariſiis MDCXC. Ad hunc verò locum iidem Monachi iſta ſubjiciunt. „ His potiſſimùm verbis niti videtur Baronius in Ambroſii Vita, ut doceat Simplicianum a Damaſo Romano Pontifice Mediolanum ſtatim atque Ambroſii Ordinationem reſcivit, miſſum fuiſse, qui novo Epiſcopo, & a Provinciæ adminiſtratione ad Epiſcopale munus adſcito, Patris ac Præceptoris vices præberet : cum autem, cùm eſſet dignitate inferior diſcipulo, hanc ad illum erudiendum viam iniviſſe, ut non Doctorem ageret, ſed quaſi diſcipuli ſui diſcipulum ſe exhiberet, propoſitis de Sacra Scriptura quibuſdam quæſtionibus ipſum ad probandas ingenii vires excitans, & quaſi aquila pullum ſuum ad volandum provocans. Hæc ipſa idem Cardinalis in *Annalibus* ad annum CCCLXXV., & CCCLXXXV. eodem prope modo repetit : in quo eum ſequuti ſunt Ughellus, Ripamontius, & alii. Verùm tamen, licèt Simplicianum Romæ ſub Conſtantioo degiſſe, atque ad Victorini Rhetoris converſionem operam contuliſſe diſcamus ex Auguſtini *Confeſſionibus* Lib. VIII. Cap. II. „ non tamen inde colligi poteſt, eum aut Romæ natum, aut Romanæ Eccleſiæ Presbyterum fuiſſe, multò etiam minùs ipſum a Damaſo deſtinatum ad Ambroſium inſtituendum. „ Deinde, ut daremus, Simpliciani Epiſtolam ad Saoctum noſtrum initio Epiſcopatus ſui ſcriptam fuiſſe, at nequaquam hinc ſequeretur, eumdem Simplicianum docendi conſilio eam ſcripſiſſe, cùm ſimiliter Auguſtino recens ad eamdem dignitatem electo quæſtiones propoſuerit, nec propterea Doctoris partes erga eum ſuſcipere conſtituerit. Hæc ergo de Sancto illo ſene tantùm certa ſunt; eum a primis annis Deo ſerviſſe, ac doctiſſimum fuiſse in literis divinis, quarum cognitionem ut compararet, regiones diverſas peragraſſe, poſtremò eumdem Ambroſio in accipienda gratia Parentem extitiſſe, ſeu quòd ipſum Romæ primis Fidei elementis imbuerit, ſive quòd Mediolani, cùm adhuc Catechumenus in Epiſcopum eſſet conſecrandus, ipſum ad conſecrationem rite pièque ſuſcipiendam præparaverit. Quomodo autem in Epiſcopatu eidem ſuceeſſerit, narrat Paulinus in *Ambroſii Vita*.

animum, quis ſuperavit? Non argumenta, non vis aliqua verborum, ſed Dei duntaxat virtus & clementia. Nonne Rhetor hic habebatur præſtantiſſimus? Nonne ejus doctrinâ accinctus Mediolanum venit, ubi a cunctis Civibus honorificè ſuſceptus eſt? Et poſt multa: *Optabam*, inquit, *mirum in modum hominem tantæ doctrinæ illuminari, a quo ſumma gloria & ſplendor, ut in merito Chriſtianæ Fidei oriri poſſet. Verùm etiam Auguſtinus tantâ interdum pertinaciâ, & diſputationis ſuæ acrimoniâ ac vehementiâ nos urgebat, ut inter ſupplicationes noſtras, quod Deus ab ejus captionibus nos averteret, rogare coacti ſimus. Matris ejus Monicæ precibus & lacrymis pene continuis, noſtriſque orationibus aliquantiſper adhærere cœpit, & prædicationibus noſtris aliquando intereſſe cupiebat, in quibus Fidei noſtræ ſinceritatem, omnibus diſciplinis, & omnium artium argumentis antecedere oſtendebamus. Divino tamdem auxilio, Chriſti veram Religionem amplexus eſt; unde humanum genus, & Chriſti fideles meritò jubilare poſſunt. Verumtamen Simpliciano noſtro probatæ ſanctitatis viro non minores gratiæ agendæ ſunt, a quo Auguſtinus de Religione, beata felicique vita inſtructus eſt; a quo idem multa de Chriſti Fide tum exempla, tum miracula accepit, quibus ſi qua hæreſis rubigo eſſet, penitus animum abſterſit, quibus a ſe omnis dubitationis timor procul propulſatus eſt* (*a*).

Alter verò, nempe Auguſtinus ſanctiſſimus, plurimis in locis, quod ſupra ex Ambroſio audiviſtis, fatetur apertè, qui èt Simplicianum tam magnì fecit, ut Epiſcopatus ſui initio libros duos ad illum ſcripſerit; iiſque hujuſmodi præmiſit epiſtolam, ex qua, quantì illum coleret, agnoſcere poteritis (*b*). *Domino beatiſſimo, & venerabiliter ſinceriſſima caritate amplectendo Patri Simpliciano Auguſtinus in Domino ſalutem. Plenas bonorum gaudiorum literas, quòd ſis memor mei, meque ùt ſoles, diligas, magnæque gratulationi tibi ſit quidquid in me donorum ſuorum Dominus conferre dignatus eſt miſericordiâ ſuâ, non meritis meis, miſſas munere ſanctitatis tuæ accepi, in quibus affectum*

(*a*) Ambroſius Sermone XCII. de Baptiſmo Sancti Auguſtini Editionis Pariſienſis Anni MDXLIX. Nonnulla de hoc Sermone adnotabimus in ealee ad Homiliam habitam a Sancto Carolo Dominica XIII. poſt Pentecoſtem Anno MDLXXXIII. Nunc teſtimonia ſunt proferenda, quæ vigentem ætate hujus noſtri Sancti Epiſcopi opinionem de genuino iſto Sancti Ambroſii fœtu, prorſus enervant. Poſſevinus, Baronius, & Bellarminus, illum ad æquam veritatis lancem revocantes, intrepidè pronunciavere, falsò hunc Sermonem S. Ambroſio fuiſſe attributum. Poſtremus iſte Auctor in Libro *de Scriptoribus Eccleſ.* hæc habet: „ Sermo XCII. „ de Baptiſmo S. Auguſtini longiſſimè diſtat „ a ſtylo & gravitate Ambroſii, neque ullo „ modo credibile eſt, quod in eo Sermone dicitur, Ambroſium ſæpe Deum oraſſe, ut eum a „ captionibus Auguſtini liberaret; Auguſtinus „ enim, non diſputando cum Ambroſio, ſed eum „ concionantem audiendo, ad Fidem Catholicam converſus eſt, ùt ipſe idem teſtatur Libro V. Confeſs. Cap. XIII., & Libr. VI. „ Cap. I.

(*b*) Inter Epiſtol. Sancti Auguſtini num. XXXVII. Tom. II. Edit. Antuerpienſis Anni MDCC. Scriptam eſſe hanc Epiſtolam circa Annum CCCXCVII. adnotant in margine Monachi Sancti Mauri Pariſienſes.

Digitized by Google

fectum in me paternum, de tuo benigniſſimo corde non repentinum & novum hauſi, ſed expertum ſanè cognitumque repetivi, Domine beatiſſime & venerabiliter ſinceriſſima caritate amplectende. Unde autem tanta exorta eſt felicitas literario labori noſtro, quo in librorum quorumdam conſcriptione ſudavimus, ut a tua dignatione legerentur, niſi quia Dominus, cui ſubdita eſt anima mea, conſolari voluit curas meas, & a timore recreare, quo me in talibus operibus neceſſe eſt eſſe ſolicitum; nec ubi fortè indoctior vel incautior, quamvis in planiſſimo campo veritatis offendam. Cùm enim tibi placet quod ſcribo, novi cui placeat; quoniam, quis te inhabitet, novi. Idem quippe omnium munerum ſpiritualium diſtributor atque largitor, per tuam ſententiam confirmabit obedientiam meam; quidquid enim habent illa ſcripta delectatione tuâ dignum, in meo miniſterio dixit Deus: fiat & factum eſt; in tua verò approbatione: vidit Deus quia bonum eſt. Quæſtiunculas ſanè, quas mihi enodandas jubere dignatus es, etſi mea tarditate implicatus non intelligerem, tuis meritis adjutus aperiam. Tantùm illud, quæſo, ut pro mea infirmitate depreceris Deum; & ſive in iis, quibus me exercere benignè paternèque voluiſti, ſive in aliis, quæcumque noſtra in tuas ſanctas manus fortè pervenerint, quia ſicut Dei data, ſic etiam mea errata cognoſcò, non ſolùm curam legentis impendas, ſed etiam cenſuram corrigentis aſſumas. Vale. Quàm gravia ſunt hæc tantorum ſanctiſſimorum pariter, atque eruditiſſimorum Pontificum & Doctorum teſtimonia! Quòd ſi *in ore duorum vel trium ſtat omne verbum* (*a*), quid adhuc egemus teſtibus ad eximiam Simpliciani ſanctitatem ac doctrinam comprobandam? Sed èt plurimorum infimul Epiſcoporum judicium audiamus, atque eorum quidem in Spiritu Sancto convocatorum: Nam Simplicianus Archiepiſcopus creatus, quo anno Carthagine in Africa Concilium celebrabatur, ex Sermone Auguſtini, qui præſens aderat, magnum etiam in Africa nomen habuit & ſanctitatis, & doctrinæ. Quamobrem illius Synodi Patres, & Epiſcopi quamplures in unum congregati, cùm ad Siricium Pontificem Legatos miſiſſent, qui de Infantibus apud Donatiſtas baptizatis quærerent quid decernendum eſſet, Simplicianum quoque per literas de eodem dubio conſulendum cenſuerunt (*b*); tantì illius prudentiam, atque ſapientiſſimum conſilium æſtimarunt. Sed quid ego humanis illum teſtimoniis com-

(*a*) *Matth. XVIII. v. 16.*

(*b*) Anno CCCXCVII. celebratum eſt hoc Concilium. Addit Tillemontius, etiam Concilium Toletanum I. nihil decernere voluiſſe in Cauſa receptionis Priſcillianiſtarum, antequam ejuſdem Patres intelligerent, quid in hac re ſentirent Anaſtaſius I. Pont. Max., & Simplicianus. Sed illorum Epiſtola invènit Simplicianum ſuperiori menſe Auguſto jam mortuum, ùt etiam Pagius adnotavit ad annum CCCC.

commendare contendo, quem tot inſignibus miraculis atque virtutibus Deus Optimus Maximus & viventem, & mortuum luculentiſſimè condecoravit?

Verè plurimùm tibi univerſa debet Eccleſia, cui talem ac tantum dediſti magna ex parte Doctorem Auguſtinum ſanctiſſimum, cujus ſcriptis atque doctrinis tam multi fuerunt ad Fidem reducti, tam multi in ea confirmati, tam etiam adhuc multi confirmabuntur atque redibunt; qui quidem omnes, accidentalem novam tibi gloriam comparabunt in Cœlis. Quantum tibi Africæ univerſa Provincia debet, te conſultore a tantis liberata quæſtionibus? Quantum tibi Romana Civitas debet, cujus tu tam multos filios, & adeò nobilem Rhetorem ad Chriſti Fidem convertiſti? Quantum tibi debet Hippona, cui tam inſignem tu diſpoſuiſti atque præparaſti Epiſcopum? Quantum tibi debet Novaria, cui tu primum Antiſtitem Gaudentium ſanctiſſimum conſecraſti? Quantum tibi præ ceteris debet Mediolanenſis hæc Civitas, in quam tu nobiliſſimas Apoſtolorum Principis intuliſti Reliquias; cui tu Avus quodammodo extitiſti, cùm ejus Patris Ambroſii pater ipſe ab eodem habitus fueris atque magiſter; in qua tu Chriſtianam Religionem, Eccleſiaſticam diſciplinam, orandi ritus adeò reformaſti, ampliaſti, auxiſti; quam tu denique triennio integro (*a*) tanta cùm ſanctitate rexiſti, tam uberibus cibis paviſti, tot ſalutaribus Inſtitutis ornaſti, tam miris denique virtutum exemplis ad Chriſtum duxiſti? Quibus te nos proſequemur honoribus, quas tibi laudes perſolvemus Paſtor ſanctiſſime, qui adeò *ſuper pauca fuiſti fidelis*, ideò *ſuper multa jam es* a Domino *conſtitutus* (*b*)?

Sed te nobis e Cœlo loquentem videor audire, unde etiam nos, quo ſolebas, amore proſequeris: Filioli mei Mediolanenſes, quos ego per Evangelium genui in Chriſto Jeſu, pro quibus ego tot noctes duxi inſomnes, tot pertuli labores; hoc unum amori erga vos meo rependite. Tollite, tollite Idòla de medio

(*a*) Scriptores aliqui, & etiam Catalogi Epiſcoporum Mediolanenſium tradidere, a Sancto Simpliciano productam fuiſſe vitam uſque ad annum cccclv., vel ccccx. Id autem a veritate prorſus abhorret; ſiquidem conſtat, S. Venerium ſucceſſiſſe Sancto Simpliciano anno cccc. ex Concilio Carthaginenſi IV. vulgò V., & ex Epiſtola Sancti Anaſtaſii I. Summi Pontif. ad ipſum datà vel hoc anno, vel ſequenti, ùt tradit Baronius in Annalibus ad hos annos. Itaque vera eſt ſententia Sancti Caroli, qui tres integros annos ſedis S. Simpliciano tribuit, a menſe nempe Aprili anni cccxcvii., quo Sanctus Ambroſius deceſſit, ad menſem Auguſti anni cccc., qui ultimus fuit vitæ Sancti Simpliciani.

(*b*) *Matth. XXV. v.* 21.

dio veſtri. Cur Chriſtum verum Deum, quem ego ſolum Deum eſſe vos docui, negligentes, aurum vobis conſtituitis Deum, alii verò Carnem, aut mille hujuſmodi? Colite Reliquias meas, colite Oſſa Sanctorum, quibus tantùm abundatis, quos continuos hìc in Cœlis advocatos habetis. Clamant hìc pro vobis Protaſius & Gervaſius: Clamant Babylas & Anatalo: Clamant Satyrus, & veſtrì ſtudioſiſſimus Ambroſius, ac alii quamplurimi. Clamo èt ego ad Deum, ut veſtrì miſertus, omnem a vobis pellat animi corporiſque languorem. Cur vos, quæ docuimus omnes & fecimus, imitari negligitis, ac nos in vanum clamare permittitis? Cur irritas voces noſtras efficitis? Cavete filii, ne quod perfidis Judæis accidit, idem vobis eveniat, quibus in Moyſe nimiùm confidentibus, a Domino eſt dictum: *Eſt qui accuſat vos Moyſes* (*a*). Cavete, inquam, ne, quos hactenus Protectores & Advocatos habuiſtis, in die retributionis, cùm inſpicere cœperit Dominus, acerrimos habeatis accuſatores, ac dicere compellamur: *Populus iſte*, Domine, *duræ cervicis* (*b*) nec te audivit, nec nos; & te contempſit, & nos; nihil illis tua, multò minus noſtra profuerunt exempla: det pertinaciæ ſuæ meritas pœnas: fiat jus, & pereat Mundus. Quod ne vobis accidat, filioli, dum tempus habetis, diligenter proſpicite, ut noſtris monitis parentes, nobiſcum etiam æternis tamdem gaudiis perfrui valeatis. Amen.



HO-

(*a*) *Joann. V. v.* 45.

(*b*) *Deuter. IX. v.* 13.

HOMILIA LXIII.

IN EVANGELIUM MATTHÆI

CAP. V.

Niſi abundaverit Juſtitia veſtra &c.

Habita Dominica XII. poſt Pentecoſtem in Eccleſia Præpoſiturali Nerviani (a) Diœceſis Mediolanenſis

ANNO MDLXXXIII. XXI. AUGUSTI.



ISRAELITICUS Populus, cùm plurimis ſæpe a Deo & beneficiis affectus, & flagellis ac punitionibus territus eſſet, diris quoque captivitatibus caſtigatus, a Salmanaſar tamdem Rege Aſſyriorum ex terra ſua in Aſſyrios ductus, cùm Dominum non timeret, ita eumdem ſceleribus provocavit, ut *immiſerit in eos Leones, qui interficiebant eos* (b). Quod Rex ille cùm animadvertiſſet, ipſoſque peccare intellexiſſet, quòd ignorarent legitima Dei terræ, Sacerdotem unum, qui ex ipſis fuerat in captivitatem adductus, ad ipſos mitti præcepit; qui cùm veniſſet, docebat eos, quomodo colerent Dominum ſpiritualiter. Dilectiſſimi filii, Iſraëlitæ univerſum genus hominum deſignabant, qui in Paradiſo deliciarum conſtituti, cùm ſerpentem potiùs, quàm Deum audire voluiſſent, in captivitatem tamdem, hoc eſt in hanc lacrymarum vallem, tranſmiſſi, cùm novis adhuc ſceleribus Deum provocare non ceſſarent tum malitiâ, tum ignorantiæ culpâ, tamdem cœleſtis ille Rex Aſſyrio-

(a) Celebris eſt Nerviani Pagus ob inſtitutam ibidem pugnam contra Luchinum Vicecomitem a Leodriſio, & obtentam ſubinde victoriam non ſine miraculo Protectoris noſtri Sancti Ambroſii, cujus ope deletæ ſunt Leodriſii copiæ apud Parabiagum anno MCCCXXXIX. menſe Februarii. Præpoſituræ honore gaudet Eccleſia iſta, & inter Capita Plebium numeratur.

(b) *IV. Reg. XVII. v.* 25.

rum, hoc eſt Beatorum Deus, ad eos non Sacerdotem ſimplicem, ſed Sacerdotum Principem miſit eum, de quo in ſpiritu Propheta prædixerat: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech* (*a*), Chriſtum Jeſum Filium ſuum, quem quidem captivum eſſe voluit, cùm hominem fieri, ac infirmitatibus noſtris, non autem peccatis, ſubjici decrevit. Hic, cùm ad nos deſcendiſſet, docuit omnes, quomodo colerent Dominum. Hunc venturum Sancti Viri, Dei ſpiritu afflati, præviderant. De hoc Oſee prædixerat. *Tempus autem requirendi Dominum, cùm venerit qui docebit vos juſtitiam* (*b*). De hoc item Micheas: *Et erit: In noviſſimo dierum erit mons domus Domini præparatus in vertice montium, & ſublimis ſuper colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis ſuis, & ibimus in ſemitis ejus* (*c*). De eodem iiſdem ferè verbis Iſaias (*d*), & alibi: *Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſraël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via, qua ambulas* (*e*). Hunc etiam ante hos omnes mittendum, Regius Propheta prænoverat, dicens: *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget manſuetos in judicio: docebit mites vias ſuas* (*f*); cujus Doctoris præſtantiam idem probè noſcens, eumdem ſæpe precabatur: *Juſtificationes tuas, Domine, doce me. Bonitatem & diſciplinam & ſcientiam doce me* (*g*), & aliàs: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu* (*h*). O benigniſſimum Doctorem, tam facilè & leniter, tam utilia & neceſſaria docentem! Sed non tantùm Doctor, verùm etiam legislator venit Chriſtus in Mundum; & non ſolùm Evangelicæ lator legis, ſed èt Moſaicæ Interpres; cujus magnitudinem Iſaias prædicaverat, quia *Dominus* ipſe eſſet *judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter: ipſe, qui ſalvaret nos* (*i*). Juxta cujus ſententiam èt Jacobus Apoſtolus de eodem multò poſt ſcripſit: *Unus eſt* enim *legislator, & judex, qui poteſt perdere, & liberare* (*k*). Huic nullus umquam ſimilis extitit, dicente ſanctiſſimo Job: *Ecce Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. Quis poterit ſcrutari vias ejus? aut quis poterit ei dicere: operatus es iniquitatem* (*l*)? Erat innumera bona hic cum lege nobis allaturus, juxta ſanctiſſimi Viri vaticinium,

(*a*) *Pſal. CIX. v.* 4.
(*b*) *Oſee X. v.* 12.
(*c*) *Mich. IV. v.* 1. *& ſeq.*
(*d*) *Iſai. II. v.* 2. *& ſeq.*
(*e*) *Ibid. XLVIII. v.* 17.
(*f*) *Pſ. XXIV. v.* 8. *& ſeq.*
(*g*) *Pſ. CXVIII. v.* 64. *&* 66.
(*h*) *Pſalm. CXLII. v.* 10.
(*i*) *Iſai. XXXIII. v.* 22.
(*k*) *Jac. IV. v.* 12.
(*l*) *Job XXXVI. v.* 22. *& ſeq.*

nium, dicentis: *Benedictionem dabit legislator* (*a*): Quæ tu divino ſplendore illuſtratus agnoſcens, ſanctiſſime David, nil mirum, ſi hujus tantopere deſiderares adventum; ac hiſce verbis Deum precareris: *Conſtitue Domine legislatorem ſuper eos, ut ſciant gentes, quoniam homines ſunt* (*b*). Sed ecce, quia exaudita fuit a Domino oratio tua, nam & Doctorem nobis, & Legislatorem hunc a te adeò expetitum miſit Altiſſimus, cùm *Verbum caro factum eſt* (*c*): & ecce, quia hodie Redemptor noſter Dominus Jeſus in Evangelio, quod paulò ante audiviſtis, utroque & Doctoris & Legiſlatoris fungitur munere; cùm & utilia plurima docet, & legem a Moyſe latam, ſed malè & perperam a Phariſæis intellectam, interpretatur & perficit. Veſtrum erit hodie, filii, ipſius documenta ſuſcipere, & interpretationem excipere, meque ea vobis breviter exponentem audire.

Videns Jeſus turbas, in montem aſcenderat, ex quo, veluti cathedra, præclariſſimam illam doctrinam tradiderat, cui ſubjunxerat, ſe *non veniſſe, ut legem ſolveret, ſed ut adimpleret* (*d*); ac ea, quæ ipſe erat explicaturus, neceſſariò eſſe ab hominibus perficienda. Nunc cum aſſeveratione addit, adeò neceſſarium eſſe hoc legis ita a ſe expoſitæ adimplementum, ejuſque obſervantiam, ut aliàs nulla ſit cœleſte Regnum adipiſcendi ſpes reliqua; inquiens: *Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum* (*e*). Quæ quidem verba, licèt ad Apoſtolos, eorumque ſucceſſores Doctores Evangelicos ſingulariter pertineant, prout etiam ſuperiora, quorum juſtitia comparatur cum juſtitia Phariſæorum, quam vel operabantur, vel docebant; ſpectant tamen etiam ad omnes Chriſtianos, quos meliores eſſe oportet optimis & perfectiſſimis quibuſque Judæorum; nemini quippe dubium eſt, multò plura viris, quàm pueris injungi. At, cùm plures fuerint Mundi ætates, certè Moſaicæ legis tempus pueritiæ, Evangelicæ verò virilis extitit ætas, qua majores hominibus Dominus contulit vires, ac gratiæ ſuæ incrementa. Et hìc mecum ipſe perpendens Mundi augmenta & decrementa, non poſſum id non mirari, quod ſacras Scripturas evolvens comperio. Quando ſpiritualis erat infantia, in Lege nimirum naturæ & deinceps, major erat & prolixior

(*a*) *Pſalm. LXXXIII. v.* 8.
(*b*) *Pſalm. IX. v.* 21.
(*c*) *Joann. I. v.* 14.
(*d*) *Matth. V. v.* 17.
(*e*) *Ibid. v.* 20.

lixior hominum vita, quæ ad centum & plures producebatur annos; cùm verò ſpiritualis vitæ incrementa appropinquare cœperunt, corporalis vita plurimùm eſt diminuta, & *dies annorum noſtrorum* effecti *ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor* (*a*): Quæ quidem in hanc me ſententiam ducunt, ut primùm quidem tempora illa puerilis fuiſſe ætatis, hæc verò virilis & perfectæ crediderim; tum etiam obſervem, creſcente ſpiritu, corporalia minui, & e contra; adeò enim hæc inter ſe pugnant, ut unius complementum, alterius neceſſariò conſequatur defectus. Utraque hæc obſervatio Chriſti Domini verbis recitatis includitur; neceſſarium nempe eſſe, ut nos, qui & viri ſumus ac ætate provecti, & qui majorem ſpiritus ac gratiæ plenitudinem accepimus, juſtitiâ ac ſanctitate pueros illos & debiliores antecedamus. Ideo illis perjuria prohibebantur; nobis quælibet juramenta: Illi amicos & proximos diligere jubebantur; nos etiam inimicos: Illi injuriarum illatarum vindictam poſtulare permittebantur; nos percutientibus in unam maxillam, aliam porrigere præcipimur: Illi litibus & controverſiis vacabant; nos tunicam potiùs ac veſtem adverſario monemur relinquere, quàm cum illo contendere. Et certè meritò; cùm nobis expreſsè a Domino majora fuerint propoſita præmia, quorum comparatione cuncta, quæ agimus, minima exiſtunt. Quis, obſecro fratres, cœleſtis Regni amplitudinem, gloriæ illius immenſitatem, felicitatis æternitatem, beatitudinis cumulum perpendens, ad ardua quæque onera ſubeunda mirum in modum non excitatur, incenditur, inflammatur? Quis, hominum hujus ſeculi pro terrenis conſequendis ſolicitudinem, & laborum tolerantiam memoriâ repetens, ſe ipſum ita non increpat: Eja negligentiſſime hominum, & ignaviſſime; ergo-ne te ab illis vinci patieris & ſuperari? ergo illi pro minimis tot ſuſtinebunt, & tu pro maximis ſumma animi contentione non laborabis? Sed quid laborare dico, cùm ſuaviſſima ſint atque leviſſima quæcumque a nobis requiruntur? cùm non ſoli, ſed una cum Chriſto jugum portemus, qui noſtros in ſe ſuſcipit labores? Jure igitur optimo a nobis expoſcitur, ut

Abundet juſtitia noſtra pluſquàm Scribarum, & Phariſæorum: Neque verò dicitur pluſquam Legis & Prophetarum, ſed *Scribarum, & Phariſæorum*, quia omnis ferè explicatio Legis a Chriſto facta, erat

(*a*) *Pſalm. LXXXIX. v.* 10.

erat *in Lege*, *& Prophetis* (*a*); unde ſe interroganti ipſe reſponderat: *Si vis ad vitam ingredi*, *ſerva mandata* (*b*), Legis nempe & Prophetarum. Ea tamen Scribæ, & Phariſæi non ex Lege intelligebant, ſed ſuo genio ac ſenſui accommodabant; ideoque etiam ſequentibus verbis Legem Dominus recitat, prout ab ipſis exponebatur, qui, Cauponum more aquam vino miſcentium, Legis aſperitatem, ad proprii ſensûs mollitiem declarabant, & ad pravas etiam interpretationes detorquebant. Quibus utinam noſtra etiam hac tempeſtate ſimiles plerique non eſſent, qui, cùm animarum curæ, vel audiendis Confeſſionibus, vel alii hujus generis muneri incumbant, *dicunt bonum malum*, *& malum bonum* (*c*), Deique voluntatem ad humanam inflectunt; ad quos ideo plurimi ſtultè accurrunt dicentes: *Loquimini nobis placentia* (*d*). Sed utrique ſanè pœnas dabunt. Vult ergo Dominus, Phariſæis nos eſſe juſtiores; neque ſimpliciter dicit Hebræis, aut quibuſcumque, ſed juſtis, ac habitis ùt ſanctis: quam enim requirit a nobis abundantiam, jam in illis præſupponit juſtitiam, quam niſi ſuperaverimus, videte, quàm magna nos maneat pœna:

Non intrabitis, inquit, *in Regnum Cœlorum*, qua nulla major potuiſſet infligi, utpote quæ bonorum omnium perpetuam jacturam atque excluſionem continet. Quòd ſi hominibus in hac lacrymarum valle degentibus, adeò dulcis eſt amor terrenæ Patriæ, ut ab illa exulantes illius deſiderium ferre minimè poſſint, ſed ſubſtantias omnes ſuas quandoque diſtrahant ac vendant, ut in patrio ſolo vitam ducere, ac extremum ipſis liceat diem claudere; miſeri & infelices, quantum ſentient angoris atque pœnarum, a tali tantâque Patriâ, tam pulchra, tam amœna, tam ſplendida, tam felici, tam jucunda, tam divite, tam deſiderabili in æternum exulare coacti! Conſolari non poterant ob Patriæ diſtantiam, qui dicebant: *Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus: cùm recordaremur tuî Sion: In ſalicibus in medio ejus, ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum: Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena* (*e*)? O filii! Qui ſedebunt ſuper atra, ſulphurea, ignea, horrenda flumina ſtygis, & Infernalis Babylonis, cœleſtis Jeruſalem

(*a*) *Matth. VII. v.* 12.
(*b*) *Ibid. XIX. v.* 17.
(*c*) *Iſai. V. v.* 20.
(*d*) *Ibid. XXX. v.* 10.
(*e*) *Pſalm. CXXXVI. v.* 1. *& ſeqq.*

ſalem memores, quam culpâ ſuâ perdiderunt, quomodo umquam conſolari poterunt? quantum illis hæc memoria afferet doloris! David, qui eò erat brevì perventurus, modicum tamen illud temporis ſpatium, quo abeſſe cogebatur, ferre non poterat, ſed lamentabatur: *Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar: multum incola fuit anima mea* (*a*); Paulus item Apoſtolus dolens clamabat: *Cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto* (*b*). Quid quæſo illi dicent, qui non brevì, ſed numquam eò pervenient? Magna erit igitur pœna, magnæ gloriæ amiſſio perpetua. Ideo niti debemus, ut *abundet juſtitia noſtra*, juxta Chriſti præceptum; qui, præmiſſa generali quadam præparatione, ad ſingularem deſcendens mandatorum explicationem:

Audiſtis, inquit, *quia dictum eſt antiquis: Non occides: qui autem occiderit, reus erit judicio* (*c*): Ubi præceptum quidem: *non occides*, in Lege fuerat a Domino traditum (*d*); quod autem ſubdit: *Qui occiderit, reus erit judicio*, a Phariſæis, & eorum Majoribus fuerat additum, cùm in Lege nuſquam ſcriptum reperiatur. Quo loco, antiquorum nomine Phariſæorum, Avos & Proavos intelligit, quibus dictum fuerat ab illorum etiam Atavis, & Majoribus; & meritò certè illos appellat *antiquos*, quorum ipſe venerat cæremonias, ritus, ac Legis intelligentias antiquare. Neque verò fruſtra, aut ſine cauſa factum putaveritis, quòd ab hoc præcepto explicationem Legis aggreſſus ſit Dominus, ceteris etiam ad Dei immediatum cultum ſpectantibus, prætermiſſis: adeò fraterna hominum caritas Deo eſt cordi, adeò illi eſt grata proximorum dilectio, ut primo ſtatim loco, damna iis inferri prohibeat. Quod ſi rectè conſideraverimus, maximam ſanè Deo infert injuriam, qui Legem hanc violando hominem necat; nam, præterquamquod is humanæ naturæ eſt hoſtis ſæviſſimus, Deum etiam ipſum e medio tollere nititur, dum ejus imaginem ac ſimilitudinem evertit. Quòd ſi quæ proximis intulimus damna ſive honoris, ſive rei familiaris aut ſubſtantiæ, reſarcire tenemur, ut delictorum veniam aſſequamur; qui vitam fratri ademit, qua nihil eſt dulcius, quomodo reſtituet? Adversùs hunc ſanè omnia clamant humana jura, atque divina; adversùs hunc clamat occiſorum ſanguis de terra, prout juſti Abel ſanguis contra perſi-

(*a*) *Pſalm. CXIX. v. 5. & 6.*
(*b*) *Ad Philipp. I. v. 23.*
(*c*) *Matth. V. v. 21.*
(*d*) *Exod. XX. v. 13., & Deuteron. V. v. 17.*

perfidum Cain clamabat (*a*). Quo quidem clamore nihil horribilius; penetrat enim ſtatim ad Divinæ Majeſtatis aures, & perpetrati facinoris vindictam expoſcit, ac Deum ita commovet, ut de hujuſmodi graviſſimas pœnas ſumat. Et quid turpius audiri, quid fœdius cogitari poteſt, quàm hominum eſſe carnificem, quàm humano ſanguine manus fœdare? Videte, quomodo in occiſores regius David invehebatur, & quàm efficacibus verbis, dicens: *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem* (*b*). *Ad effundendum*, inquit, quia iſti veluti aquam effundunt; qua effuſione elementa cuncta commaculant, & ipſa terra adversùm hos acerbiſſimè expoſtulabit, quam ipſi humano ſanguine inebriarunt. Uſque adeò homicidium deteſtatur Deus in ſanctis literis, ut etiam a beſtiis cæſi hominis pœnam ſe repetiturum dicat (*c*), ac belluam, quæ hominem læſerit, occidi jubeat. Nonne, cùm homo parvus ſit Mundus, & univerſorum Dei operum veluti quoddam breve compendium, univerſa Dei opera evertit, qui hominem nefario auſu e medio tollit? Fuerunt cuncta propter hominem creata, illiuſque ſubjecta imperio, dicente Propheta: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus: oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi* (*d*); quomodo ergo creaturas omnes non lædit, qui in earum Dominum, Principem, ſcopum ac finem, adeò gravem infert injuriam? Ideo inſurgent adversùs hujuſmodi creaturæ omnes in judicio, & clamabunt: Vindica Domine nefandum hujus facinus, quo & te offendit, & opus tuum deſtruxit, & noſtro nos Domino, ac fine nobis a te propoſito privavit. Certè, dilectiſſimi, cùm hujus ſceleris atrocitatem perpendo, ſatis mirari non poſſum, quòd adeò temerarii, audaces, & humanitatis expertes aliqui reperiantur, ut in ſimiles ſibi audeant rebelles manus inferre; & quomodo poſſit in humano corpore tam beſtialis regnare crudelitas, ut quem feræ ipſæ venerantur, cuique earum multæ colla humeroſque ſubjiciunt, ſeſeque ab eo gubernari patiuntur, ipſe præſumat occidere. Et tamen, perhibente etiam Propheta, non modò hæc perpetrant, ſed *veloces* etiam ſunt *pedes eorum ad effundendum ſanguinem*; & ita *veloces*, ut aliqui reperiantur, qui, vel minimâ mercede propoſitâ, in eos etiam manus injiciant, a quibus numquam offenſi fuerint aut irritati; quibus neſcio quas pejores natura produxerit beſtias, cùm iſtæ, licèt

(*a*) *Geneſ. IV. v.* 10.
(*b*) *Pſalm. XIII. v.* 3.
(*c*) *Gen. IX. v.* 5.
(*d*) *Pſalm. VIII. v.* 8.

licèt ſæviſſimæ, tamen non provocatæ, aliquatenus ab inferenda injuria abſtineant.

Horrendum profectò piaculum eſt, Proximum occidere; ſed quantò majus, ſi qui unà cum corpore èt animam occiderint, eum interficientes, qui fortè mortali peccato irretitus, eorum manibus ad inferos truditur! O filii, o filii! Chriſtus Deus vivus tantì fecit animam, ut ſi unica tantùm extitiſſet, pro ea ſola mille mortes ac cruces ſubire paratus fuiſſet, ac totum ſuum ſanguinem profundere; & vos iniquiſſimi proditores eam illi per vim ſubripere audetis, ac de ejus manu rapere? Certè minimè dubium eſt, peccata omnia, licèt graviſſima, accedente verà pœnitentià ac contritione, a Deo remitti. Nec ego id negaverim: ſed aliqua ſunt adeò atrocia, & homines ita irretiunt, ut in perpetuam obſtinationem ac cordis duritiem inducant; qua obſcſſi numquam reſipiſcant, ſed de malo proficiſcentes in malum, tamdem in peccato ſuo, de divina miſericordia diffidentes decedant: cujuſmodi manifeſtè apparet eſſe homicidii ſacrilegium. Videte Cain, qui in fratrem ſævierat, quomodo ad Dei voces concidit vultus ejus, quomodo ſtatim in deſperationis laqueum incidit, ac dixit: *Major eſt iniquitas mea, quàm ut veniam merear. Ecce ejicis me bodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur, qui invenerit me, occidet me* (*a*). Jam in ſe ipſum mortis ferebat ſententiam. Cui tamen dicente Domino: *Nequaquam ita fiet: ſed omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur. Poſuitque Dominus Cain ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum* (*b*); ipſe nihilominus *egreſſus a facie Domini* (o unde egreſſus, a quanto bono elongatus homicidii cauſà! nempe *a facie Domini*) *habitavit;* ubi? *in terra*, in terra maledicta: Et quomodo? *profugus:* licèt a Domino cautionem accepiſſet & promiſſionem, quòd non læderetur a quopiam, *profugus* tamen ſemper vixit, & ubi die permanſerat, nocte non conſiſtebat; ſed huc illucque vagabatur perpetuò, nuſquam inveniens requiem, nec ipſi terræ fidens, de qua clamabat ſanguis fratris ſui. Cùm autem omnium filiorum Adam finis deſcribatur, quem hic finem habuerit, non reperitur; ut firmiſſimè credendum ſit, infeliciſſimè ipſum in deſperationem abiiſſe. O viri ſanguinum, ſi vobis a Deo dici crederetis, ùt dicitur: quid feciſtis, quid feciſtis, fratrem veſtrum occidendo! Mihi vulnus inflixiſtis, me delere cura-

(*a*) *Gen. IV. v.* 13. *& ſeq.* | (*b*) *Ibid. v.* 15.

curaſtis, opus meum deſtruxiſtis, animam, pro qua ego vitam poſui, mihi furati eſtis: quid feciſtis! Irreparabile damnum attuliſtis, animam alterius eò præcipitantes, ubi nulla eſt redemptio. Quomodo ergo mihi reſtituetis? Ergo-ne tantam mihi illatam injuriam patiar? Ego, qui honorem meum nemini me daturum promiſi, hæc a vobis feram? Fruſtra ergo ſanguinem meum in ventum projeci, ut animam, quam vos ipſi manibus veſtris ad Inferos portaſtis, ac ſub Diaboli inimici mei acerrimi pedibus collocaſtis, redimerem; quæ ſi diutiùs vixiſſet, peccata ſua deflere potuiſſet, & mea eſſe? Sed numquid èt Angeli tacebunt, qui ſedes ſuas, quas tantopere optant impleri, per vos vident vacuas relinqui? Cavete ab his, obſecro, filii. Quòd ſi quis, Diabolo ſuadente, tanto ſe ſcelere commaculavit, numquam ceſſet in poſterum flere, in ſe aſperè ſævire; lætitiis omnibus, jocis, cantibus, riſibus ſibi in perpetuum putet interdictum. Occidiſti hominem, & adhuc ridebis infelix? Tu, qui creaturas omnes, & Deum ipſum, ſi fieri poſſet, quodammodo lugere feciſti ac contriſtaſti, poteris jocari? Non eſt certè, ùt dixi, peccatum hoc irremiſſibile, ne quod Cain impiè dixit, èt nos ſentire videamur, nempe majorem eſſe poſſe cujuſquam iniquitatem, quàm ut veniam mereatur; ſed certè longiſſimâ, maximâ, graviſſimâ, perpetuâ pœnitentiâ eſt expiandum, continuis lacrymis abſtergendum. Quin etiam conſulerem, ac neceſſarium eſſe exiſtimarem, ut qui aliquem occîdit (quod Deus ab omnibus filiis meis avertat) etiam ſi mille annos ſupervivat, continuò èt ipſe pro occiſi anima oret, in fletu & planctu juges preces effundat, ac ſanctiſſima Sacrificia curet offerri. Adhuc etiam, ſi occiſus ille pauperes filios ac filias, & uxorem reliquerit, huic ego injungendum cenſerem, ut illis infeliciſſimis continuò victum ſubminiſtraret, eoſque ſibi in filios & filias aſſumeret. Et mihi credite, quia non gravis eſſet hæc pœna: imo etiam leviſſima eſſet reputanda; ne unà cum eo, quem occiderit, ejus filios quoque ac filias, & uxorem occidiſſe videretur, quibus occiſus victum parabat, cujuſque morte hi omnes fame pereunt, & mendici ſunt effecti. Sed neminem occidimus, dicitis; Legem ergo implevimus. Deo gratias agite, qui vos a tam horrendo monſtro liberavit; ſed nondum ſatis. Non hìc eſt conſiſtendum; non hoc Evangelicæ perfectionis ſublimitati ſufficit; non hoc caviſſe putandum eſt ſatis: ſed audite, quid adjicit Dominus:

Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio (*a*). Ac, ut omni ſtudio hoc Domini præceptum impleatis, primùm præcipientis perſonam attendite, tum etiam tranſgredientis pœnam. Quis eſt qui præcipit? Num homo aliquis, num Deus, per Prophetas dicentes: *Audite verbum Domini: hæc dicit Dominus?* Minimè ſanè; ſed ipſe met Dominus: Ille ipſe, qui Cœlum creavit ac terram, qui tam terribilis toties in veteri Lege fuit criminum ultor, cujus iræ non eſt qui poſſit reſiſtere: Ille, inquam, qui *dixit*, & *facta ſunt* (*b*); ille ipſe, qui Moyſi Legem dedit in Monte; ille vobis loquitur, & dicit: *Ego autem dico vobis*. *Ego*, cui propriè ſubſtantivum hoc pronomen competit; *Ego*, qui ſum, qui ſum; *Ego*, qui in me ſolus, & per me conſiſto, nullius egens auxilio; *Ego*, qui ceteris eſſe tribuo, & eatenus omnes exiſtunt, quatenus ad meì naturam accedunt; *Ego*, qui quidquid agitis, dicitis, & cogitatis, manifeſtiſſimè video; *Ego*, cui aperta ſunt omnia hominum corda; *Ego*, qui venturus ſum judicare vivos & mortuos, & pro meritis cuique vel infinitum præmium, vel æternam pœnam retribuere. *Ego* ipſe, & non alius: *dico* per me metipſum, cujus dicta numquam ſuum non ſortientur effectum, de cujus vocibus nec minimum jota tranſibit; cujus verba numquam præteribunt, quamvis Cœlum & terra tranſibunt (*c*). Et quibus *dico? vobis*, quos cùm ipſe ex nihilo creaverim, in ictu oculi, ſi velim, poſſum redigere in nihilum: *vobis*, quos, licèt tamdiu ſuſtineo, non tamen inultos abire permittam: *vobis*, qui quidquid eſtis & habetis, mihi uni debetis: *vobis*, quibus ſingula verba mea eſſe deberent cordi inſculpta: *vobis*, inquam, quos perfectiores eſſe oportet ceteris omnibus hominibus, *dico*,

Quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. In primis quidem non omnis hìc ira prohibetur; nam ſi ira rationem ſequatur quaſi ancilla, non verò præcedat; vel ùt Ariſtoteles ſcripſit, ſit miles non dux, exequendo non dictando ſententias, tunc ex ea ſanè nedum mala non proveniunt, ſed multa etiam bona proficiſcuntur: Unde namque religio ſancta, divini honoris zelus, peccatorum punitio, juſtitiæ obſervantia, ac innumera bona procedunt, niſi ex hujuſmodi ira, quæ non in hominem tendit, ſed in hominis vitium? Ideo Dominus fratri iraſci prohibuit, ut ſigni-

(*a*) *Matth. V. v.* 22.
(*b*) *Pſalm. CXLVIII. v.* 4.
(*c*) *Matth. V. v.* 18., & *XXIV. v.* 35.

ſignificaretur, iram vetari, quæ pugnat cum dilectione fraterna; nam & peccata Dominus odit, & Sancti ipſius ſervi vitia in peccatoribus ſunt perſecuti. Sic David *In matutino interficiebat omnes peccatores terræ* (*a*); *Et iniquos odio habuit*, ideo *dilexit legem Domini* (*b*). Hac irâ ſanctâ percitus Elias falſos Prophetas, & Baalim Sacerdotes omnes occidit (*c*). Ideo Petrus Ananiam, & Saphiram, Spiritui Sancto mentitos, morte mulctavit (*d*). Hoc denique zelo Chriſtus indignatus menſas nummulariorum, & cathedras ementium ac vendentium evertit, flagello de funiculis confecto eos, qui Templum profanabant, ejiciens (*e*). Juſtâ demum hac irâ Superioribus & Prælatis, ac iis, quibus in impios animadvertendi jus competit, licet peccantes corrigere: in illis enim non minus eſt malum nimia indulgentia, quàm in aliis non parva iracundia.

Sed neque hìc primos iracundiæ motus damnare Dominus intendit, qui in poteſtate noſtra non ſunt; nam cùm quidpiam eatenus peccatum ſit, quatenus eſt voluntarium, ubi non accedit voluntatis conſenſus, nullum poteſt eſſe peccatum. Ceterùm quælibet ira peccatum eſt, etiam ſi ex juxta cauſa quis excandeſcat in fratrem, a quo ſe læſum arbitretur; & ei animo ſolùm ſuccenſeat, nullam exteriùs verbo aut facto inferens illi injuriam; ideoque dicitur: *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo*, ideſt in corde & animo, *reus erit judicio*, hoc eſt in judicium ire compelletur, ac hujuſmodi ſolius etiam iracundiæ, licèt animo dumtaxat conceptæ, reddere rationem; cùm èt de iis, quæ leviſſima homines exiſtimant, exactiſſimam rationem ſint reddituri. Erat profectò, filii, prudentiſſimus Medicus Chriſtus, idque præcipere ſemper ſtudebat, quo morborum amputaret radices, ac tolleret cauſas. Eſt quippe hoc iræ peccatum adeò pernicioſè fœcundum, ut cùm paulatim in homines irrepſerit, debilibus principiis graviſſimos adjiciat eventus; nam cùm quis intra ſe iraſci conſueverit, paulatim etiam ſignis exterioribus indignationem animi oſtendit, quam poſtmodum contumelioſa verba conſequuntur; & ex his tamdem ad injurias & vulnera, atque homicidia devenitur: & tunc homines judicio penè privat & intellectu, ac humanitate depoſita, feris ipſis reddit ſimillimos.

De

(*a*) *Pſalm. C. v.* 8.
(*b*) *Pſalm. CXVIII. v.* 113.
(*c*) *III. Reg. XVIII. v.* 40.
(*d*) *Actor. V. v.* 5. *& ſeqq.*
(*e*) *Marc. XI. v.* 15.

De levibus ergò etiam iræ principiis judicium ſubire neceſſe erit; adeòque ſunt maximè vitanda; qui enim *timet Deum nihil negligit* (*a*), cùm ex venialibus erratis facillimus ſit in lethalia peccata prolapſus. Certè qui terrenam hanc vitam diligit, non ſolùm mortem horret, & quatenus poteſt, evitat, ſed infirmitates etiam ac morbos omnes effugere ſatagit, quibus ad mortem quodammodo tenditur: Sic licèt capitalia tantùm peccata mortem afferant animæ, ſunt tamen ejuſdem infirmitates, venialia; quæ qui contemnit, facilè moritur. Et quis illos excuſet, qui ea cavere nolunt, quia venialia tantùm eſſe dictitant, adeòque deſpiciunt? Audiant hi Hieronymum ſanctiſſimum: Sanè neſcio, an poſſimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur; eſtque prudentiſſimus, qui conſiderat non tam quod juſſum ſit, quàm illum, qui juſſerit; nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitat dignitatem. Certè licèt gravibus injuriis capitalis ſit pœna propoſita, ſunt etiam leviores vitandæ, eò quòd Deum offendant; quo ſolo nomine èt vitam deberemus exponere, ne vèl minimùm tantum Deum offenderemus, cujus tanti faciendus eſt amor. Veniale quidem delictum non extinguit ſpiritum Dei, ſed contriſtat; non mentem interimit, ſed ad interitum præparat; non aufert caritatem, ſed ejus tollit fervorem; animam minus idoneam reddit ad claritatem Solis Juſtitiæ ſplendidiorem in ſe recipiendam, quæ eſt tamquam ſpeculum, Solis radiis objectum: quod, ſi luto obducatur, ideſt mortali peccato, radios nullatenus poteſt excipere; ſi verò pulvere, ideſt veniali, fuſcatur quodammodo, neque clariores radios excipit. Et hoc certè ab hujuſmodi nos valde deberet terrere; quotquot enim in graviſſima ſcelera proruperunt, levioribus culpis ad ea ſibi viam inſtruxerunt. Videtur-ne vobis res parva, o filii, caritatis fervorem amittere, quo, veluti aurâ ſuaviſſimâ, vitæ veſtræ navicula in portum ſalutis facillimè poſſit appellere? Imo etiam Purgatoriis ignibus venialia erunt delenda, niſi in hoc ſeculo ea perfectè abſterſerimus: quòd ſi nec extremam digiti partem Mundi hujus flammis ſuſtinetis apponere, quæ tamen igni illi comparatæ, igni picto ſimiles perhibentur; quid erit, pro his multos annos, graviſſimis illis & ardentiſſimis ignibus cruciari? Ira ergo quævis, licèt leviſſima & occulta, fugienda eſt, de qua *rei judicio* erimus conſtituendi.

Qui

(*a*) *Eccl. VII. v. 19.*

Qui autem dixerit fratri ſuo, Raca: reus erit Concilio (*a*). Secundum jam primo graviorem iræ gradum ſubjicit Legiſlator Chriſtus; illius nempe, qui quod animo conceperat, jam ſignis & levioribus verbis, quæ tamen proximum pungant, profert; hoc enim vox illa, ſive Hebraica ſit, ſive Syriaca, ſive Chaldæa, ſignificat: nam alii interjectionem quamdam eſſe ajunt *Raca*, nihil ſignificantem, ſed animi dumtaxat indignationem præferentem; alii verò pauperem, aut nudum, aut inopem connotari volunt: eam qui profert, jam reus erit Concilio, hoc eſt majori pœna, quàm prior mulctabitur; ideoque ante gravius ſtare cogetur Tribunal: cùm Concilium pluribus, Judicium verò uni plerumque committatur; ac in iſto quidem faciliùs ad ſe defendendum Rei admittantur, quàm in Concilio.

Tertiò demum, *qui dixerit fratri ſuo, fatue: reus erit gehennæ ignis* (*b*). Jam enim de eo, qui injuriâ & contumeliâ proximum affecerit, non amplius agetur in Judicio, an peccaverit, neque in Concilio, qua ſit pœna plectendus; ſed æternis Inferni ignibus ſubjicietur. Quibus quidem verbis triplex iræ gradus oſtenditur, ex triplici reatu; eam ſcilicet animo tantùm concipientis; tum levioribus ſignis aut verbis eamdem oſtendentis; ac demum in injurias & convicia prorumpentis. Videant ergo horum temporum homines, num neminem occidiſſe ſit ſatis, cùm injurioſis verbis æternus ignis proponatur. O quàm atrox, filii, ſupplicium erit in Inferno, ubi tam ſævâ duplici pœnâ, juſto Dei judicio, ſontes punientur! nam qui peccando a Deo faciem averterint, Dei numquam in poſterum faciem videbunt: Quod tam grave erit tormentum, ut, ſi damnatis ſpes aliqua eſſet illum ſemel videndi, libenter ſæviſſimos illos, ac multò etiam majores ſuſtinerent cruciatus, in quibus exiſtere ſummum eſſet ſolatium, dummodo Deum videre poſſent. Ipſe Deus eſt, qui de ſe dixit: *Oſtendam omne bonum tibi* (*c*); ipſe, in cujus agnitione eſt omnis felicitas: & hunc numquam videbunt, quia quando videre potuerunt & debuerunt, aſpicere neglexerunt, & faciem ab eo averterunt; ideo & illis tunc ipſe pares vices rependet, & faciem ſuam ab illis avertet. Qui verò etiam peccando ad creaturas ſe converterunt, ab iiſdem omnibus graviſſimè punientur; & ideò quæcumque excogitari poſſunt horrenda ac gravia,

(*a*) *Matth. V. v.* 22.
(*b*) *Ibidem.*
(*c*) *Exod. XXXIII. v.* 19.

via, illic patientur; *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium* (*a*), ibi intolerabilis fœtor, ibi perpetua fames, ibi ardentiſſima ſitis; ibi perpetuæ febres, continuus capitis dolor, ventris cruciatus, membrorum omnium corporis languores. Videant nunc qui capitis dolorem ferre non poſſunt, quid tunc ſint facturi. Hic ſi unum membrum dolet, cetera ſaltem non torquentur; quòd ſi cuncta etiam doleant, dolor tamen aliquando minuitur & ceſſat; quòd ſi numquam ceſſat, morte ſaltem concluditur. At ibi, uno & eodem tempore in cunctis miſeri cruciabuntur, & ſemper; numquam dolor ceſſabit, nec moriendi ulla ſpes erit. O qualis vita mortalis! o qualis mors vitalis! O infeliciſſimus ſtatus, qui & a morte dolorem atque horrorem, & a vita durationem accipiet; a neutra autem conſolationem ullam! Sed etiam ardentiſſimus ignis inextinguibilis corpora uret, & animas; nec quomodo animas ſpirituales poſſit torquere, hìc curioſè quæramus, cùm ſatis nobis ſit, Fide id in primis eſſe tenendum, ad quod credendum èt Domini verbis compellimur, qui ſe damnatis dicturum pollicitus eſt: *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus* (*b*). Quòd ſi Angelis, qui ſpiritus ſunt, paratus eſt, erit etiam animabus. O ſi pœnarum gravitatem ſciretis, quomodo peccata omnia fugeretis, & toto vitæ tempore eadem lugeretis? Quòd ſi firmiſſimâ fide & Infernum eſſe, & in eo tot tormentis, pœnis, cruciatibus animas puniri creditis; quæ eſt iſta ſtultitia, quæ durities, quæ cæcitas, hæc non timere, hæc non fugere, hæc ultro appetere? Obſecro vos, dilectiſſimi filii, quando nec Dei vos amor, nec præmii cœleſtis amplitudo a peccatis retrahunt; retrahant ſaltem veſtrî amor, pœnarum Inferni atrocitas, ignis illius inextinguibilis ardor, ac mentem vitam & mores mutare compellant, ut veteri homine depoſito, novum, qui ſecundùm Chriſtum eſt, induatis.

Sed jam peccavimus Domine, jam plurimi ex his filiis meis in proximos ſuos injurioſi fuerunt, jam illos contumeliis affecerunt; numquid ergo deſperandum eſt ipſis? numquid incurabilis morbus eſt, aut inſanabilis plaga? Minimè, filii; ſed ecce quia medicinam vobis affero opportunam, ac ſanitati recuperandæ idoneam. *Si ergo offers munus tuum ad Altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſùm te: relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres*

(*a*) *Matth. VIII. v.* 12. | (*b*) *Ibid. XXV. v.* 41.

offeres munus tuum (*a*). Qui ergo injuriam intulit, ſatisfacere debet; qui honorem læſit, reſarcire; prout qui ſubſtantiam abſtulit, reſtituere: & adeò neceſſaria eſt hæc reſtitutio, ut ſine eâ nec ſacrificia, nec alia ulla bona opera Deo ſint grata. Sed numquid non Domine Sacrificium, quod offertur, ad tuî præcipuum honorem offertur; hæc verò ſatisfactio ad proximum ſpectat? numquid tu hominibus inferior exiſtis? Et quæ noſtra hæc eſſet inurbanitas, ut te hominibus primum locum cedere pateremur? Angeli miniſtri tui ſanctiſſimi ante Altare aſtant, ut tibi offerant ſacrificia noſtra; expectabunt ergo ipſi, & (quod plus eſt) tu, quamdiu qui injuriam intulit, offenſum adeat, eique ſatisfaciat, & offenſæ veniam ab illo imploret? Imo verò expectabimus omnes; & ego quidem gratiæ meæ menſuram a fraterna gratia pendere ſtatuo, ac meî amorem a proximi amore, cui illatam injuriam in primis mihi illatam accipio, cùm mea in eodem lædatur imago. Reges terræ & Imperatores, in eos, qui eorum ſtatuas, aut uxorum ſuarum, aut aliorum, qui apud ipſos favore pollebant, everterint, ſæviſſima animadverſione procedunt; & vivæ imagini ac ſimilitudini meæ, quam ego mihi conſtitui, inuſtam offenſam, mihi inuſtam non arbitrabor? Sed non modò ſimilitudinem meam percuſſit, qui proximum ſuum læſit; ſed verba mea contempſit, ſed me irritavit. Siquidem ego hominem nudum ac inermem producens, ab aliis animalibus tutum effeci, ab hominis verò ſævitia eum cautum reddidi, lege lata: *non occides* (*b*); tu verò, qui hujuſmodi hominem offendiſti, cautionem, quam ipſi præſtiteram, irritam feciſti. Sed quid plura? Me ipſum verberaſti, cùm membro meo vim intuliſti. Nonne mea membra ſunt homines, quorum ego carnem aſſumpſi, ac ex quorum ego ſemine naſci dignatus ſum? Vide ergo, quàm grave ſit, quod tu leve exiſtimabas. Erravimus quidem Domine, jam id manifeſtè cognoſcimus, & fatemur; quid ergo mirum, ſi, reliquis omnibus omiſſis, nos injuriâ affectis ſatisfacere præcipis, cùm illis ſatisfacientes in tuî quoque gratiam redeamus? Quòd ſi divina, quantò magis humana & ſecularia omnia negotia nobis erunt intermittenda, ut fratribus læſis reconciliemur; quod omnibus etiam ſpiritualibus ſacrificiis divinarum laudum, precum, atque bonorum operum eſt præmittendum, Sanctiſſimæ verò in primis Euchariſtiæ, quæ pacis,

(*a*) *Matth. V. v.* 23. *&* 24.
(*b*) *Exod. XX. v.* 13.

cis, conjunctionis, & caritatis eſt Sacramentum : unde etiam communionis atque ſynaxis nomen ſortitur, ad quam qui hac debita præparatione minimè præmiſsâ accederet, non modò non aſpiceretur a Domino; verùm etiam *judicium ſibi manducaret, & biberet* (*a*)? Ecce ergo, benigniſſime Domine, quia ſatisfacere parati ſumus, ac fratrum noſtrorum pedibus obvolvi, & injuriarum veniam implorare. Jam cum illis reconciliari ab iiſdem tantùm pendet: Quid ergo, ſi nobis remittere noluerint, aut nos in gratiam accipere; numquid ſacrificium noſtrum ac munus ideo non aſpicies? Imo verò aſpiciam (ait Dominus) cùm vos pro viribus veſtris, quod in vobis fuerit, præſtiteritis; dum enim præcipio reconciliationem, non minus vobis ſatisfactionem, quàm illis remiſſionem impono; ne eorum culpâ munus mihi non offeratur, aut meo ipſe ſacrificio defraudatus remaneam.

Verùm ad vos jam, o duri & obſtinati corde; ad vos, o lapides, o ferrea, o adamantina corda, mea convertatur oratio. Injuriam, dicitis, nobis hic intulit, qua non modicum nos læſi fuimus. Sed non vos ejus injuria, verùm ira veſtra illum læſit; frequenter enim fit, ut cùm eadem convicia auditis ab amicis jocantibus, aut facetè ludentibus, aut a pueris parvulis, non ſolùm nullam patiamini moleſtiam, neque incrudeſcatis, ſed rideatis etiam atque exhilaremini, eò quòd illa non audieritis animo aut affectu corrupto, neque mente irâ præoccupata. Quamobrem ſi conceptam in hoſtes extinxeritis iram, ſi odium ejeceritis, nihil eorum, quæ dicuntur, vos lædere poterit. Infirmi eſt ac debilis animi, injuriis offendi ac verbis; generoſi namque canes ſecuri ac tuti per medios catulorum latratus incedunt: puſilli hominis eſt & miſeri repetere mordentem, ùt mures & formicæ, ad quas ſi manum admoveris, ora convertunt imbecilla; ſed lædi putant, ſi tanguntur. Quid eſt, obſecro, quod vos ad remittendas promptiſſimo animo quaſvis injurias non debeat impellere? Conſiderate imprimis, quis ſit offenſus; certè vos ipſos invenietis. Et quid, obſecro, vobis deberi putatis, præter injuriam? An vos honorari a ceteris vultis? Et hoc execranda ſuperbia eſt atque temeritas, & intolerabile furtum, cùm *ſoli Deo honor* debeatur *& gloria* (*b*); nec niſi virtus ſit in honore habenda, qua ſi vos vacuos agnoveritis, ùt agnoſcere debetis, ad hoc ut juſtificemini, honore etiam vos indignos judi-

(*a*) *I. ad Corinth. XI. v.* 29. | (*b*) *I. ad Timoth. I. v.* 17.

judicabitis. Sed, quis injuriam intulerit, perpendite: Fuit, dicitis, viliſſimus homo, temerarius; quem ego nullatenus provocavi, qui etiam (quo nil durius potuit contingere) amicus erat, multis a me affectus beneficiis & honoribus inſignitus. Sed eſto hæc omnia vera ſint; nonne, o indurato corde, frater eſt tuus, velis, nolis? Nonne ejuſdem patris filius, ac ejuſdem hæreditatis, cujus tu, particeps creatus? Nonne ambo ejuſdem corporis membra eſtis? At quis umquam hujuſmodi monſtrum vidit, ut membrum unum alterius quærat deſtructionem, a quo fortè involuntariò læſum extiterit? Eſt quiſpiam debilibus oculis non perfectè videns; hic cadit in foveam, quam neſciebat, & capite læditur: num ideo oculos eruet, aut ab ipſis vindictam exiget? Sumus omnes Chriſti membra; commembra noſtra, ùt ita dicam, injurià nos provocarunt, oculi nos in foveam ire permiſerunt; erunt-ne ideo effodiendi? Sed èt hoc ipſum credens, quòd a fratre ſis læſus, in ipſis erras principiis; ille enim Dei fuit pro te corrigendo inſtrumentum. Quis non ſtultus cenſeatur, qui in ſecurem aut baculum, quo fuerit percuſſus, inſultet? Injuriam paſſus es; ſed a quo? Certè a Deo, qui homine illo uſus eſt, veluti medio; de eo ergo vindictam ſume; ille tibi det pœnas, ſi vales. Non ſic profectò ſanctiſſimi Viri, cœleſtis philoſophiæ Magiſtri docuerunt. Intuere Job, a Sabæis hominibus & Chaldæis, ac ab ipſo Dæmone graviſſimè læſum, filios ei occiſos, omnem ablatam ſubſtantiam, graviſſimam inflictam infirmitatem; numquid eum illis exprobrantem umquam audiviſti? Minimè profectò, ſed tantùm dicentem: *Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus* (a)? *Dominus dedit, Dominus abſtulit* (b). Expende, obſecro, quomodo ſanctiſſimus David, vir ſecundùm cor Dei, & Rex ſi humanæ potentiæ dignitatem attendas, a viliſſimo homine injurias exceperit, quem ictu oculi in minutiſſima concìdi fruſta mandare potuiſſet: *Venit Rex David uſque ad Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei filius Gera, procedebatque egrediens, & maledicebat, mittebatque lapides contra David, & contra univerſos ſervos Regis David: omnis autem populus, & univerſi bellatores, a dextro, & a ſiniſtro latere Regis incedebant. Ita autem loquebatur Semei, cùm malediceret Regi: Egredere, egredere vir ſanguinum, & vir Belial. Reddidit tibi Dominus univerſum ſanguinem domus Saul: quoniam invaſiſti Regnum pro eo,*

(a) *Job II. v.* 10.

(b) *Ibid. I. v.* 21.

eo ; & dedit Dominus Regnum in manu Abſalom filii tui : & ecce premunt te mala tua , quoniam vir ſanguinum es (*a*) . Conſiderate , obſecro, injuriæ gravitatem; hic viliſſimus Regem *virum ſanguinum* appellabat, idque pluries; tum etiam *virum Belial*; addebat eſſe Tyrannum, quòd ſibi Saulis Regnum uſurpaſſet , afflictiones præſentes commemorabat, filii perſecutiones, & tam multa. Sed animadvertite Davidis patientiam , hæc omnia a Deo accipientis : Ille viliſſimus homo erat, hic Rex; ille ſolus, hic exercitu & a dextris, & a ſiniſtris ſtipatus; ictu oculi illum devorare potuiſſet; ad vindictam non deerat qui illum hortaretur, nam Abiſai filius Sarviæ ad Regem converſus: *Quare*, inquit, *maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam , & amputabo caput ejus*. Cui Rex quid reſponderit, audite : *Quid mihi, & vobis eſt, filii Sarviæ? dimittite eum, ut maledicat : Dominus enim præcepit ei, ut malediceret David: & quis eſt qui audeat dicere, quare ſic fecerit* (*b*)? Tum ad Abiſai , & ad univerſos ſervos ſuos converſus : *Ecce*, ait, *filius meus, qui egreſſus eſt de utero meo, quærit animam meam : quantò magis hic filius Jemini? Dimittite eum , ut maledicat juxta præceptum Domini : Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam , & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna* (*c*).

Veſtrâ, & offendentis perſonâ conſideratâ , ipſam modò injuriam diſcutite : Certè eam nedum moleſtam, ſed utiliſſimam vobis eſſe comperietis, ac fructus innumeros afferentem ; nam & vos Deo ſimiles efficit, qui ſolem ſuum ſuper bonos oriri facit, & malos; & veluti aurum vos ſplendidiſſimos reddit , & peccatorum veſtrorum vobis veniam implorat, juxta Domini promiſſa dicentis : *Dimittite, & dimittemini* (*d*) : *Quòd ſi non dimiſeritis fratribus veſtris de cordibus veſtris , nec Pater veſter , qui in Cœlis eſt , dimittet vobis peccata veſtra* (*e*). Sed quid ego tot rationibus, & tam multis verbis, Chriſtianos homines ad remittendas ex corde injurias omnes hortor? Solus ipſe Chriſtus vobis ſit ſtimulus, ſolum Chriſtianorum nomen ad id vos impellat. Quis in Chriſtum oculos intendens, ſtatim in inimici ſui collum non cadat , eum non oſculetur , ac flens præveniat , & ultro veniam concedat , ac plurimis beneficiis cumulare contendat? Erat Chriſtus Dei Filius, Deus verus ; Hebræum populum, non in lege veteri tantùm, in qua omnia illi fuerant cum Patre ac Spiritu Sancto communia, ſed et in vita ſua hac temporali, innumeris cumu-

(*a*) *II. Reg. XVI. v.* 5. *& ſeqq.*
(*b*) *Ibid. v.* 9. *&* 10.
(*c*) *Ibid. v.* 11. *&* 12.
(*d*) *Luc. VI. v.* 37.
(*e*) *Matth. XVIII. v.* 35., *& Marci XI. v.* 26.

mulaverat muneribus, tot eorum infirmos curaverat, eorum turbas paverat, eorum ſimplices docuerat, eorum mortuos ſuſcitaverat, pro eis diu noctuque laboraverat, ad eos ſolos quærendos ſe miſſum eſſe dicebat: Et tamen modò eum Samaritanum, quandoque publicanorum & peccatorum amicum, modò Fabri & Mariæ filium in contemptum, modò etiam dæmoniacum appellabant; & his minimè contenti, honore, amicis, diſcipulis, veſtibus, ipſa demum illum vita ſpoliarunt. O quàm graves injuriæ, quàm lacrymabilia damna! Verumtamen audite vindictam: In Cruce pendens cum clamore valido orabat: *Pater dimitte illis: non enim ſciunt, quid faciunt* (*a*). Quid ergo miſer moraris? Cur non omnes ſtatim libentiſſimè injurias remittis? *Homo homini reſervabis iram* (*b*); & pro te Deum exorabis?

Sed ecce, Domine, adſunt filii mei; adſum ét ego cum ipſis. Intulimus omnes ſæpe fratribus noſtris injurias aliquas, & quod pejus eſt, etiam tibi; fuimus quandoque ab aliquibus etiam provocati. Diſplicet quod fecimus; parati ſumus omnino ſatisfacere. Ab iis omnibus, qui ſe a nobis ſenſerint læſos, veniam petimus, eorum etiam pedibus obvolvimur; ſed ét ſi qui in nos fuerunt contumelioſi, verbo aut facto nos aliqua ex parte provocantes, eis tuî gratiâ nos ex corde dimittimus. Et ecce, quia reconciliati ad Altare tuum redimus, munus noſtrum oblaturi; voluntatem noſtram, qua nihil nobis eſt carius, immolaturi; cor noſtrum, quo tibi nihil acceptius, ſacrificaturi. Suſcipe Domine de ſolio ſancto tuo ſacrificium noſtrum; reſpice benigno miſericordiæ tuæ oculo munera noſtra, quæ qualiacumque illa ſint, tua tamen nunc & ſemper eſſe decernimus. Nos denique totos tibi reddimus, qui opera manuum tuarum ſumus, qui nuſquam ſecuriores eſſe poſſumus, quàm in manibus tuis. Ne ergo majeſtas tua dedignetur viliſſima hæc munera noſtra, quando de paupertate noſtra, quod poſſumus, licèt exiguum, prompto tamen animo offerimus; quia ſi illud acceperis, feliciſſimos nos fore non ignoramus, nam tuâ hic gratiâ locupletatos, in Cœli tabernacula ampliſſima nos transferes qui vivis & regnas benedictus in ſecula. Amen.

HO-

(*a*) *Luc. XXIII. v.* 34. | (*b*) *Eccleſiaſtici XXVIII. v.* 3.

HOMILIA LXIV.

IN EVANGELIUM MATTHÆI

CAP. V.

Niſi abundaverit Juſtitia veſtra &c.

Habita Dominica XII. poſt Pentecoſtem in Eccleſia Præpoſiturali Nerviani Diœceſis Mediolanenſis.

ANNO MDLXXXIII. XXI. AUGUSTI.

OMNES homines, dilectiſſimi filii, naturæ quodam inſtinctu bonis abundare deſiderant; quod ùt aſſequantur, nihil eſt quod facilè & lubenti animo non moliantur, etiam ſi arduum in ſe ac laborioſum exiſtat. Agricola toto anni tempore laborat, dies noctesque deſudat, terram rumpit, verſat, herbis atque lapidibus purgat, ſæpiſſime eamdem arando diſcindit; tum in eam ſemina projicit, vineas potat, circa eas fodit, & mille alia exercet, quibus nec die quieſcit nec nocte: Et cur hæc omnia, niſi ut copioſos terra proferat fructus? Strenuus atque ſolicitus mercator maria ſulcat, longiſſimas peragrat regiones, montium culmina ſuperat, nec æſtum metuit nec gelu, mille ſe exponit periculis, ut opibus abundet. Quid te, laborioſe miles, mittit in pugnam? quid, ut tormentorum ictus ac enſium cuſpides, maximis te vitæ periculis exponens, minimè timeas, efficit, niſi diripiendæ Civitatis ac ſpes opima ſpolia referendi, quibus affluas in poſterum? Providus Paterfamilias, ut divites relinquat filios ſuos, & neceſſaria ſibi quandoque ſubtrahit, & ab iis, quibus ipſe uti commodè poſſet, abſtinet, ut filii ſui abundent. Verùm quod pejus etiam eſt, hoc affluentiæ deſiderium quàm multos in æternæ præcipitat damnationis interitum! Nam ideo èt ruſtici dies Feſtos violant, iiſque ſer-

ſervilia opera exercent, aliena quoque furantur; hoc mercatores ad mille illicitos exercendos contractus, ac fœnora impellit; ob id milites per vim etiam aliena rapiunt, & cum re familiari, vitam etiam ipſam plurimis adimunt; Patres denique familias de terrenis plus æquo ſoliciti, cœleſtia negligunt, ac filios ſuos terrâ abundantes, ſpiritu inopes relinquunt: Adeò magna eſt, & a natura hominibus omnibus inſita divitiarum cupido. Hoc cœleſtis Pater Deus animadvertens, humani generis miſertus, Filium ſuum nobis tradidit vitæ magiſtrum, qui *nos utilia doceret* (*a*). Is hodie veram docuit abundantiam, cujus nos inhærentes verbis atque præceptis, hodierno Evangelio comprehenſis, in primis quibus abundare debeamus, tum quàm inopes ſimus & pauperes, paucis proſequemur; ut ſolidæ & veræ in nobis excitetur abundantiæ deſiderium.

Verùm enim verò hinc fluit omnis calamitatum origo, quòd imprudentes homines, quæ ſint ipſis appetenda, non ſciant, quorumve abundantiâ, eorum poſſint mentes animique repleri. Nam alii quidem frugum terræ affluentiam ex corde exoptant, Evangelico illi avaro *Diviti* ſimiles, *cujus ager uberes fructus attulit* (*b*): Harum tamen copia non modò quietem non affert, ſed èt maximam ſolicitudinem parit; hinc eſt, quòd ille, cùm his omnibus abundaret, anxius tamen intra ſe cogitabat: *Quid faciam* (*c*)? Inſuper, præter vehementem quam pariunt animi perturbationem, ſunt inſtabiles atque fallaces; nam èt illi ſecum ita cogitanti reſpondit Dominus: *Stulte, hac nocte repetent animam tuam a te: quæ autem paraſti cujus erunt* (*d*)? Alii opibus cupiunt abundare; qua cupiditate nihil ſceleſtius, utpote quæ malorum omnium eſt radix: *Qui enim volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli* (*e*); quinimo ab eadem ſeducti plurimi *a Fide* quoque *erraverunt* (*f*), innumeris ſe erroribus immiſcentes; cùm, ut quod tantopere expetunt aſſequantur, omnia negligunt, & ne Chriſti, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ vocibus & objurgationibus impediantur, falſa ſibi ipſis dogmata plerumque confingunt, ac quæ præcipiuntur, minimè eſſe amplectenda decernunt. Miſeri, quos tantùm occupat divitiarum deſiderium; quibus adeò caræ ſunt ſpinæ, ut inſenſibiles redditi, prava vota ſua ſequentes, dæmonis non pungantur aculeis! Nonnulli cibis ac potibus abundare ſtudent, quorum tamen copia & nauſeam parit, & morbos

(*a*) *Iſai. XLVIII. v. 17.*
(*b*) *Luc. XII. v. 16.*
(*c*) *Ibid. v. 17.*
(*d*) *Ibid. v. 20.*
(*e*) *I. ad Timoth. VI. v. 9.*
(*f*) *Ibid. v. 10.*

bos plurimos, mortem etiam quandoque gignit, ac cum corpore animam perdit; cùm èt de his Apoſtolus dixerit: *Neque enim ſi manducaverimus, abundabimus* (*a*): Qui non video, quomodo ab inſipientibus brutis, quorum cum corporibus animæ intereunt, differant; dicentes, edendum hìc ſibi atque bibendum eſſe, cùm nullam credant poſt mortem fore voluptatem. Domibus alii & agris amplificandis, ac camporum dilatandis terminis diligentiſſimè incumbunt, ſtatuentes ponere nomina ſua in terris ſuis, quæ in Cœlis fuerant collocanda; qui ſummam in ſe Dei concitant indignationem, ad quos iratus Dominus clamat: *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis uſque ad terminum loci: numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ? In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum: Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes, & pulchræ abſque habitatore* (*b*). Alii demum temporalium ac terrenorum copiam ſectantur, quibus tamen abundare non poſſunt: Hos ſomniantibus Iſaias aſſimilat, dicens: *Sicut ſomniat dormiens & comedit: cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus* (*c*). Sed omnes hi certè, quid quærendum ſit, & quibus abundare debeant bonis neſciunt, cùm ſpiritum corporalibus implere ſtudeant. Infeliciſſimi homines, annon animadvertitis, quia in vacuum laboratis? Numquid iis animus ſatiari poteſt, quæ ad ipſum penetrare nequeunt? Stultiſſimum vos eum eſſe exiſtimaretis, qui latiſſimum vas modicâ aquâ ſe implere poſſe putaret; & animæ appetitum, qui ad infinita dirigitur, caducis hiſce & fluxis impleri poſſe putabitis; cùm fecerit nos Dominus ad ſe, & irrequietum ſit cor noſtrum, donec requieſcat in ipſo? Eja igitur homines: cuncta hæc, quibus vos hactenus abundare deſideraſtis, *ciſternæ diſſipatæ* ſunt, *quæ continere non valent aquas* (*d*); horum copia vos divites reddere non poteſt & beatos, cùm calamitatum potiùs atque æternarum miſeriarum plerumque ſint fomites. *Ecce ego*, inquit hodie Dei Filius, *vos docebo quibus abundare debeatis, & qualiter;*

Niſi enim *abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum* (*e*). Ubi quidem primùm non reticendum videtur, quanta ſit Evangelicæ legis excellentia atque perfectio, cùm in ea natos, non modò quibuſvis veteri Legi ſubditis, ſed èt eorum Primatibus, ac religioſioribus habitis, nempe

(*a*) *I. ad Corinth. VIII. v.* 8.
(*b*) *Iſai. V. v.* 8. *& ſeq.*
(*c*) *Ibid. XXIX. v.* 8.
(*d*) *Jeremiæ II. v.* 13.
(*e*) *Matth. V. v.* 20.

pe Scribis & Phariſæis, perfectiores eſſe Dominus velit; nec ab iſtorum dumtaxat erratis atque defectibus cavere præcipiat, ſed eorum ſupergredi juſtitiam. Neque id incongruè, ſed jure optimo utriuſque Legis conditor, & *qui fecit utraque unum* (*a*), requirit; nam quos majoribus cumulavit muneribus, ac dignitatibus auxit, quid mirum ſi èt ab iis longè majorem requirat perfectionem, ad quam nos & conditionis noſtræ dignitas, & propoſita præmia, ac præſtitâ compellunt auxilia? Illos quippe ſervili more Legem accepiſſe non ignoramus, lapideis tabulis inſcriptam; nobis verò dulciſſima amoris lex cordibus fuit inſculpta. Et videte, quàm amabilis lex, quæ nihil niſi amorem poſtulat; præter amorem nil præcipit, cùm Deum præ omnibus, & proximum propter Deum, uti nos ipſos diligere jubet. Illa terroris plena, iſta dilectionis; ad illos Patriarchæ & Prophetæ Dei ſervi ſunt miſſi, ad nos ipſe met Dei Filius Chriſtus Dominus venit. Nonne hoc magnam noſtrî arguit excellentiam, ad quos non per ſervos ſuos dumtaxat, ſed ipſe Rex in ſuî perſona dignatus eſt accedere? Quòd ſi quibus majora ſunt propoſita præmia, eos pro illis majora præſtare neceſſe eſt: certè licèt idem cœleſte Regnum & Hebræis & nobis eſſet promiſſum; illis quidem implicitè, ac ſub terrenorum bonorum involucris, uti patria lacte & melle fluens, & his ſimilibus; nobis verò explicitè & apertè, non jam mundana bona, ſed ipſum met Cœlum promiſſum eſt, cùm Joannes primus Evangelii præco clamare apertè cœperit: *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum* (*b*).

Sed huc etiam accedit, quòd Moyſis lex, utpote infirmis & imperfectis hominibus tradita, quid agendum ſolùm eſſet, quidve fugiendum oſtendebat; noſtra verò præter id, vires etiam confert & gratiam, illa faciendi, & hæc pariter evitandi. Et quàm abundè, dilectiſſimi, nobis hæc gratia confertur, quàm multifariam! Quot hujus in Eccleſia Sacroſancta extant vaſa, quæ gratis omnibus dantur, & ſine pretio! Quàm abundè Baptiſmi piſcina omnia delet peccata! Quàm copioſè Chriſmatis Sacramento hodie tam multi Spiritûs Sancti gratiâ replentur, qua viriliter Dæmonis poſſint reſiſtere inſultibus, & bona opera proſequi! Quid verò de ſecunda poſt naufragium tabula, nempe Pœnitentia, dicam, quæ crimina omnia, licèt graviſſima, debitè illam ſuſcipientibus remittit? Euchariſtia verò Sacratiſſima

(*a*) *Ad Epheſ. II. v.* 14. | (*b*) *Matth. III. v.* 2.

non modò gratiam, ſed èt ipſius continet gratiæ Auctorem: quam qui dignè recipiunt, ipſis redduntur malignis ſpiritibus formidabiles; Divini amoris igne inflammantur; toti denique eo lucent & ardent. Matrimonia item Evangelici temporis, quantùm legalibus præſtant, quæ præter fidem & ſobolem, tertium adhuc gratiæ afferunt fructum! Quanta item ſacrorum Ordinum dignitas, qua inſignitis non ſolùm ſumma quædam gratiæ plenitudo confertur, ſed èt poteſtas tribuitur, eam aliis elargiendi! Demum èt morientibus, Extrema illa Unctione quantum affertur adjumenti, quibus, præter quàm quod peccatorum dimittuntur reliquiæ, ipſe quoque mortis tranſitus facilior redditur atque ſecurior! O quanta nobis, fratres, eſt gratia! Cur ergo non omnes gratià replemur, qua cum Apoſtolo nobis gratulari poſſimus, dicentes: *Gratià Dei ſumus id, quod ſumus* (*a*); & *omnia poſſumus in eo, qui nos confortat* (*b*)? Quid igitur mirum, ſi èt major a nobis in novo Teſtamento requiratur perfectio, quàm ab Hebræis in veteri, qui tam multis ſupra illos ſumus affecti muneribus; quibus nihil præcipitur, quin illud etiam perficiendi (niſi obſtiterimus) nobis tribuatur auxilium; quibus non priùs præcepti alicujus jugum imponitur, quin eidem nobiſcum Chriſtus collum ſubjiciat, quocum trahentibus, omnis abſit difficultas? Verè Domine *jugum tuum ſuave eſt*, & *onus leve* (*c*): Nec eſt, quòd quiſpiam oneris gravitatem objiciat, cùm Hebræis homicidium eſſet prohibitum, nobis verò occulta etiam animi indignatio; nam licèt hæc etiam illis vetaretur (quod tamen ipſi Legem minimè intelligentes, ſed duro tantùm literæ cortici inhærentes non comprehendebant); nobis tamen majores etiam ſunt vires conceſſæ, quàm illis, adeò ut idem onus utriſque impoſitum, nobis multò ſit levius. Quod vèl clariſſimo patet exemplo; nam longè levius erit viro forti atque perfecto onus, quod viginti ponderet libras, quàm teneris pueris, quod tres tantùm aut quatuor: Hebræi ſanè tunc temporis infirmi & imbecilles pueri erant, quibus, ſicut cibi leviores dabantur, ita leviora erant onera impoſita; nobis verò, utpote viris perfectis, vèl gravius onus leve eſt, quia fortioribus etiam alimur cibis. Et videte, obſecro, qualibus, ut diſcrimen noſcatis: Illi cœleſti Manna paſcebantur, quod nempe de Cœlo pluebat; nos verò Chriſti

(*a*) *I. ad Corinth. XV. v.* 10.
(*b*) *Ad Philipp. IV. v.* 13.
(*c*) *Matth. XI. v.* 29.

ſti Dei vivi reficimur corpore, & ſanguine pòtamur, ut cetera interim prætermittam; tantum enim hoc eſt, ut vèl ipſum ſolum nos illis longè requirat perfectiores.

Ideo non immeritò hodie Dominus noſter non modò nos Hebræorum docet cavere hypocriſim atque peccata, verùm etiam illorum ſuperare juſtitiam: Nec ſolùm illorum omnium, ſed eorum, qui inter eoſdem juſtitiam pleniorem profitebantur, Scribarum videlicet & Phariſæorum, dum ait: *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Et certè in plurimis illi peccabant, quæ nos diligentiſſimè cavere neceſſe eſt: Illi ſiquidem exteriora ſolùm opera ſectabantur, ùt ille ſeſe jactans orabat: *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium, quæ poſſideo* (*a*); qua verò id animi intentione efficerent, minimè curabant. At nos, o filii, non modò illa facere debemus exactè, ſed èt quo fine faciamus, attendere. Hinc eſt, quod illi in operibus ſuis, ab hominibus dumtaxat videri cupiebant, & conſequi gloriam; nobis verò oculus eſt in Deum ſolum dirigendus, *qui videt in abſcondito* (*b*), ne quod illis accidit, nobis eveniat. Illi quippe omnibus bonis ſpoliati, nudi remanſerunt & pauperes; cùm vanæ gloriæ cupìdo, veluti iniquiſſimus prædo, quoſcumque invaſerit, omnibus ſpoliet bonis. Videte, quomodo debeant eadem opera noſtra, illis quoque communia, eſſe tamen ſuperiora; nam jejunabant illi, ſed *jejunantes exterminabant facies ſuas, ut apparerent hominibus jejunantes* (*c*); nos verò, *cùm jejunamus, facies noſtras lavare* debemus, *& capita ungere* (*d*). Illi cùm eleemoſynas largiebantur, tubâ ante ſe canebant; nobis autem eas facientibus conſulit Dominus, ut *neſciat ſiniſtra manus noſtra, quid dextera faciat* (*e*). Illi, quod de foris tantùm erat, mundabant, interiùs verò pleni erant rapinâ & iniquitate: ideo ſepulchris dealbatis ſimiles dicebantur, quæ fœtoribus intus ſunt plena; nos verò exteriùs pariter mundos eſſe convenit, & interiùs. Illi veſtitus ovium præferentes, *intrinſecus erant lupi rapaces* (*f*); nos quales extra cupimus videri, tales decet ex animo fieri. Sed heu! quàm multos illi nunc habent imitatores, qui Dei obliti, nec memores, quòd ille *corda ſcrutetur & renes* (*g*), quòdque omnia pateant ejus oculis, illa tantùm

(*a*) *Luc. XVIII. v.* 12.
(*b*) *Matth. VI. v.* 4.
(*c*) *Ibid. v.* 16.
(*d*) *Ibid. v.* 17.
(*e*) *Ibid. v.* 3.
(*f*) *Ibid. VII. v.* 15.
(*g*) *Pſalm. VII. v.* 10.

tùm fugiunt, quæ humani Judices vident, ne ab iis legali pœna mulctentur; alia verò adeo liberè perpetrant, ac ſi a nemine ſe videri arbitrarentur, & punienda non eſſe certò ſcirent. O miſeri! Unius vos hominis aſpectus a ſceleribus peſſimis patrandis retardaret; & Dei præſentia, Angelorum conſpectus vos ab his non impediunt? Pluris ergo homines facitis, quàm Chriſtum? Quàm igitur juſtè accidet vobis, ut non modò a Deo puniamini, & coram ipſo ac Angelis ejus confundamini, ſed quò major ſit veſtra confuſio, etiam cunctis hominibus turpitudines veſtræ innoteſcant, cùm, extremo magni Judicii die, libri ſcripti proferentur, in quibus totum continetur; veſtræ nempe omnium oculis patebunt conſcientiæ, ac quæ nunc occulta eſſe exiſtimaſtis, tunc omnes ſcient, omnes videbunt, omnes exprobrabunt, omnes deteſtabuntur, omnes vindictam clamabunt. O me miſerum! Et quàm gravis pœna erit tunc illa confuſio, ſi tanta jam eſſet, dum cujuſquam nefandum aliquod crimen toti Civitati detegeretur, ac qui priùs vir probus habitus fuerat, jam omnibus inſpicientibus traheretur ad furcas! Scitis dilectiſſimi, quid vobis maximo erit adjumento, ut juſtitia veſtra in hoc abundet plus quàm Scribarum & Phariſæorum? Hoc certè: Deum ſemper habere præſentem, &, cùm immundus ſpiritus aliquid in occulto patrandum ſuggerit, objicere: *Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat* (a)? Hujus recordatio mirum in modum Prophetam juvabat ſanctiſſimum, qui èt de ſe ipſo dicebat: *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper: quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear* (b). Sancti, quia Deum præ oculis ſemper habebant, ideo & peccata omnia fugiebant, & pia opera, quæ peragebant, probo etiam fine faciebant; memores, quia homo videt in facie, Deus autem, qui bonorum futurus eſt remunerator, videt in corde.

Sed èt Phariſæi, quorum debemus ſuperare juſtitiam, adeo erant corde duri, ut ad eorum cordis duritiem nonnulla illis permitterentur in Lege, velut repudii libellus, ac vindictæ poſtulatio, qua cuivis liberum erat petere, ut qui injuriam intulerat, dentem pro dente, & oculum pro oculo, vitam quoque ipſam pro vita rependeret: Nos verò non iis tantùm, ad quæ ex præcepto tenemur, debemus incumbere; ſed ad majora quoque ſemper aſpirare. Et quæ eſt iſta ruſticitas, ut maxima a Deo poſtulantes, minima ſolùm pro

ipſo

(a) *Pſalm. XCIII. v. 9.* | (b) *Pſalm. XV. v. 8.*

ipſo præſtare velimus? Cupimus ab ipſo, nobis *menſuram* reddi non modo *bonam*, ſed *èt confertam*, *& coagitatam*, *& ſupereffluentem* (*a*); & nos eam illi nec bonam priùs damus? Magna eſt profectò iſthæc iniquitas: & tamen quàm hodie latè patet! Quàm multi ſunt, quibuſcum ſi de Sanctiſſimorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentorum agimus frequentiâ, ſtatim objiciunt: nobis ſemel in anno confiteri, ac communicare præcipitur; nec ad aliud obligamur. Et cur adeò parcè & ſtrictè cum Deo agentes, eum adeò liberalem expectatis? Erratis certè quicumque tales eſtis, dilectiſſimi filii; nam quamvis Sancta Mater Eccleſia ſemel tantùm quotannis, vos hujuſmodi medicinam ac cibum compellat ſuſcipere, non tamen quotidie infirmari, quotidie peccare conſentit, nedum compellit. Si ergo quotidie infirmitates incurritis, cur non quotidie ad Medicum properatis? Si quotidie defatigamini, cur non crebrò etiam ſumitis cibum? Mihi credite, dilectiſſimi, quia cum illis erit liberalior Dominus, qui cum ipſo etiam fuerint liberales: *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*b*); & *qui parcè ſeminaverit*, *parcè èt metet* (*c*); & qui ea ſolùm, ad quæ ſub pœnis graviſſimis tenetur, impleverit, neſcio quæ illi merces retribuetur. Verùm èt hoc addo, quoniam qui ſolo pœnarum metu compulſi præceptis obtemperaverint, veluti viliſſimi ſervi, non habebunt partem cum filiis Dei, qui ſola caritate urgente, viam mandatorum Domini cucurrerint. Sed ſcitis, unde tanta in multis oriatur frigiditas? Hæc una ſola hujus eſt cauſa, hæc origo: quia Deum non amant, ſed ſolùm veluti Judicem timent juſtiſſimum, nec Deum metuunt, ſed pœnas; nam ſi quas peccantibus pœnas propoſuit, irrogare non poſſet, eum illuderent, negligerent, nihili facerent. Non ipſum amant, ſed ſe ipſos, quibus timent incendia, & æternum gehennæ ignem: Si ergo èt Deus ſolùm diligentes ſe diligit, perpendite vos, an hujuſmodi homines ſit dilecturus, nec ne. Videte filii miram Dei bonitatem: Ipſe nos in omnibus prævenit, & tamen velle ſe a nobis præveniri dicit. Et quis eum ſine ipſius prævia gratia diligere poteſt, cùm nec ipſum ſine ipſo invocare valeamus? Et tamen: *Ego*, inquit, *diligentes me diligo* (*d*). Si Deum ergo, filii, diligitis, nolite illa ſolùm pro Deo præſtare, ad quæ vos pœnarum timor impellit, ſed alia adhuc, quæ ſine metu poſſetis omittere; nec in iis con-

(*a*) *Luc. VI. v.* 38.
(*b*) *II. ad Corinth. IX. v.* 7.
(*c*) *Ibid. v.* 6.
(*d*) *Prov. VIII. v.* 17.

conquieſcatis, quæ aliquibus ad cordis permittuntur duritiem, ùt duris Phariſæis multa erant permiſſa.

Phariſæi demum literæ cortici ſolùm adhærebant, nec ejus ſenſum attendebant aut ſpiritum; nos verò, qui ſcimus, quoniam *litera occidit, ſpiritus autem vivificat* (*a*); quis ſit literæ finis & intentio, magis attendamus, quàm quid ejus innuant verba. Ideo, cùm illis præciperet literæ lex: *Non occides* (*b*); nobis addidit Chriſtus: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio* (*c*). Illi ab inferenda dumtaxat morte, aut vulneribus abſtinebant; & nos a verbis quoque abſtinere debemus: *Qui* enim *dixerit fratri ſuo, raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis* (*d*). Illi proximos tantùm putabant diligendos; nos verò & *inimicos diligere* præcipit Dominus, & *benefacere his, qui oderunt nos*, ac *orare pro perſequentibus nos* (*e*). Illi jejunabant, & a cibis tantùm abſtinentes, Dei ſe voluntatem implere exiſtimabant, nec ab eis quidquam ultra requiri; victimas offerebant & ſacrificia, & divinis credebant ſe ſatisfeciſſe mandatis: qui tamen adeò hallucinabantur, ut Deo potiùs eſſent infenſi, ac ejus in ſe iram maximè provocarent; ideo illis per Prophetam dicebatur: *Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? plenus ſum* (*f*). Videte, quale verbum nauſeantis ac faſtidientis: *plenus*, inquit, *ſum;* ultra nolo, ferre ampliùs non poſſum, quia nauſeat ſuper hujuſmodi anima mea; *holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui* (*g*). Sed quomodo noluiſti, Domine, ſi hæc fieri præcepiſti? Adhuc audite indignantem: *Cùm veniretis ante conſpectum meum, quis quæſivit hæc de manibus veſtris, ut ambularetis in atriis meis? Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra: incenſum abominatio eſt mihi* (*h*). O mirabile dictu! Ergo honor tibi exhibitus, abominatio eſt tibi? ergo fruſtra tibi offeruntur, quæ præcepiſti ſacrificia? Sed necdum finis: *Neomeniam, & Sabbatum, & Feſtivitates alias non feram, iniqui ſunt cœtus veſtri: calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odivit anima mea: facta ſunt mihi moleſta, laboravi ſuſtinens* (*i*). Sed fortè ceſſabit indignatio tua, fortè mutaberis Domine? Quinimò: *Cùm extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam* (*k*). Sed unde

(*a*) *II. ad Corinth. III. v. 6.*
(*b*) *Deuteron. V. v. 17.*
(*c*) *Matth. V. v. 22.*
(*d*) *Ibidem.*
(*e*) *Ibid. v. 44.*
(*f*) *Iſai. I. v. 11.*
(*g*) *Ibidem.*
(*h*) *Ibid. v. 12. & ſeq.*
(*i*) *Ibid. v. 13. & ſeq.*
(*k*) *Ibid. v. 15.*

unde tantus hic furor? Annon quod præcepiſti adimplevimus? nonne mandata ſervavimus? Quia ſcilicet *manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt* (*a*). O filii, quàm multi hodie Phariſaico more jejunant, eleemoſynas faciunt, & alia bona quamplurima; ſed adeò ſunt in iram proni, ut nec minimam velint injuriam ferre, & eorum manus, & mentis cogitationes plenæ ſint ſanguine! Qui quoniam Phariſæos juſtitià non ſuperant, audiant quid præterea ab ipſis Dominus requirat: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perversè, diſcite benefacere: quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: ſi fuerint peccata veſtra ùt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt* (*b*).

Sed audite, quare Deus Phariſæorum improbaret jejunia, ut veſtra, quàm illorum, ſint ipſi acceptiora: *Quare jejunavimus*, dicebant illi Domino, *& non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce*, ait Dominus, *in die jejunii veſtri, invenitur voluntas veſtra. Ecce ad lites & contentiones jejunatis. Nolite jejunare ſicut uſque ad hanc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter. Numquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? numquid iſtud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi* (*c*)? Audite filii, quomodo debeat abundare juſtitia veſtra pluſquam Scribarum & Phariſæorum: *Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe* (*d*). Videte, quàm pulchrè a peccatis docet jejunandum; quæ enim ſunt *impietatis colligationes*, niſi peccata, quibus veluti duriſſimis quibuſdam vinculis ac funibus, miſeri manibus pedibuſque vinciuntur; ac veluti ſtipites quidam redduntur, ad omne bonum opus agendum inepti? *Solve faſciculos deprimentes*; quales faſciculi ſunt peccata; quales faſciculi carnis concupiſcentia & oculorum, ac vitæ ſuperbia! Quomodo terrena cogitatio deprimit ſenſum multa cogitantem! Videte, quid faciat peccatum: idem profectò, quod vincula aut pondera avibus, quæ illas ſuapte naturà leves in altum volare non ſinunt, ſed deprimunt ad terram. Miſera anima vellet ad Deum aſcendere, utpote quæ tota ſpiritus eſt, & ad Deum creata; ſed faſciculi hi peccatorum depreſſam illam

(*a*) *Iſaiæ I. v. 15.*
(*b*) *Ibid. v. 16. & ſeqq.*
(*c*) *Iſai. LVIII. v. 3. & ſeqq.*
(*d*) *Ibid. v. 6.*

illam detinent, ideo clamat Apoſtolus: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*a*)? *Solvite* ergo *faſciculos* hos *deprimentes; dimittite eos, qui confracti ſunt, liberos.* Cur animas veſtras Chriſti pretioſiſſimo ſanguine libertate donatas, in Satanæ iterum ſervitutem redire compellitis? Dimittite, dimittite; & omne peccati onus plumbo multò gravius dirumpite. Sed ut abundet juſtitia veſtra, non ſolùm in jejuniis ſunt peccata vitanda, verùm etiam bona opera adjungenda.

Ideo ſubdit Dominus: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris* (*b*). Non enim ad avaritiam eſt jejunandum, o filii; nam quis plus avaris jejunat, qui, ut pecunias augeant, & arcam impleant, ventrem evacuant, hoc ipſo Dæmoni ſimillimi, qui èt ipſe jejunat continuò? Sed quod ori veſtro tollitis, hoc pauperibus conferre debetis; quod enim pauperi tribuitis, Deo tribuitis, qui dixit: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis* (*c*). Si Deo, o peccator, non tribuis bucellam panis, quomodo petis ab eo Regnum? Petit a te pauper eleemoſynam, nec eam petit gratìs, ſed pretio omnes Mundi divitias excedente, Dei ſcilicet amore. Audis amorem Dei, audis tam incomparabile pretium; & adhuc non moveris? O duritiem inauditam! Si quis amicus tuus, aut Princeps & Rex quidpiam, licèt magnum, peteret a te, ei denegare erubeſceres; & Deo minima petenti negare non pudet? Si amas divitias, cuſtodi eas in Cœlo, & illic invenies cum fœnore reſervatas; pauperes enim eas tibi ſecurè ibidem collocabunt: Nam *fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſſitudinem ſuam reddet ei* (*d*); & *facere miſericordiam, & judicium, magis placet Domino, quàm victimæ* (*e*): *qui* verò *obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, èt ipſe clamabit, & non exaudietur* (*f*); *judicium* enim *ſine miſericordia illi* erit, *qui miſericordiam non fecerit* (*g*). *Eleemoſyna* autem *ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras* (*h*). Ideo ait Eccleſiaſticus: *Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis, quàm aurum* (*i*). Si hæc enim, dilectiſſimi filii, feceritis, audite quid ſubjungat Dominus: *Tunc erumpet quaſi manè lumen*

(*a*) *Ad Rom. VII. v.* 23. & 24.
(*b*) *Iſai. LVIII. v.* 7.
(*c*) *Matth. XXV. v.* 40.
(*d*) *Prov. XIX. v.* 17.
(*e*) *Ibid. XXI. v.* 3.
(*f*) *Ibid. v.* 13.
(*g*) *Jacob. II. v.* 13.
(*h*) *Tob. IV. v.* 11.
(*i*) *Eccleſiaſtici XXIX. v.* 14.

lumen tuum (*a*): eritis a Deo illuminati; & ſicut manè oritur Sol præcedentibus tenebris, ita vos Sol Juſtitiæ illuſtrabit, & tunc eritis felices, & omnia vobis juxta vota veſtra contingent; quidquid enim vobis divinæ voluntati adhærentibus Deus evenire permiſerit, juxta voluntatem veſtram eveniet. *Et anteibit faciem veſtram juſtitia veſtra* (*b*); ducet enim vos juſtitia veſtra in æternam beatitudinem, ubi cum Deo regnabitis, poſtquam per hæc opera *abundaverit* hìc *juſtitia veſtra*, *plus quàm Scribarum & Phariſæorum*.

Phariſæi ad Templum aſcendebant, ſed non prout debebant; nam in eo avaritiæ intenti, ſua plus quam Dei agebant negotia: At nos in Templum intrantes, ante veſtibulum omnia debemus, quæ Dei non ſunt, miſſa facere, ac ſoli Deo vacare. Illi demum ut orarent aſcendebant; ſed ſi orabant, aut linguâ tantùm orabant, aut non orabant, cùm ſe ipſos laudarent, & bona ſua opera jactarent; ùt nuper de vaniſſimo illo Phariſæo audiſtis, qui cùm aſcendiſſet in Templum ut oraret, ſanè ejus verba conſiderans, quid oraverit non video: certè illum audio ſe jactantem, & dicentem: *Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum: raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Jejuno bis in Sabbato: decimas do omnium, quæ poſſideo* (*c*). Unde èt de iis, qui ſic orabant, dicebat Altiſſimus: *Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt a me* (*d*); de hoc autem eſt ſcriptum, quia Publicanus *deſcendit juſtificatus in domum ſuam ab illo* (*e*). Non ſic nos, filii; ſed orantes Dei primùm debemus revereri majeſtatem, tum peccata noſtra accuſare dolentes atque deflere: Si quid verò boni in nobis comperimus, id totum Deo acceptum referre, a quo eſt *omne datum optimum, & omne donum perfectum* (*f*); quidquid verò in nobis eſt mali, id de noſtro agnoſcere, cùm perditio noſtra ex nobis ſit; in Deo autem tantùm auxilium noſtrum (*g*). Hæc enim facientes, non literæ ſolùm corticem, ſed ipſius etiam ſenſum attendemus; & non modò quæ præcipiuntur exequemur, verùm etiam quis fuerit præcipientis ſcopus, & quæ executioni addendæ ſint conditiones intelligendo, quod Dominus præcipit aſſequemur; ut nempe *abundet juſtitia noſtra, plus quàm Scribarum & Phariſæorum*.

Sed me miſerum! Quid in recenſendis Phariſæorum erratis diutiùs immoror, ut ad abundantiam horter juſtitiæ, cùm id non

(*a*) *Iſai. LVIII. v.* 8.
(*b*) *Ibidem.*
(*c*) *Luc. XVIII. v.* 11. *&* 12.
(*d*) *Matth. XV. v.* 8.
(*e*) *Luc. XVIII. v.* 14.
(*f*) *Jacob. I. v.* 17.
(*g*) *Oſee XIII. v.* 9.

modò multi non faciant, eorum ſcilicet ſanctitatem ſuperando, ſed illis etiam ſint deteriores; ut hiſce hominibus jam neceſſarium minimè videatur oſtendere, quòd pluris debeant illis præſtare, ſed, quid minus quàm illi faciant, indicare, ut cùm ad eorum juſtitiam pervenerint, tunc de abundantia & illi cogitare aggrediantur, & nos cum illis agere incipiamus? Utinam, filii, multi hodie non eſſent Phariſæis longè inferiores! ſperarem enim, facilè ipſos poſſe prætergredi; ſed quia tam ſunt illis inferiores, quomodò citò ſuperare poſſe crediderim? Currentibus utriſque ad bravium, certè ſi æqua amborum eſſet ad illud diſtantia, facile eſſet iſtis illud aſſequi. Sed cùm hi, multis milliaribus ſint retrò ab iis, o quàm eſt currendum, quàm producendi paſſus, quin etiam de victoria ferè deſperandum! Sed ut ſancta quadam erubeſcentia confundantur hi, & omnes, quotquot iis ſimiles ſunt, Phariſæorum examinemus juſtitiam, & horum iniquitatem.

Gloriabantur Phariſæi, quòd patrem haberent Abraham; idque magnî valde faciebant. Et nos patrem habentes Deum, id nihili facimus, & cujus patris filii ſimus numquam cogitamus. Cogitabunt fortè multi, quibus ſint parentibus ſecundùm carnem & ſanguinem orti, ac ſe de nobilitate jactabunt, quæ nulla eſt, nec ipſorum eſt; at quòd a Deo ſint creati, ab eodem pretioſiſſimo ſanguinis pretio redempti, ab eo vivi conſerventur, & ab eo a tot periculis eripiantur, quòd quidquid habent, ab ipſo habeant, quòd ab ipſo omnia bona procedant, quòd Cœli ipſos creaverit hæredes, & Chriſti fratres ac cohæredes; hæc certè neſcio, an ſciant, vel ſibi in memoriam revocent. O execranda ignorantia! o deteſtanda oblivio, tam abominabilis filiæ, qualis eſt ingratitudo, tam pernicioſa mater! Quid mirum, ſi in exitu vitæ, aut magni Judicii die clamabunt: *Domine, Domine aperi nobis* (*a*), & non exaudientur, nec Cœlorum eis januæ aperientur; cùm hìc Deum ùt patrem numquam habuerint, nec de tali ſint Patre gloriati?

Confidebant in Moyſe Phariſæi; & qui ejus precibus, Majores ſuos multa a Deo conſecutos eſſe ſciebant beneficia, in eo maximè ſperabant, & tantum, ut Chriſto non crederent, cùm ei Moyſen longè præferrent; cui tamen ſi credidiſſent, certè Chriſtum, Dei Filium eſſe confeſſi fuiſſent: unde èt ipſis Dominus noſter dicebat: *Nolite putare, quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem. Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis*

(*a*) *Matth. XXV. v. 11.*

retis forſitan èt mihi : de me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis : quomodo verbis meis credetis (*a*)? Et illi quidem in Moyſe veluti Protectore tantum confidebant; nos verò tam multos habentes & ignoramus, & ad illos non confugimus. Quis putatis, filii, ſit Ambroſius ſanctiſſimus Pontifex, & inſignis Eccleſiæ Doctor? Certè Moyſes veſter eſt. Quis Simplicianus, Mirocles, Anatalo? Quis Satyrus, Protaſius, Gervaſius? Hi certè omnes præcipuè, ſicut ceteri etiam Sancti & Sanctæ Dei, veſtri ſunt Protectores. Moyſe orante, illi de hoſtibus ſuis victoriam reportabant (*b*); & iſtis orantibus, o ſi ſciretis filii, a quàm multis & magnis erepti fueritis periculis, quomodo ad eos confugeretis! quantum in illis confideretis! qualem iiſdem, & eorum Reliquiis, quæ apud nos ſunt, honorem ac reverentiam tribueretis! Quo etiam ex capite Phariſæis longè deteriores apparetis, ac negligentiores.

Sed èt illi, quòd Templum Domini haberent, gloriabantur, & adeò ut, cùm plurima perpetraſſent facinora, ac innumeris ſe commaculaſſent ſceleribus, Templi ſolo ingreſſu, ſe iis omnibus arbitrarentur mundatos. Quod tamen nimium erat, & Domino exoſum; ideo iis apud Prophetam improperabat: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, Templum Domini eſt. Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtudia veſtra: ſi feceritis judicium inter virum, & proximum ejus, advenæ, & pupillo, & viduæ non feceritis calumniam, nec ſanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & poſt Deos alienos non ambulaveritis in malum vobiſmetipſis: habitabo vobiſcum in loco iſto in terra, quam dedi patribus veſtris a ſeculo & uſque in ſeculum. Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacii, qui non proderunt vobis: furari, occidere, adulterari, jurare mendaciter, libare Baalim, & ire poſt Deos alienos, quos ignoratis. Et veniſtis, & ſtetiſtis coram me in domo hac, in qua invocatum eſt nomen meum, & dixiſtis: Liberati ſumus, eò quòd fecerimus omnes abominationes iſtas* (*c*). Videte ergo, quantì ſuum Templum Phariſæi faciebant: & nos ſpirituale in primis animæ noſtræ Templum ita negligimus, imo multò nobilius Templum etiam, quàm illi, habentes contemnimus; nam in eorum Templo materialia tantùm erant recondita; in noſtro verò Chriſti corpus reſidet ac ſanguis, tota ejus ſimul & Divinitas & ſanctiſſima Humanitas, infinitis Angelorum agminibus circumdata. Tantì illi hoc faciebant, ut Moyſes etiam ipſe admirans diceret:

(*a*) *Joann. V. v.* 45. *& ſeqq.*
(*b*) *Exod. XVII. v.* 11.
(*c*) *Jerem. VII. v.* 4. *& ſeqq.*

Nec eſt alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter adeſt nobis (*a*). Et nos, o filii, & nos, qui Chriſtum inter nos habemus, qui eum comedimus, qui illi, cùm volumus, poſſumus uniri, vinculo indiſſolubili necti, in illum tranſformari, (o inaudita negligentia!) quomodo ſumus illis nequiores! Aſpicite, filii, Phariſæum illum Evangelicum, quem Dominico præterito die vobis deſcriptum audiſtis; & illius vobis mores ac vitam proponite veluti ſpeculum, quo facillimè errores veſtros emendetis.

Ille aſcendebat in Templum: & hodie (licèt nos clamare non ceſſemus) quò vadunt noſtri Chriſtiani? ad choreas, tripudia, & ludos, ad comœdias, ſpectacula, ac Dæmonem, ad hoſtes ſuos, ad mortem, ad Infernum. Fugiunt Templum, horrent Eccleſiam, Dei domum averſantur, Dei verbum faſtidiunt, ad Doctrinam Chriſtianam audiendam aut docendam accedere dedignantur.

Et *ille* quidem *aſcendebat in Templum, ut oraret*. At ſi qui hodie ex noſtris in Templa ſeu ab aliis pertracti, ſeu pudore compulſi, ne a ceteris notentur, ſeu ut qui non ſunt, nempe religioſi habeantur, conveniunt, non certè, *ut orent*, conveniunt: Sed ad quid? ad colloquia vana, negotiationes, ac ſacrilegas inhoneſtates, ad deambulationes, illicitos aſpectus, & turpes procurandos amores; quibus longè ſatius eſſet, ſi Templi abſtinerent ingreſſu, ne ipſis Dominus diceret: *Numquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua invocatum eſt nomen meum in oculis veſtris* (*b*)? Aut quod alibi querebatur: *Quid eſt, quòd dilecti mei in domo mea faciunt ſcelera multa* (*c*)?

Dicebat inſuper ille, & gloriabatur, *quia non ſum, ſicut ceteri hominum*, ſegregans ſe a peccantium turba; cùm tamen hodie multi ſint, qui conſuetudine vulgi ſua excuſent peccata, ſe ipſos foliis ficuum, Protoparentum docti exemplo, tegentes: Quibus ſi dicimus, ut vanitates deponant, ut luxum relinquant, ut ſobrii ſint ac religioſi, ſtatim reſpondent: vivendum ſibi eſſe, ùt ceteri faciunt, plures imitando. Miſeri! neſcientes, quia plures illi ſunt, de quibus eſt dictum: *ſtultorum infinitus eſt numerus* (*d*); quia via illa lata, per quam ipſi incedere ſtatuunt, ea eſt, quæ ad perditionem ducit.

Phariſæus, quòd *adulter* non eſſet, Deo gratias agebat; & tam

(*a*) *Deuteron. IV. v.* 7.
(*b*) *Jerem. VII. v.* 11.
(*c*) *Ibid. XI. v.* 15.
(*d*) *Eccleſiaſtes I. v.* 15.

tam multi hodie exiſtunt adulteri, fornicatores, & impudici, qui vel re ſi poſſunt, vel ſi non poſſunt, deſideriis adulterantur: *Qui* enim *viderit ad concupiſcendum, jam mœchatus eſt in corde ſuo* (*a*); attamen non modò hujuſce delicti non deteſtantur infamiam, ſed plerumque etiam *exultant in rebus peſſimis, & lætantur cùm malè fecerint* (*b*).

Ille *raptor* non erat: hodie tamen multi ſunt uſurarii, qui pauperum ſanguinem eliciunt ac bibunt; qui tam multa illicita exercent & in frumentis vendendis, & in mutuis dandis, & in menſuris duplicibus atque ponderibus, & in tot palliatis contractibus, ac ſi, quid ſub hiſce tegminibus lateat, Deus non videat, qui hæc omnia deteſtatur: Tam multi deprædatores fructuum, qui animalium viliſſimorum more, noctu aliorum ſegetes, & uvas, & ligna ſubripiunt: Tam multi, qui aliena uſurpant, qui agrorum ſuorum terminos protrahunt, ac in alienam terram ſe ingerunt, qui poſſeſſiones Eccleſiaſticas, & pauperum bona ſibi attribuunt: Tam multi, qui furtis vivunt; tam multi, qui legata pia non ſolvunt, qui voluntati eorum, quibus ſucceſſerunt hæredes, non ſatisfaciunt: Qui omnes, cùm ſciant, non dimitti peccatum, niſi reſtituatur ablatum, ſerpentes tamen in ſinu ſuo miſerrimè nutriunt, ac liberos ſuos peſtis hujuſce relinquunt hæredes.

Phariſæus deteſtabatur *injuſtos*, qualem ſe non eſſe gratulabatur. O quales hodie inter multos regnant injuſtitiæ; quàm multi ſunt pupillorum, viduarum, & pauperum oppreſſores; quàm multi operariorum retinent mercedes, quibus loco promiſſi præmii, quando id repetunt, verbera infligunt, & quandoque itidem vulnera, cùm ſe tamen nobiles jactitent! Egregios ſanè nobiles, quos ego jure optimo viliſſimos latrones, ac injuſtiſſimos tyrannos appellandos putaverim, imo ſæviſſimas tigrides, quæ humanis carnibus & ſanguinibus paſcuntur; contra quos clamant in Cœlum coram Deo pauperum voces, quas exaudiet Dominus profectò.

Jejunabat bis in Sabbato, hoc eſt in hebdomada, Phariſæus. Hodie verò Chriſtiani noſtri nedum hoc non faciunt, ſed nec quæ obſervare tenentur, ulla ſervant jejunia Vigiliarum, aut Quadrageſimalis temporis. Hoc me certè, filii, plurimùm angit, quòd vèl ob ſolam præcepti hujus tranſgreſſionem innumeros ſciam in Infernum præcipites ruere, quia eò devenimus, ut negli-

(*a*) *Matth. V. v.* 28. | (*b*) *Prov. II. v.* 14.

negligatur prorſus iſtud Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptum, cui tamen qui non obedit, Deo non obedit; & multi nec ſibi conſcii ſint hujus inobedientiæ, quam leviſſimam putant.

Decimas ille *omnium*, *quæ poſſidebat*, *dabat*; ſicut ėt ceteri collegæ ſui faciebant, qui decimabant etiam ex parte rutam, mentham, & olera, & minima quæque (*a*). Hodie verò, præceptis omnibus Eccleſiaſticis ſpretis, & neglectis cenſuris a Sacris Canonibus, a Concilio in primis Tridentino inflictis, primitiæ & decimæ vel denegantur omnino, vel a pauperibus tantùm ſolvuntur, vel diminutæ ſolvuntur, vel mixtionibus corrumpuntur, & frumentis lolia, ac alia hujuſmodi deteriora miſcentur. O miſeri, o miſeri! Et hæc Deo datis, quæ nec ab ipſo vobis dari cuperetis? Dicam quod iterum dixi: hanc illi, & miniſtris ſuis dantes menſuram, vultis poſtea ab ipſo bonam, confertam, coagitatam, & ſupereffluentem in ſinum veſtrum conferri menſuram?

Phariſæi omnes cupiebant vocari *Rabbi*, ac ceteros Legis præceptis ſtudebant imbuere. Et hodie turpe multi exiſtimant ac puerile, Fidei myſteria rudes docere, ac (quod pejus etiam eſt) qui neſciunt, doceri; cùm, prr̃terquamquod ad id Domini præcepto teneantur, qui *unicuique mandavit de proximo ſuo* (*b*), & per Apoſtolum ſuum comminatus eſt: *Si quis ignorat*, *ignorabitur* (*c*); tam multis etiam ſint Indulgentiarum theſauris, a Summis Pontificibus Chriſti Vicariis, iis qui huic operi incumbunt conceſſis, inflammati.

Demum, ut ad finem noſtra perducatur Oratio, quis Phariſaicam Sabbati obſervantiam verbis poſſit exprimere? Miſerum illum, quòd Sabbato ligna in ſuî uſum collegiſſet, Domini urgente præcepto, lapidibus obruerunt (*d*); etiam Chriſtùm, quòd infirmis ſanitatem, licèt non ſine miraculo, Sabbato reſtituiſſet, increpabant (*e*): Et hodie, proh dolor, proh dolor! dierum nulla apud multos eſt differentia; nulli apud illos ſunt Feſti; indiſcriminatim in illis ea operantur, quæ in ceteris; & quos divino cultui deberent impendere, terrenis tractandis, ac plerumque impuris etiam voluptatibus, illicitiſque negotiationibus tribuunt.

Cur ergo hodie hujuſmodi hominibus, Domine, præcipis, ut eorum abundet juſtitia plus quam Phariſæorum, cùm ab ea tam longè

(*a*) *Lucæ XI. v.* 42.
(*b*) *Eccleſiaſtici XVII. v.* 12.
(*c*) *I. ad Corinth. XIV. v.* 38.
(*d*) *Numer. XV. v.* 32. *& ſeqq.*
(*e*) *Joann. VII. v.* 23.

longè abſint? Sed quia id neceſſarium eſſe pro certo habet, omnibus nobis inſuper dicit, ut Evangelicæ perfectionis & excellentiæ, ac propoſiti præmii, & præſtiti gratiarum auxilii, memores contendamus hodie, illorum ſuperare ſanctitatem: quod in ipſis fuit mali, fugere; quod verò boni, excellentiùs atque perfectiùs implere. Sed non modò plus quàm illorum, verùm etiam plus quàm Chriſtianorum debet juſtitia noſtra abundare; quamdiu enim hìc degimus, numquam eſt quieſcendi tempus, aut locus; ſed progredi ſemper debemus in via Domini, in qua non progredi, regredi eſt, & non proficere, deficere; nam via virtutis flumen eſt rapidiſſimum, quod naves ſulcantes, cùm adversâ aquâ aſcendant, ſi conſiſtere voluerint, iter, quod longo tempore confecerunt deperdent, citò unde venerunt redeuntes. *Beatus*, dilectiſſimi filii, *qui aſcenſiones diſpoſuit in corde ſuo* (*a*): & quales aſcenſiones? eas nempe, quibus *itur de virtute in virtutem*, donec *videatur Deus Deorum in Sion* (*b*). At e converſo miſer & miſerrimus, qui ſic abundare non ſtuduerit! numquam enim intrabit in Regnum Cœlorum. Hæc prima erit, & graviſſima in Inferno exiſtentium pœna, quòd ſcilicet Dei viſione perpetuò carebunt; quòd illum numquam videbunt, *in quem deſiderant Angeli proſpicere* (*c*), cujus viſio vita eſt æterna, & completa felicitas, ac ſuprema beatitudo. Nec ſolùm hoc illis eveniet; ſed perpetuis etiam gehennæ ignibus, ac innumeris ſuppliciis, in illa peccatoribus omnibus præparatis, cruciabuntur.

Oro, dilectiſſimi filii, Deum Optimum Maximum pro immenſa ſua in humanum omne genus caritate; Sanctorum omnium, quos ſupra nominavimus, pedibus hodie ſupplex obvolvor, ut èt ipſi interceſſionibus ſuis me adjuvent, rogantem eumdem met Deum, *ut caritas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu: ut probetis potiora, ut ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu juſtitiæ per Jeſum Chriſtum, in gloriam & laudem Dei* (*d*); *ut* ille ipſe *Deus ſpei*, & pater miſericordiarum *repleat vos omni gaudio, & pace in credendo: ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritus Sancti* (*e*). Amen.

HO-

(*a*) *Pſalm. LXXXIII. v. 6.*
(*b*) *Ibid. v. 8.*
(*c*) *I. Petr. I. v. 12.*
(*d*) *Ad Philipp. I. v. 9. & ſeqq.*
(*e*) *Ad Rom. XV. v. 13.*

HOMILIA LXV.

IN EVANGELIUM MARCI

CAP. VIII.

De ſeptem Panibus,

Habita Dominica XIII. poſt Pentecoſtem in Eccleſia Parochiali Lomatii (a) Diœceſis Mediolanenſis

ANNO MDLXXXIII. XXVIII. AUGUSTI.



QUis veſtrûm, dilectiſſimi filii, Regis alicujus, aut etiam primoris cujuſpiam Viri in Civitatem aliquam, vel locum vidit adventum; præſertim verò ſi ille is ſit, qui hominibus ad quos accedit, plurimùm poſſit prodeſſe? Quàm magnus ad eum ſit omnium concurſus! Tota Civitas in ejus occurſum ſe effundit; domus & plateæ vacuæ relinquuntur, ac obliti homines Patriæ, & omnium, quæ in ea poſſident, illum ſolum videre ſatagunt: quòd ſi etiam illius egeant ope, illum ſequuntur, ac ſeſe mutuò comprimunt, ut ad eum propiùs accedant. Magnum profectò hujuſmodi ſpectaculum, Marcus Evangeliſta nobis hodie proponit. Venerat Dei Filius, Rex Regum potentiſſimus, liberaliſſimus, atque in miſericordia dives; hic benefaciendo circuibat Civitates atque Caſtella, corporibus atque animabus beneficia maxima conferens; mortuos ſuſcitabat, omnium generum infirmitatibus detentos ſanitati reſtituebat, peccata dimittebat, vitæ viam docens, ac totum denique hominem ſalvum fa-

(a) Lomatii Vicus Mediolano XVI. ferè millibus paſſuum diſtans extra Cumanam Portam, media ſuî parte ſubeſt ditioni Comenſis Epiſcopi, & Parochum habet poſtremis hiſce temporibus titulo Præpoſiti decoratum; in ea verò parte, quæ ad Mediolanenſem Archiepiſcopum ſpectat, duo portionarii Parochi curandæ animarum ſaluti præſunt, ſub Plebe Aplani.

faciens. Tot viſa miracula, tot manifeſtata ſigna, tam præclaræ de illo exeuntes virtutes, tot inſignia beneficia, magnam in Populo erga illum reverentiam excitaverant; unde frequentiſſima ad eum hodierno Evangelio deſcribitur facta Turbarum acceſſio, quaſi quatuor millium hominum, præter mulieres & parvulos. Videre erat currentes iſtos, nec viæ difficultatem, nec aliud ullum incommodum æſtimantes, ſuî ipſorum, ne dum familiarium omnium negotiorum oblitos, ad montem, quò ſe, poſt filiæ Chananææ ſanationem, Dominus Jeſus receperat, properantes, ac alios quidem claudis ſuper humeros impoſitis, aut debilibus & infirmis, alios manu cæcos ducentes accedere, ac ſeſe invicem Propheticis ad id verbis inflammare, de quibus idem ipſe Iſaias prædixerat: *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes* (*a*); hos, inquam, audire erat ſeſe mutuò cohortantes: *Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem* (*b*). Quid cunctamur, o ſocii? quid non currimus ad eum, qui mirabilia fecit, qui èt paulò ante abſens, a longè poſitus, Chananææ filiam, quam nec viderat, nec tetigerat, ſanitate donavit (*c*), quem Deum eſſe, neceſſariò cogimur fateri? Hic ad montem ſe recepit: Ad eum ergo eamus, infirmos noſtros ad illum adducamus, & eos qui venire non poſſunt, humeris imponamus, ſanitatem certò conſecuturos. Pulcherrimum ſanè, filii, ſpectaculum, atque jucundiſſimum. Quid nos hodie prohibet Turbarum fidem ac religionem imitantes, iiſdem neceſſitatibus & infirmitatibus, ac etiam majoribus quàm illæ, expoſitos, ad Chriſtum accurrere inſtruendos, ſanandos, paſcendos etiam, ac reficiendos, qui ex monte illo Crucis ſanctiſſimo ad ſingulos adhuc clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* (*d*)? Turbæ quidem illæ in longinquam Regionem proficiſci debuerunt, ad Chriſtum in deſertis commorantem; longo & arduo corpus fatigante itinere, ac triduano præcedente jejunio, cibum tamdem cum ſaturitate ceperunt. At nobis non longè eſt proficiſcendum; non tam multi ſunt hodie ſuperandi labores, nec poſt tam longa jejunia, Dei in nobis munera percipiemus. Non ambulantes ſed ſeden-

(*a*) *Iſai. II. v. 2.*
(*b*) *Ibid. v. 3.*
(*c*) *Marci VII. v. 30.*
(*d*) *Matth. XI. v. 28.*

tes, non currentes ſed quieſcentes, non in deſerto ſed in Eccleſia, Chriſti Domini verbis paſcemur atque doctrinis, & ſanctiſſimo ipſius Corpore reficiemur, ac ſi qui ex nobis adhuc confirmati non ſunt, Sancti Spiritùs inſuper gratiam uberem, Confirmationis Sacramento percipient; qui verò e manibus noſtris Sacratiſſimum Chriſti Corpus ſument, Plenariam Indulgentiam, ac pœnarum remiſſionem aſſequentur. O quot Theſauri, tam parvo labore comparandi! Accedamus ergo omnes hodie, dilectiſſimi, ad Chriſtum: Accedant qui cæci ſunt, qui hactenus ſurdi, qui debiles, qui infirmi, qui ſcientià & cibo opus habent, qui denique etiam mortui ſunt: Exemplo Turbarum ad pedes ejus omnes nos projiciamus, qui multipliciter languemus, aut malè afficimur. Ecce nunc hodie Domine Rex Cœli, & terræ, *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis* (*a*), bonorum omnium auctor, currimus ad te, & *ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: ſed fac nobiſcum juxta manſuetudinem tuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiæ tuæ* (*b*); paſce nos hodie ſalutaribus monitis tuis, ac Divini ſermonis tui eloquio. Auditores, Turbas imitati, diſcumbite ſuper terram, & attendite, quia ecce vobis panes Dominus rumpens, per me ſtatim apponit.

Licèt ſæpius Turbarum numeroſam multitudinem ad Chriſtum accurrentem admirati ſimus, quando tamen èt hodie id præſens ſuggerit hiſtoria, quis etiam non abundè miretur? Sed non hoc ſolum miremur fratres; illos enim propria ad Chriſtum fortè adducebat neceſſitas, quem hominum indigentiis videbant affluenter providentem. Multò ampliùs id miremur, quòd, cùm meridiano Sole clariora eſſent Chriſti miracula, ſolæ tamen Turbæ, ac infimæ conditionis homines ea cognoſcerent, ideoque magna de Chriſto Domino ſentientes accurrerent: Nobiliores verò ac principes Viri, oculos habentes non viderent; excæcaverat enim eos illorum ſuperbia, & ideo Chriſtum ſequi dedignabantur. Deploranda ſanè Mundi nobilitas, magnitudo, atque potentia, quæ a ſupremo Bono homines magis elongans, debiliores reddebat & infirmiores! Venerat hyberno tempore Chriſtus in Mundum, cùm maximum iniquitatum ac peccatorum frigus homines corripuiſſet; erat verò Chriſtus, juſtitiæ Sol: ac ſicuti Sol hic corporeus, quem oculis cernimus, eo tempore terræ ſuperficiem ac altos colles minimè

(*a*) *II. ad Cor. I. v.* 3. | (*b*) *Dan. III. v.* 41. *& ſeq.*

mè calefacit, ſed ſubterraneæ potiùs cavernæ, altique putei tunc calorem retinent, ac frigus expellunt, eò quòd diſperſus omnis per terram calor, in illis uniatur; ſic qui in ſublimitate terræ tunc erant, qui ceteris præeminebant, frigore algentes, Chriſti radiis parum aut nihil calefiebant; at pauperes & humiles, in terræ, hoc eſt humilitatis centro conſtituti, vivifico magis illius calore fovebantur. Sed utinam èt nunc hujuſmodi hyems non eſſet! cùm ſicut ea ultima eſt anni pars, ſic Mundi hæc ultima ætas exiſtat, de qua quod ante fuerat prædictum, ſummis nunc lacrymis dicere cogimur, quia *refriguit caritas*, *& abundavit iniquitas* (*a*), quia nunc ſolæ ferè Turbæ, eæque pauciſſimæ Chriſtum ſequuntur.

Elias, cùm *in verticem Carmeli aſcendiſſet*, *& pronus in terram poſuiſſet faciem ſuam inter genua ſua*, *dixit ad puerum ſuum*: *Aſcende*, *& proſpice contra Mare*. *Qui cùm aſcendiſſet*, *& contemplatus eſſet*, *ait*: *Non eſt quidquam*. *Et rurſum ait illi*: *Revertere ſeptem vicibus*. *In ſeptima autem vice*, *ecce nubecula parva*, *quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari*, & paulò poſt, *Cæli contenebrati ſunt*, *& nubes*, *& ventus*, *& facta eſt pluvia grandis* (*b*). Sed quorſum hæc (dicitis filii)? Non abs re profectò: ſed ut intelligatis, quinam Chriſtum ſequantur, ac proinde ejus repleantur muneribus. Aſcendens nubecula de mari, Chriſti deſignabat Humanitatem elevatam in Cœlum, quò cùm pervênit, gratiæ ſuæ, & cœleſtium Spiritus Sancti donorum imbrem maximum demiſit in terram. Sed ubinam aquarum fiunt congregationes? Numquid in montibus, aut ſublimibus collibus? Minimè ſanè, ſed in depreſſis vallibus ac infimis locis; illos namque vix aquæ madefaciunt, in his verò conſiſtunt. At qui montes, qui ſunt valles? Principes ſanè & Optimates, montes ſunt; Turbæ verò ac infimi homines, valles ſunt: hi divinarum gratiarum ſunt ſtagna, hi divini caloris in hac Mundi hyeme receptacula; hi Chriſtum ſequuntur, ideoque ab illo, quidquid deſiderant, tacentes etiam plerumque conſequuntur. At in Cœlis, dicunt illi, ad Patris dexteram nunc reſidet Chriſtus; & nos, ſi inter nos eſſet, illum cum Turbis quòcumque pergeret ſequeremur. Imo *medius veſtrùm ſtat*, *quem vos neſcitis* (*c*), & quia non vultis, minimè videtis. Oſtendam ego vobis ipſum, ipſiuſque ædes in quibus reſi-

(*a*) *Matth. XXIV. v.* 12.
(*b*) *III. Reg. XVIII. v.* 43. *& ſeqq.*
(*c*) *Joann. I. v.* 26.

reſidet; voſque poſtea judices conſtituam, quorumnam, Turbarum-ne, an Nobilium major ad eum fiat concurſus.

Eſt in primis in Sanctiſſimo Altaris Sacramento Chriſtus Deus & Homo, illius anima & corpus, Humanitas atque Divinitas: Quotnam veſtrûm, qui ceteris imperare appetunt, ad hunc frequenter accurrunt? Certè cum lacrymis dico: Venimus nos ad vos, & qui ſecundùm carnem ſunt nobiliores, nobis volunt eſſe propinquiores, frequentiores nobis aſſiſtere: Inter vos Chriſtus Rex permanet, ad ſuum vos invitans convivium; & ſi ad hoc centum accedant, vix ex vobis, quos Mundus ſtultus & mendax Nobiles vocat, decem communicant; & qui Regis aut Principis terreni menſam ambiretis, cœleſtis Regis panem faſtiditis. Sed adhuc ulteriùs: in medio eorum, qui in nomine ſuo congregati pueros Doctrinam Chriſtianam docent, reſidet Chriſtus. Sed introëamus, obſecro, ad eum; quot ibi cum Chriſto Nobiles reperiemus? Nullos fortè; cùm dicant, puerile id eſſe ac viliſſimum munus. Canuntur in Eccleſiis matutina & veſpertina Officia Chriſto præſenti; Eccleſiam intramus; paucas aliquas mulierculas tantùm, aut pauperculos illic invenimus cum Chriſto. Ubi verò ſunt Nobiles? In plateis, in otioſo Foro, in choreis, etiam fortè in venationibus, in ſpectaculis plerumque obſcœnis. O miſeri, o miſeri! Quid igitur mirum, ſi pauperum ſolùm Regnum Cœlorum eſſe perhibetur (*a*), cùm ſoli pauperes, & Turbæ hîc Chriſtum Cœlorum Regem ſequantur? *Non ut confundam vos hæc* dico, *ſed ùt filios meos cariſſimos moneo. Nam ſi decem millia Pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos Patres. Nam per Evangelium ego vos genui in Chriſto Jeſu* Domino noſtro (*b*). Veſtris ipſe condoleo calamitatibus, quòd qui progenitoribus ac ſanguine ceteris illuſtriores, gregis veluti Arietes eſſe deberetis ac Ductores, ceteros ad Chriſtum perducendo, ab illis vos præcedi ſinitis; & ſurgunt indocti ignobiles pauperes & infirmi, & rapiunt Cœlorum Regnum; vos autem cum divitiis veſtris, ſcientiis nobilitate & honoribus in Infernum deſcenditis. Non ut ſuperbiatis, o pauperes, non ut exaltemini, o Turbæ, de veſtris hæc recenſuimus privilegiis; ſed ut *qui ſtatis, videatis, ne cadatis* (*c*); qui cum Chriſto eſtis, caveatis, ne ab eo recedatis, eique gratias habeatis ſempiternas, quòd, Nobilibus

(*a*) *Luc. VI. v. 20.*
(*b*) *I. ad Cor. IV. v. 14. & ſeq.*
(*c*) *I. ad Cor. X. v. 12.*

bilibus relictis, veſtro dignetur obſequio, ac *de lapidibus iſtis ſuſcitaverit Abrahæ filios* (*a*). Ideo hæc vobis omnibus pariter dicimus, ut quod illi ceteris præſtiterunt, eàdem fide vos ipſi peragatis: *Turbæ* ſiquidem *multæ*, *cùm* ad Jeſum *acceſſiſſent*, *habentes ſecum mutos*, *cæcos*, *claudos*, *debiles*, & *alios multos*: *projecerunt eos ad pedes ejus*, & *curavit eos* (*b*). Quis egregiam iſtorum fidem non admiretur, infirmos ſuos coram Chriſto projicientium, nec quidquam petentium labiis, aut exteriori voce! ſed ſic eos interiùs loquentes crediderim; Ecce Domine, quos amas, infirmantur. Bonitati tuæ ac caritati ſola infirmitatis oſtenſio, eſt ſanitatis efficaciſſima imploratio; neque enim immenſa pietas tua patitur, ut quos videris indigentes, iis tu miſericordiæ tuæ claudas viſcera: paratus es tu plus dare, quàm nos petere; potes tu ſanare, ſi vis; & te id velle non ignoramus: idcirco infirmos noſtros coram te projicimus, ut quod naturæ tuæ eſt proprium, tu illis exhibeas. Et cur-nam inſtantioribus a te verbis petamus, quod pro tua te bonitate facturum minimè dubitamus? Quo quidem egregio facto, pulchrè, filii, docemur, qualiter in infirmitatibus noſtris ad Dominum ſit accedendum, ut nempe coram illo nos projiciamus, prout èt Propheta ſe facere affirmabat, dicens: *Effundo in conſpectu ejus orationem meam* (*c*), & ut, quod Ezechias (*d*) Rex egit, nos quoque, memorandum illius ſequentes exemplum, confeſtim faciamus: Ille ſiquidem inimicorum literis acceptis, terroris atque minarum plenis, eas ante Templum expandit, id ſibi ſufficere exiſtimans, ut Deo tantùm, celerrimam pro ipſo vindictam ſumpturo, eas aperiret. Sic èt nos infirmitates noſtras in ſimplicitate ac fide confitentes detegamus; nam ſic quidquid in fide poſtulaverimus ſolis etiam animi & cordis labiis, nihil hæſitantes, illico ſicut èt Turbæ aſſequemur, quarum infirmos omnes curavit; *ita ut turbæ mirarentur*, *videntes mutos loquentes*, *claudos ambulantes*, *cæcos videntes*: & *magnificabant Deum Iſraël* (*e*): Verè namque *mirabilia ſunt opera tua Domine* (*f*), & mira eſt caritatis tuæ latitudo, longitudo, ac profunditas, quam qui non magnificant, ſe ad dona tua in poſterum recipienda reddunt indignos. Et quis tuam indeficientem munerum copiam non magnì faciat quam toti Mundo impertiri non deſinis, ſicut èt Turbis iſtis?

Quas

(*a*) *Matth. III. v. 9.*
(*b*) *Ibid. XV. v. 30.*
(*c*) *Pſalm. CXLI. v. 3.*
(*d*) *IV. Reg. XIX. v. 14.*
(*e*) *Matth. XV. v. 31.*
(*f*) *Pſal. CXXXVIII. v. 14.*

Quas cùm pauló ante paviſſet, nempe quinque panibus tot etiam hominum millia ſatiando (*a*); iterum nunc, ad oſtendendam immenſam ſuam bonitatem, & quòd nihil umquam vèl temporalium rerum deficiet illum ſequentibus, cùm turba multa eſſet, nec haberent quid manducarent, convocatis Diſcipulis ſuis, ait illis: *Miſereor ſuper turbam* (*b*). Sed cur Turbarum inopiam, ac magnam miſericordiam tuam, ardentemque illis ſuccurrendi voluntatem tu Diſcipulis tuis aperis Domine, antequam miraculum prodas? Num tibi aliqua in re opus erat eorum auxilio, ſive conſilio? Minimè certè: Ego enim, ais, illos elegeram de Mundo, non autem me ipſi (*c*), nec ulla eorum re indigebam; ſed tentans illos id feci, ac eorum fidem probans, ut, ex prioris miraculi recenti recordatione, fiduciam in ipſis excitarem ſimile petendi levamen Turbarum inopiæ. Inſuper etiam me ad id impulit utilitatis veſtræ deſiderium, ut, oſtendens, me miraculum hoc non oſtentationis gratiâ, ſed juſta coactum miſeratione facere, in operibus veſtris omnibus, præſertim verò bonis atque inſignibus jactantiam, veluti virus peſſimum, fugere exemplo meo vos docerem; ne tam levem ac vilem vobis mercedem humanæ laudis & gloriæ conſtituentes, eâ vos ipſos privetis, de qua dicitur, quòd *merces veſtra eſt magna nimis* (*d*). Ad hoc ergo te, dulciſſime Domine, illorum neceſſitas compulit, & ineffabilis miſericordiæ tuæ magnitudo, quæ èt te dicere prius coëgerat:

Miſereor ſuper turbam. O dulciſſima benigniſſimi Patris verba; o amoris atque piiſſimi affectûs pleniſſimas, o ſuaviſſimas voces! Et quid hiſce verbis nos non debemus, quando quidquid ſumus & habemus, miſericordia Dei eſt; quidquid etiam non ſumus & non habemus, ejus itidem ſumma eſt miſericordia? Annon quòd homines ſimus, ejus effecit miſericordia, qui cùm cetera omnia creaſſet, nos tamdem ad ſuî formavit imaginem atque ſimilitudinem? Annon deturpata ſimilitudo, ac variis deformata peccatis, infinitâ ejus miſericordiâ denuo redditur munda? Quis nos a tam multis peccatis liberat; quis nobis vitæ ſpatium ad pœnitendum tribuit; quis terræ fruges ac fructus nobis adeò abundantes largitur? nonne Dei miſericordia? Quis tam amplas nobis in Cœlo paravit ſedes? nonne eadem Dei miſeri-

(*a*) *Marc. VI. v. 37. & ſeqq.*
(*b*) *Ibid. VIII. v. 2.*
(*c*) *Joannis XV. v. 16.*
(*d*) *Geneſ. XV. v. 1.*

ſericordia? Miſericordia Deum e Cœlis traxit in terras; miſericordia Verbum carne induit; miſericordia, Dei Filium ligno Crucis affixit; *miſericordiæ* denique *Domini*, *quia non ſumus conſumpti* (*a*), quia miſeretur continuò ſuper nos turbam ſuam Dominus Deus. *Miſericordias* igitur *Domini* cum Propheta, fratres, *in æternum cantemus* (*b*), quia *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus* (*c*). O quanta eſt Dei miſericordia, quàm inexhauſtum pelagus, quàm profundum mare, quàm incomprehenſibilis illius miſerationis affectus! „ Deus enim ſumme miſericors (*d*), non ſecundùm paſ- „ ſionis effectum cenſendus eſt, ſed ſecundùm affectum; nam „ cùm miſericors quis dicatur, quaſi miſerum habens cor, quia „ ſcilicet afficitur ex miſeria alterius per triſtitiam, ac ſi eſſet „ ejus propria miſeria; & hinc ſequatur, quòd operatur ad de- „ pellendam miſeriam alterius, ſicut miſeriam propriam, ſitque „ hic miſericordiæ effectus: Deo certè triſtari de miſeria alte- „ rius minimè competit; ſed repellere miſeriam alterius, hoc „ ei maximè convenit, & ſublevare defectus inferiorum miſero- „ rum, & effundere ſive communicare eis bona, ideoque ma- „ gis proprium ei dicitur, quantùm ad nos, miſereri, quàm „ punire; juxta quòd etiam dicitur, *miſericordiam* ejus *ſuperexaltare* „ *judicium* (*e*). Quæ tamen omnia, filii, ſano modo ſunt intelligenda: in Deo quippe nihil exiſtit majus, aut minus; ſed cùm infinitus ſit, & ſummè ſimpliciſſimus, quidquid habet, infinitum eſt. Infinita ergo eſt illius miſericordia, infinita illius juſtitia, infinitæ denique ſunt omnes reliquæ virtutes, quas ſacra illi tribuit Scriptura. Verùm, etſi miſericordia & juſtitia reſpectu illius infinitæ dicantur, & ſint; ad opera tamen relatæ talem ſuſcipiunt magnitudinis rationem, quale eſt opus ipſum, a miſericordia vel juſtitia procedens. Quando ergo Deus ſæpe multa peccata dimittit, dicitur multùm miſericors, ſed quando parùm punit, parva quoque dicitur illius juſtitia; ideoque major dicitur miſericordia, quàm juſtitia, licèt ambæ infinitæ ſint, quia magis parcit & condonat, quàm puniat. Quàm multos etiam nunc Idololatras, Hæreticos, perfidos, blaſphemos, homicidas, contumelioſos, detractores, irreligioſos, libidinoſos, nefandos ac ſceleſtos homines ſuſtinet, quàm paucos nunc

(*a*) *Thren. III. v.* 22.
(*b*) *Pſalm. LXXXVIII. v.* 2.
(*c*) *Pſalm. CXLIV. v.* 9.
(*d*) S. Thom. 1. p. quæſt. 21. art. 3.
(*e*) *Jacob. II. v.* 13.

nunc punit! nec tamen dum punit obliviſcitur infinitæ ſuæ miſericordiæ: Unde meritò èt hoc agnoſcens Propheta clamabat: *Miſericordiâ Domini plena eſt terra* (*a*): quam, licèt hìc maximè parcendo peccatoribus exerceat, eoſque tolerando; exercet tamen èt in Cœlo, juxta quod ille idem dicebat: *Domine in Cœlo miſericordia tua* (*b*), in quo, quod electis ſuis dat, ex præcedenti profectò manat miſericordia. Imo & in Inferno ſumma illius viget miſericordia, ac ſuper infeliciſſimam illam turbam Dominus miſeretur, cùm damnatos punit citra condignum, & *cùm iraſcitur miſericordiæ ſuæ recordatur* (*c*). Vultis, cariſſimi, manifeſtè perſpicere, quàm Dei propria ſit vox: *Miſereor ſuper turbam*, quàmque ei congruat miſereri? Moyſes in magnifica illa viſione, in qua Domini gloriam tranſeuntem intuens, Dei creditur eſſentiam vidiſſe, ac in ea multas & admirabiles perfectiones; audite, quomodo inter eas ſummam hanc miſericordiam viderit, dum magnis vocibus exclamavit: *Dominator Domine Deus, miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis* (*d*).

Sed non hæc ſola in Chriſto vero Deo erat, Dei tantùm propria miſericordiâ; ſed èt humanâ verus homo miſeratione movebatur, eâque prout virtus eſt, & prout affectus: idque eò magis, quò variis laboribus & calamitatibus afflictus, famem inſuper & ſitim, ac corporis ex itinere laſſitudinem perpeſſus, ad miſerendum magis inducebatur; unde èt de eo Apoſtolus ſcripſit: *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato* (*e*); in eo enim, quod *tentatus* eſt, didicit èt his, qui tentantur, auxiliari. Quid porrò tota Chriſti vita, niſi continuus fuit miſericordiæ theſaurus? Omnia quæcumque faciebat, hac motus faciebat. Hac impulſus, Viduam, cujus unicus filius mortuus efferebatur, non ſolùm verbis eſt conſolatus, ſed èt redivivum ei illum reſtituit (*f*). Sic miſeratus in deſerto populum, quòd eſſent quaſi oves non habentes Paſtorem, ipſe tamquam bonus Paſtor & eorum languidos curavit, & doctrinæ pabulo refecit, & eſurientes etiam quinque panibus ſatiavit. Hoc igitur miſerendi officium, hoc munus, continua Domini Salvatoris opera extiterunt, quamdiu inter homines verſatus fuit, nempe *ſuper turbam miſereri*.

Sed

(*a*) *Pſalm. XXXII. v.* 5.
(*b*) *Pſalm. XXXV. v.* 6.
(*c*) *Tob. III. v.* 13., & *Habac. III. v.* 2.
(*d*) *Exod. XXXIV. v.* 6.
(*e*) *Ad Hebr. IV. v.* 15.
(*f*) *Luc. VII. v.* 15.

Sed quid te, obſecro, præter naturæ tuæ ſummam benignitatem ad miſerendum Turbis illis impulit Chriſte? nempe illorum triduani jejunii patientia, & quòd ex eis quidam de longè veniſſent, ideoque dicebas: *Miſereor ſuper turbam: quia ecce jam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt* (a). Cogor Domine in ſingulis verbis tuis infinitam tuam benignitatem admirans extollere. Quid dicis, quòd te *ſuſtinent triduò?* Tu illos potiùs ſuſtines triduò; illi ſi ſuſtinent, emolumenti ſui causâ ſuſtinent, ut ſanitatem recipiant, ac in primis, ut Divini verbi tui cœleſtibus doctrinis & eloquio reficiantur; cujus rei gratiâ, non triduò, ſed toto vitæ, licèt longiſſimæ, tempore & ipſi, & omnes quotquot in Mundo ſunt homines te ſuſtinere deberent. Et qualis eſt hæc eorum patientia, quæ tantum illis affert utilitatis? Imo quàm magna potiùs eſt tolerantia tua, longanimitas atque patientia, qua triduò cum rudibus illis & ignaris laborare ſuſtines, ut illos expolias, ac veluti incultos lapides Divini verbi tui malleo, ac præceptorum tuorum ictibus ornes? O Divini verbi abundantiam inæſtimabilem! Quàm copioſa & multiplicia in eo ſemper latent myſteria; quàm dives & locuples eſt officina, Evangelica litera; quàm multa tuis illis verbis & tu nos doces, & ex verbis tuis Turbæ etiam ipſæ docent! Duplices in illis conjicimus Magiſtros, utilia nos docentes; quæ ſi addiſcamus, nos feliciſſimos!

Auditores, duo hìc inter plurima a Chriſto diſcite hodie; duo itidem a Turbis; & ab illo, & ab his, alia duo. A Chriſto Diſcipulos convocante, ac illos quodammodo conſulente, diſcite quicumque præeſtis, inferiorum etiam ac vobis ſubditorum conſilia minimè rejicere, in iis potiſſimùm, quæ ad benefaciendum indigentibus pertinent: Ad id vos mira Chriſti dignatio alliciat, qui cùm æterni Patris eſſet Sapientia, illi verò rudes adhuc & ignari, iis tamen non dedignatur, quid facere intendat, communicare. Cùm verò eumdem Regem noſtrum Chriſtum tanta manſuetudine ac patientia cum vilibus Turbis (ſed Mundo vilibus: tales utinam nobis eſſe contingeret!) triduò commorantem auditis, eaſque docentem, eis beneficia præſtantem, ac illas etiam demum reficientem; diſcite omnes illos non faſtidire, quos tamdiu Chriſtus ſuſtinuit; illos non parvi-

 pen-

(a) *Marci VIII. v. 2. & 3.*

pendere, quos Dei Filius tantì fecit; neminem ex puſillis iſtis deſpicere, quorum Angeli vident continuò faciem cœleſtis Patris Dei (*a*).

Duo quoque vos religioſiſſimæ hæ Turbæ doceant; primùm quidem, in bene agendo conſtantem atque longanimem perſeverantiam, ex cujus defectu tam deploranda ſunt noſtra hæc miſerrima tempora. Ubi tria hìc mihi ſeſe offerunt ſummà admiratione proſequenda; divinorum in primis Chriſti verborum vis, quæ ita Turbarum illarum, & mulierculàrum, ac parvulorum etiam puerorum animos ad ſe rapiebat, ut famis, qua premebantur, & corporis ſui ac vitæ, cujus perdendæ periculum imminebat, & jejunii oblitæ, ſoli Chiſto attenderent: Tum admiratione ſanè digna eſt Turbarum pietas atque religio, & in Chriſtum fiducia, quòd, ubi eum alicubi eſſe reſcirent, ad eum accedere nullatenus vellent differre, nec panes ſecum tollere curarent, & ciborum obliviſcerentur; cùmque ad illum acceſſiſſent, triduò etiam jejunæ illum audiebant, nec cibum petendo, nec de inedia conquerendo. Sed quid inediam objicerent, cùm illud ipſum audire Chriſtum loquentem, ſuaviſſima eſſet refectio? Chriſtus *panis* erat, *qui de Cœlo deſcenderat* (*b*); *vitæ æternæ verba habebat* (*c*); ad quid ergo illis opus erat panibus, qui ad panem ſuaviſſimum accedebant? Relinquite, relinquite Turbæ domi panes veſtros: iis, qui ad Chriſtum accedunt, non eſt opus panibus, qui etiam, ſi vellet, dicere poſſet ut lapides iſti panes fierent; ſed *non in ſolo pane vivit homo*, *ſed in omni verbo*, *quod procedit de ore ejus* (*d*). Ille vos reficiet abundantiſſimè, quia nihil deeſt audientibus, & timentibus eum: *Junior fui*, *etenim ſenui*, *& non vidi*, filii, eos, qui Chriſtum ſequuntur, *derelictos*, *nec ſemen eorum quærens panem* (*e*). Tertiò demum deploranda magis eſt, quàm admiranda horum temporum calamitas; ſuſtinebant jejunæ Turbæ illæ triduò, Chriſtum loquentem audientes; & hodie ſi per horam vobis loquitur Chriſtus, o quantum plurimos capit tædium, quanta laſſitudo, quanta fames! Plerique oſcitant, multi dormiunt, nonnulli etiam ex Eccleſia recedunt. Et numquid fortè non ejuſdem eſt naturæ, proprietatis, ac virium ipſa Chriſti vox nunc, ac erat tunc? Imo ejuſdem eſt, nam

(*a*) *Matth. XVIII. v.* 10.
(*b*) *Joann. VI. v.* 51.
(*c*) *Ibid. v.* 69.
(*d*) *Matth. IV. v.* 4.
(*e*) *Pſalm. XXXVI. v.* 25.

nam ille ipſemet Chriſtus, qui tunc loquebatur illis, nonne loquitur vobis in nobis? *Non enim nos ſumus qui loquimur, ſed Spiritus Patri noſtri, qui loquitur in nobis* (*a*); *lingua noſtra calamus* eſt *ſcribæ velociter ſcribentis* (*b*); inſtrumentum eſt Dei, eam in quamcumque voluerit partem vertentis; ideoque tales inexcuſabiles ſunt, qui divina faſtidiunt, qui *propterea Dei verba non audiunt, quia ex Deo non ſunt* (*c*), quia Deum non amant; nam ſi amarent, eum ſemper loquentem vellent audire.

Sed mihi credant hi miſeri, quia èt ipſi loquentur & clamabunt, ſed Dominus illos non audiet, nec ipſe eorum voces ſuſtinebit. Hoc enim nobis omnibus voluit eſſe certiſſimum, quòd in *quacumque* ei *menſura menſi fuerimus*, *remetietur* & ipſe *nobis* (*d*); ſi nos eum dilexerimus, èt ipſe nos diliget; ſi nos eum audierimus, èt ipſe nos audiet; ſi triduo hujus vitæ illum ſuſtinuerimus, èt in æternum ipſe in Cœlo nos ſuſtinebit. O perſeverantia ſanctiſſima, o virtutum omnium corona ſublimiſſima, o præſtantiſſima virtus! Tu importunitate tua quidquid vis obtines; tu Deum tibi cuncta largiri compellis; tu opera noſtra coronas: qui te poſſederint, regnabunt; qui tecum certaverint, vincent; qui te comitem habuerint, quidquid aggredientur, rite perficient: quos tu repleveris, ditabis; quos tu inſtruxeris, inſuperabiles reddes; quos tu ornaveris, in cœleſte Regnum perduces. Non ſatis fuerat, filii, Turbis his primo die jejunare, non ſatis ſecundo, ſed èt perſeverantes in tertio, ſunt a Chriſto Domino ad ſaturitatem refectæ: non ſemel bene agere aut bis, ſed uſque in finem, dilectiſſimi, perſeverare oportet. O quàm *bonum eſt*, filii, *præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei* (*e*)! Audite, quàm ſæpe ad nobiliſſimam hanc virtutem vos in ſacris literis Dominus hortetur: *Nolite negligere*, *nolite ceſſare* (*f*): *Unumquemque ſicut vocavit Deus*, *ita ambulet* (*g*): *Sic currite*, *ut comprehendatis* (*h*). *State*, & *nolite iterum jugo ſervitutis contineri* (*i*): *Id*, *quod habetis*, *tenete*, *donec veniam* (*k*). Animadvertite, quæ perſeverantibus promittantur: *Eſto fidelis*, inquit Dominus, *uſque ad mortem*, & *dabo tibi coronam vitæ* (*l*): *Qui perſeveraverit uſque in finem*,

(*a*) *Matth.* 10. *v.* 20.
(*b*) *Pſalm. XLIV. v.* 2.
(*c*) *Joann. VIII. v.* 47.
(*d*) *Matth. VII. v.* 2., *Marci IV. v.* 24., & *Lucæ VIII. v.* 38.
(*e*) *Thren. III. v.* 26.
(*f*) *Judic. XVIII. v.* 9.
(*g*) *I. ad Corinth. VII. v.* 17.
(*h*) *Ibid. IX. v.* 24.
(*i*) *Ad Galat. V. v.* 1.
(*k*) *Apocal. II. v.* 25.
(*l*) *Ibid. v.* 10.

finem, hic ſalvus erit (*a*). Hoc humani generis atrociſſimus hoſtis Diabolus optimè noſcens, ſoli ſemper perſeverantiæ inſidiatur, quam ſolam virtutum novit coronari: Et numquid ad eam deſunt exempla? Perſeveravit Deus in Mundi creatione, donec complevit *die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat* (*b*); ſed ėt Chriſtus Dominus de ſe dicebat: *Opus conſummavi, quod dediſti mihi, ut faciam* (*c*): Job quoque ſanctiſſimus: *Juſtificationem meam, quam cœpi tenere, non deſeram* (*d*); demum Paulus *bonum certamen certavit, curſum conſummavit* (*e*).

Quis autem perſeverantiæ multiplices fructus conſiderans, illius non inflammatur amore? hæc ſiquidem a Deo impetrat, quod vult; unde ėt Chriſtus Dominus hoc innuens dicebat: *Si perſeveraverit pulſans: etſi non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios* (*f*), de amico illo importuno loquens, qui ad amici januam pulſans tres panes commodatò poſtulabat. Quis umquam in bono opere perſeveravit, qui Dei miſericordiam non invenerit? Perſeveravit Magdalena ad tumulum Domini, recedentibuſque Diſcipulis non receſſit, ideoque prior illis reſurgentem Dominum videre meruit (*g*). Perſeveravit Chananæa, aſſiduis precibus opem Domini implorans, nec toties repulſa ceſſit, tamdemque audire meruit: *O Mulier, magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis* (*h*). Perſeveravit triduò in oratione Sara Tobiæ Junioris uxor, & poſt ſeptem virorum funus, virum tamdem ſanctiſſimum conſecuta eſt (*i*). Virtutem hanc ſolam Dæmones timent; hæc enim illos ſuis omnibus prædis ſpoliat; hæc ſola Cœlorum ſedes implet; hæc ſola beatos efficit homines. O quale documentum, doctiſſimæ Turbæ, nobis hodie traditis? Sed præter id, labores omnes pro Chriſto ferendos etiam inſinuatis, cùm de longinquo venientes nec viæ difficultas, nec itineris aſperitas, nec ullum aliud incommodum, a pio vos Inſtituto retardavit. O quàm gratum eſt Domino quidquid pro ipſo, licèt modicum, toleramus! quomodo laborum ipſe noſtrorum miſeretur, cùm miſericordiæ ſuæ cauſas Diſcipulis recitans, *quidam*, inquit, *ipſorum de longè venerunt!*

Sed

(*a*) *Matth. X. v. 22., & XXIV. v. 13.*
(*b*) *Gen. II. v. 2.*
(*c*) *Joann. XVII. v. 4.*
(*d*) *Job XXVII. v. 6.*
(*e*) *II. ad Timoth. IV. v. 7.*
(*f*) *Luc. XI. v. 8.*
(*g*) *Joann. XX. v. 11.*
(*h*) *Matth. XV. v. 28.*
(*i*) *Tob. III.*

Sed ex dictis & a Chriſto, & a Turbis, diſcite filii, valde timendum eſſe jejunis, ne in via deficiant; idcirco cùm viatores omnes ſitis, ad Patriam tendentes cœleſtem, longaque ad illam vobis ſuperſit via, cavendum vobis eſt, ne inediâ deficiatis: quibus autem cibis vos reficere debeatis, certè licèt hìc congruè poſſet tractari, aliàs tamen commodiùs proſequemur. Secundò attendite, non iis modò, qui a longè ſunt, ad Chriſtum eſſe accedendum, eumque triduò ſuſtinendum; ſed èt iis, qui propè ſunt atque vicini. Non ſoli peccatores ad Chriſtum debent converti, ſed èt qui converſi ſunt, eidem debent adhærere; non ſolis illis ad Chriſtum adducendis Dei verbum eſt neceſſarium, ſed èt his in Chriſti unione retinendis, qui niſi perpetuò eumdem proximè ſequantur, facillimè ab ipſo elongantur: Sicut enim aqua ex ſuî natura frigida, ſi igne calefiat, remota ab igne, ſtatim ad priſtinum frigus revertitur; ſic a natura ad malum inclinati cùm ſimus, niſi continuò Chriſto hæreamus, ad pravæ naturæ mores revertimur.

Poſtquam verò Chriſti benignitatem perpenderimus, ſuper jejunam Turbam miſerentis, conſideratione non indigna videtur Diſcipulorum reſponſio: *unde illos, quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine* (*a*)? Cernite illorum imperitiam, aut potiùs ſtoliditatem, cernite craſſam oblivionem. Viderant paulò ante, quinque panibus Chriſtum multa pariter hominum millia ſatiantem, nec illis in mentem veniebat Domino dicere: non difficile tibi Magiſter èrit hos ſatiatos dimittere, qui èt aliàs hoc præſtitiſti, & cui hæc non ſunt impoſſibilia. Sed humanæ ac ſtultæ innixi prudentiæ ex multorum conſideratione in diffidentiæ incidunt crimen; potiſſimùm verò Turbarum numeroſam multitudinem, & loci ſolitudinem perpendentes. Quàm hinc apertè conjicitur, illos poſt tam multa a Chriſto viſa miracula, non perfectam tamen ipſius Divinitatis fidem habuiſſe, quam ſi intrepidè credidiſſent, non hæc certè reſpondiſſent; aliàs Dæmone ipſo infideliores extitiſſent, qui èt in deſerto illum, ſi Dei filius fuiſſet, lapides potuiſſe in panes convertere affirmabat (*b*). Sed quid mirum, ſi talis eſt & tam infirma omnis humana prudentia, ſi adeò debilis, ſuis ſolis innixa viribus? Arundo, mihi credite filii, illa eſt, & quidem fracta, cui qui innituntur, in terram cadunt, & perforant manus; quam qui ſibi

(*a*) *Marc. VIII. v.* 4. | (*b*) *Matth. IV. v.* 3.

ſibi magiſtram proponunt, in diffidentiam incidunt, Divina, quæ incomprehenſibilia ſunt, humano judicio metiri molientes. Horum tamen nunc infirmitas in agnitionem magnitudinis Divinæ gratiæ vos inducat, cùm, quales poſt illius plenitudinis adeptionem redditi fuerint, conſiderabitis; quales, inquam, poſtquam deſcendit ſuper eos Spiritus Sanctus. Non tunc certè diffidebant amplius; ſed totam ſuam ſolicitudinem cogitatumque omnem in Domino conſtituentes, omnia ſibi ab eodem ſperabant, & ceteris neglectis ſoli Divino cultui, & animarum vacabant ſaluti. Verùm & hæc omnia Chriſtus illis propoſuit, & quotnam panes ſecum haberent quæſivit, ut miraculi excellentia fieret manifeſtior, ac Divinæ providentiæ ſublimitas clarior. Cùm ſeptem igitur panes adeſſe audiviſſet, *præcepit Turbæ diſcumbere ſuper terram*.

Sed veſtras laudes, o Turbæ, hìc ego omittere nullatenus poſſum, dum tam multas hodie in vobis, tamque inſignes contemplor virtutes. Secutæ vos Chriſtum eſtis; triduò illum prædicantem ſuſtinuiſtis, & quidem jejunæ; nec tamen rogatis, ut de cibo vobis provideat, nec quòd eſuriatis, doletis: Nihil autem vos loquentes neque clamantes exaudit Dominus, atque irrequiſitus adeſt, ſubvenire paratus; jubet, ut ſuper terram diſcumbatis; nec vos cauſam perquiritis, aut ſubmurmuratis dicentes: quid hìc nos ſedere præcipit, cùm in domos noſtras ſit properandum, ne fame pereamus? aut ſi de cibo nobis cogitat dando, quidnam ſunt ſeptem panes inter tot hominum millia? Sed promptè obedientes, & nullam mandati cauſam perquirentes, diſcumbitis. O maledicta in præceptis implendis indagandæ cauſæ ſuaſio! Hæc noſtrarum omnium calamitatum origo fuit atque principium: *Cur*, inquit ſerpens, *præcepit vobis Deus, ut non comederetis de ligno* (*a*)? O infelix Eva miſeriarum noſtrarum mater, quia ſuadenti, ut præcepti cauſam inquireres, aures præbuiſti! Quantò ſatius, quantòque nobis fuiſſet utilius, ſi cum Turbis his ſuper terram diſcubuiſſes, & quod tibi præceperat Dominus, perfeciſſes! Noverat obedientiæ hujus meritum Abraham Sanctiſſimus (*b*), qui præcipienti Deo, ut unigenitum Filium ſuum, in quo tam multas promiſſiones acceperat, ſacrificaret, non curioſè aut timidè objecit: unde mihi ſpes erit ea aſſequendi, quæ tam munifica in Filio hoc es mihi pollicitus Do-

(*a*) *Gen. III. v. 1.*

(*b*) *Ibid. XXII.*

Domine, cùm ego jam ſenex aliis generandis filiis impotens ſim? ſed cæcè & promptè accurrens, ſumpto ſecum filio, ad montem perrexit, illic ſine mora ulla Domino obtemperaturus. Viderat hoc Cæcus (*a*) ille quidem corpore, mentis tamen viſum habens acutiſſimum, qui a Chriſto ſanitatem accepturus, non quòd ipſe medicamenta adhiberet omnino humano judicio contraria, lutum oculo imponens, quod excæcandis magis erat hominibus accommodatum, quàm illuminandis, attendit; ſed fideliter illud ferens, viſum, quo ſemper a nativitate caruerat, recuperavit. Utilitati animarum veſtrarum nos conſulentes, quæ vobis perniciosa ſunt ac Deo diſplicentia, amovere ſtudemus: diſtrictè præcepimus, ne diebus feſtis, quos totos Deo debetis, tripudiis vacetis, aut ſcurrilibus ſaltationibus; ſed vos quàm diſſimiles eſtis Turbis! Quàm multa objicitis, quàm multas cautelas quæritis; dum alii opponitis, in aliis regionibus hæc non prohiberi; alii dicitis: nonne ſatis eſt Miſſæ ſacrificio interfuiſſe, ac veſpertinis officiis? cur non reliquo diei tempore nos recreemus? Nolite filii, nolite Spiritum Sanctum ſtultè interrogare, aut docere: ſcit ipſe, quid vobis expediat; non præcipit niſi quæ vobis ſunt ſalutaria; diſcumbite, diſcumbite ſuper terram, oculos claudite, obedite, ùt jumenta eſtote coram Deo (*b*); ſinite vos ad ſui libitum pertrahi: mihi credite, quia ad æternam vos felicitatem perducet; mihi credite, quia bona vobis omnia præſtabit; ſicut èt diſcumbentes hos hodie pavit: quod fortè non feciſſet, ſi morem gerere recuſaſſent.

Nam *accipiens ſeptem panes, gratias agens fregit, & dabat diſcipulis ſuis, ut apponerent* (*c*). Sed quid panibus iſtis ſeptem opus habueras Domine, quibus tam multos ad ſaturitatem reficeres? Nonne cibos ex nihilo ad id poteras creare, qui ex nihilo *Cœlum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt* creaveras (*d*)? Poteram quidem (te audio reſpondentem); ſed paucos hos panes volui, ut hoc agens exteriùs, quid a te requiram o anima interiùs diſceres. Ego te, ut me ipſo in æternum fruaris, ut mecum ſine fine regnes, ut ſis perpetuò felix & beata, creavi: hoc tibi ipſe me ſolo præſtare poſſem, nullo tuo accedente merito aut labore; ſed, ſicut Turbas paſcere volens, paucos illos panes requiſivi, ſic te ad æternam gloriam parans adducere, pauca

(*a*) *Joann. IX. v. 6.*
(*b*) *Pſalm. LXXII. v. 23.*
(*c*) *Marc. VIII. v. 6.*
(*d*) *Pſalm. CXLV. v. 5.*

pauca a te opera tua requiro, quæ illius comparatione, multò ſunt pauciora, quàm ſeptem panes, reficiendarum numero comparati: Qui ergo te ſine te creavi, non ſalvabo te ſine te; ſed ſi vis venire poſt me, abneges temetipſam oportet, & tollas Crucem tuam, & ſequaris me (*a*).

Præſtantiſſimum hoc tu nobis Domine dogma præbuiſti: Sed ètalia multa diſcimus, quæ ad animæ noſtræ, & corporis ſimul actiones omnes perficiendas ſpectant. Nam, cùm panes accipiens gratias agis, cognoſcimus, quàm tibi ſit gratum, cùm ad cibum ſumendum accedimus, ne veluti bruta inſipientia accedamus, in præſepe ſtatim os & dentes ponentia, nec unde accipiant cogitantia; ſed hoc priùs nos diligenter inſpicientes fateamur, quia *oculi omnium in te ſperant Domine: & tu das eſcam illorum in tempore opportuno* (*b*). Non ſit hodie Patresfamilias, qui adeſtis, ullus veſtrùm, qui in poſterum filios ſuos aut famulos comedere permittat, niſi præmiſſa benedictione, orationeve, ac ſigno Crucis, & in fine gratiarum actione peracta. Terreat vos Monialis illius Virginis exemplum, quæ hortum ingreſſa, lactucæ capta pulchritudine, ſigni Crucis oblita, cum lactuca Dæmonem comèdit, a quo acerbiſſimè vexata, cùm ille adjuraretur: quid mihi, inquit, eſt culpæ, ſi me illa lactucæ inſidentem ſponte devoravit? Pudeat Chriſtianos homines, filii, omnibus ſuis in rebus nobiliſſimum hoc Crucis non præferre vexillum, degeneres adeò eſſe a priſcis illis Chriſtianis, qui omnibus id præmittebant (*c*). Sed quanta eſt hæc ingratitudo, cùm cibum, & omnia quibus vivimus ac nutrimur a Domino accipiamus, minores tamen ei, quàm hominibus gratias habere? Vocat te Chriſtiane amicus in domum ſuam, præbet tibi prandium; gratias agere non deſinis: Nutrit te quotidie Dominus; id tibi præbet abundè, quod aliis multis, & fortè te ſanctioribus, deeſt; *non enim facit taliter omni Nationi* (*d*), prout tibi: & inſalutato hoſpite, nullis redditis gratiis a menſa recedis? Vide, obſecro, num ad id, quod ſuadeo, quodque exemplo ſuo te edocet Chriſtus, ipſa etiam te

non

(*a*) *Matth. XVI. v. 24., & Luc. IX. v. 23.*
(*b*) *Pſalm. CXLIV. v. 15.*
(*c*) Præclarum hujus rei teſtimonium perhibet Tertullianus in Libro *de Corona Militis* Cap. III., ubi ait: „ Ad omnem progreſſum, „ atque promotum (ideſt inflexionem), ad „ omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad „ calciatum, ad lavacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcumque nos „ converſatio exercet, frontem CRUCIS ſignaculo terimus. „ Id verò ex Apoſtolica traditione profluxiſſe docet Sanctus Baſilius Libro *de Spiritu Sancto* Cap. XXVII., aſſerens, ſuo tempore *vulgatiſſimum, omnibus notiſſimum, & uſitatiſſimum, ut ſigno CRUCIS eos, qui ſpem collocant in Chriſto, ſignarent &c.*
(*d*) *Pſalm. CXLVII. v. 20.*

non impellat urbanitatis, & humanæ prudentiæ ac gratitudinis ratio?

Sed èt ſecundò hìc frugalitatem a Domino diſcite filii; videte, quid Turbis his porrigat manducandum; panes ſolùm, ac paucos quoſdam piſciculos. Sed cur Domine ſolo pane, ac paucis his piſciculis Turbas has paſcis, cùm alia multa ſint, aut videantur hodie hominibus neceſſaria? Cur non capos, perdices, gallinas, phaſianos, pavones, cervos, vitulinas carnes multipliciter condîtas apponis? Hæc omnia, filii, ſuperflua ſunt, panis autem neceſſarius; illa ad luxum, hic verò ad cibum; illa ad libidinem atque crapulam, hic autem ad debitam corporis ſuſtentationem. O Mediolanenſes: *Uſquequo gravi corde* (*a*)? Quando tamdem luxûs veſtri abominationem horrebitis? Non ſatis fuit, vobis Sapientem dixiſſe: *Initium vitæ hominis* eſſe *panem*, *&* *aquam* (*b*); monuiſſe iterum aliàs, ut diligenter, quæ vobis appoſita ſunt conſiderantes, *ſtatuatis cultrum in gutture veſtro* (*c*), appetitum cohibeatis? Non ſatis fuit, Chriſti Domini ſobrietatem, ac victûs temperantiam conſpexiſſe? Attendite ſaltem hodie, Turbæ dilectiſſimæ, quales vos doceat cibos eſſe quærendos Dominus veſter. Et quæ eſt iſta veſania, ut quidquid in ſudore vultûs veſtri acquiritis, plurimi veſtrûm unico die devorent? Quanta infelicitas, quòd ob gulam veſtram filii veſtri mendicare cogantur! O turpiſſimum cogitatu, nedum dictu, ut multi ex vobis de hoc nefando voracitatis vitio apud proximas Civitates, ac exteras etiam Regiones diffamati, epulones exquiſitiſſimi, & in gulæ magiſterio doctiſſimi & eruditiſſimi habeantur! Conſiderate, obſecro, primis Mundi ante Diluvium temporibus, quàm multos annos homines numerarent: Et cur id putatis, niſi quia quæ vobis ſunt præcipua, illi maximopere fugiebant, libidinem ſcilicet, & gulæ vitium fœdiſſimum, quod, etiam Ethnico homine perhibente (Seneca), plures interfecit, quàm gladius? Diſcite igitur hinc frugalitatem in Chriſtianis omnibus requiſitam; ſuperflua ori veſtro ſubtrahite, & pauperibus ac Chriſto date. Num èt hujus vos o divites non creditis, exactiſſimam eſſe reddituros rationem, quòd cuilibet ex vobis paſcendo tam multa exigantur, quæ vendita, viginti & plures ad ſaturitatem paſcerent pauperes? Idcirco cavete, ne luxus hic veſter æternam vobis famem, ac inextinguibilem in Inferno pariat ſitim.

(*a*) *Pſalm. IV. v.* 3.
(*b*) *Eccleſiaſtici XXIX. v.* 26.
(*c*) *Prov. XXIII. v.* 2.

Hìc autem mira divinæ benedictionis vis ſilentio minimè prætereunda ſe offert, quæ tam paucos panes tam copioſè multiplicavit. Quis, obſecro, putatis efficiat, ut unicum granum in terram projectum, quinquaginta & plura ſibi ſimilia producat? ut exiguæ plantæ tam abundantes proferant fructus? Omnia hæc quidem, audite Prophetam vos manifeſtè docentem, unde proveniant: *Dominus*, inquit, *dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum* (*a*). Domini benignitas, ejuſque benedictio nobis hæc univerſa largiuntur: quòd ſi tam utilis eſt atque proficua illius benedictio, ut èt temporalia hæc bona multiplicet; quis exprimere valeat, quàm ejuſdem ſit timenda maledictio, quàm pernicioſa ſit Eccleſiæ Matris veſtræ ac Sponſæ ſuæ maledictio, quam qui Matrem non habet, Deum certè Patrem nequit habere? *Benedictio Patris*, inquit Sapiens, *firmat domos filiorum: maledictio autem Matris eradicat fundamenta* (*b*); idcirco eam timete. Maledicit illa choreas ducentibus, feſto die ſaltantibus; fugite choreas, & omnia, quæ illa deteſtatur cenſuris & interdictis, ne ejus ſubjacentes maledictionibus, domorum veſtrarum ac familiarum fundamenta eradicentur.

Verùm ut ad finem noſtra deducatur oratio; manducaverunt Turbæ, & ſeptem illis panibus ſaturatæ ſunt, & ſuſtulerunt Diſcipuli, quod ſuperaverat de fragmentis, ſeptem ſportas. In hujus figuram, viginti hordeaceis panibus centum homines pavit Eliſeus (*c*). O divinæ providentiæ magnitudinem! quæ ubi univerſa deſunt humana ſubſidia, tu ſola, neceſſaria omnia in te confidentibus ſuggeris. Et quid vobis Apoſtoli videtur? Unde panes tam multis reficiendis emendi in ſolitudine? Deus omnes has difficultates ſuſtulit, ut ſe ſequentibus minimè deeſſet: quod & nunc & ſemper omnibus in ſe confidentibus præſtat abundè.

O miſeri homines, ad vos ego hæc ipſa Apoſtolorum verba converto. In ſolitudine eſtis, o peccatores qui cum Deo non eſtis; ubi quamdiu eſtis, fame conſumimini. Unde ergo in ſolitudine hac panes habere poteſtis? Quid eſt, quod vos hìc ſatiare poſſit ullatenus? Et quæ hæc eſt ſtultitia, ſpiritum corporalibus ac terrenis velle paſcere cibis? Cur non veros cibos inquiritis, cur non ad Chriſtum accurritis, cur eum non ſequi-

(*a*) *Pſalm. LXXXIV. v.* 13.
(*b*) *Eccleſiaſtici III. v.* 11.
(*c*) *IV. Reg. IV. v.* 42. & 43.

ſequimini, quem tam benignè Turbas paſcentem audiſtis? Cur porcorum ſiliquis magis delectamini, quàm filiorum Dei, quàm Angelorum panibus? Cur cum filio illo Prodigo non conſideratis, quanti mercenarii in domo Patris veſtri abundant panibus, vos autem hic fame peritis (*a*)? Cur peccatum non fugitis? *Quid eſt Iſraël*, o videntes creati, *quòd in terra inimicorum eſtis?* quòd *inveteraſtis in terra aliena, coinquinati eſtis cum mortuis: deputati eſtis cum deſcendentibus in infernum* (*b*), qui deſignati fueratis Regni cœleſtis cohæredes? Agnoſcite tamdem ſtatûs veſtri miſeriam; agnoſcite, quàm vilibus hactenus cibis paſcamini, Mundi hujus vanas voluptates ſectantes, noxia hæc atque terrena tanto ſtudio perquirentes. Turbæ hodiernæ de longinquo ad Chriſtum acceſſerunt; vos a Chriſto in longinquum cum Prodigo illo Adoleſcentulo receſſiſtis, omnem ſubſtantiam veſtram diſſipaſtis; adhæſiſtis uni civium, nempe Carni, aut Mundo, ſeu Diabolo. Cur omnem in eo veſtram ſpem vos collocatis? Videte, videte, qualem ipſe de vobis rationem habeat; nam mittit vos in villam paſcere porcos ſuos, cùm ſenſibus veſtris, ac irrationali appetitui ſervitis; porcorum vos cibis reficit, ſed neque ad ſatietatem, nam, licèt terrena hæc omnia poſſideatis, numquam tamen avarus auro ſatiabitur, aut deliciis vir luxurioſus. Intra vos tamdem redite, & ad Patrem veſtrum accurrite: Filium extra ſe egredientem eſtis imitati, imitamini èt intra ſe redeuntem, & unà cum eo, ac his felicibus Turbis accedite ad Chriſtum. Curramus omnes, & a longè clamare incipiamus: *Pater, peccavimus in Cœlum, & coram te: jam non ſumus digni vocari filii tui;* diſſipavimus omnes noſtras ſubſtantias; *fac nos ſicut unum de mercenariis tuis* (*c*). Miſerere noſtrì, Domine miſericordiſſime, qui tam copioſè hujus es Turbæ miſertus; de longè ad te venimus, grandis nobis ſupereſt via; ſi dimiſeris nos jejunos, deficiemus in via. Paſce igitur nos hic gratiæ tuæ ſanctiſſimis panibus, ut demum cœleſtis gloriæ excipias convivio. Amen.

(*a*) *Luc. XV. v.* 17.
(*b*) *Baruch. III. v.* 10. *& ſeq.*
(*c*) *Luc. XV. v.* 18. *&* 19.

HOMILIA LXVI.

IN EVANGELIUM MARCI

CAP. VIII.

De ſeptem Panibus,

Habita Dominica XIII. poſt Pentecoſtem in Eccleſia Parochiali Lomatii Diœceſis Mediolanenſis

ANNO MDLXXXIII. XXVIII. AUGUSTI.

F*ECIT tertio Imperii ſui anno Aſſuerus grande convivium cunctis Principibus, & pueris ſuis, fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & Præfectis Provinciarum coram ſe, ut oſtenderet divitias gloriæ Regni ſui, ac magnitudinem atque jactantiam potentiæ ſuæ; præpoſitique erant menſis ſinguli de Principibus ſuis* (*a*). Facit hodie quoque Rex Cœli & terræ Chriſtus convivium grande, ſed parvum; humile, ſed ſublime; frugale, ſed opiparum; atque in his omnibus multò mirabilius primo illo: Illud namque Rex potentiſſimus fecit, qui *regnavit ab India uſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem Provincias*; hoc verò paravit, ſecundùm Humanitatem, Filius Fabri & Mariæ pauperrimus Chriſtus, qui non modò Regnum ullum non poſſidebat in hoc Mundo, ſed etiam, cùm *vulpes foveas haberent, & volucres Cœli nidos*, huic tamen *ubi caput ſuum reclinaret non erat* (*b*). Ille inclytis viris fortiſſimis, & Provinciarum Præfectis prandium exhibuit; hic vilibus Turbis, & pauperibus mulierculis ac pueris: illis Optimates & Principes; his rudes & idiotæ piſcatores Chriſti Diſcipuli miniſtrabant; illis varia ferculorum genera, & optimè condita, nec non èt generoſa vina proponebantur; his verò modicus panis, & pauci quidam piſciculi: Locus illius con-

(*a*) *Eſth. I. v. 3. & ſeqq.* | (*b*) *Matth. VIII. v. 20., & Luc. IX. v. 58.*

convivii Regio ornatu erat inſtructus: *Pendebant ex omni parte tentoria aërii coloris, & carbaſini, ac hyacinthini, ſuſtentata funibus byſſinis atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur;* hi ſuper terram diſcumbere jubebantur: illis cibi in vaſis aureis & argenteis afferebantur; ab his parvula fragmenta, quæ ſuperaverant, ligneis ſportis colligebantur. Attamen in his omnibus cedat Aſſuerus Chriſto, cedant fortiſſimi illi Viri Turbis imbellibus, cedant Principes illi nobiliſſimi rudibus piſcatoribus Apoſtolis, cedant fercula illa & vina his pauperibus panibus atque piſciculis, cedat locus ille regius nudæ terræ, cedant denique vaſa illa ſportulis ligneis. Tu Aſſuere terrenorum eras Regnorum Dominus: hic Cœlum & terram creaverat ex nihilo, ipſiuſque *erat terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo* (*a*): Convivæ tui fortes erant in bello, quia hoſtes fortiter debellaverant, pluresque jugulaverant; inermes hæ Turbæ Mundum calcaverant, Carnem domaverant, Dæmones expugnaverant, ſe ipſos tamdem vicerant, qua nulla eſt major victoria: Miniſtri tui ſingularum erant Principes Regionum; at piſcatorum iſtiuſmodi *ſonus exivit in omnem terram, & in fines orbis terræ verba eorum* (*b*), ſuntque in regeneratione, cùm venerit Filius hominis vivos & mortuos judicare, èt ipſi Orbem univerſum judicaturi (*c*). Fercula illa tua multa multis appoſita, quid mirum ſi eos paſcebant? Sed quàm admirandum, quòd pauciſſimis panibus atque piſciculis, quatuor hominum millia, extra mulieres & parvulos, qui in ſacris hiſtoriis numerari minimè conſueverunt, ſaturarentur! Præterquamquod illi corporibus tantùm ſatiati receſſerunt, horum verò mentes præter hoc, divini verbi ſunt eloquiis refectæ, ac infirma etiam corpora ſanitati reſtituta. Ea, quibus convivii locus fulgebat, erant terrena; hæc verò, ſuper quam diſcubuerunt, terra Cœlo æquabatur, quam non aurei tapetes, aut periſtromata ſerica, ſed Chriſti miracula, ac diſcumbentium egregiæ ornabant virtutes. Vaſa denique illa cibos tantùm inferebant, hæ verò ſportæ, quos non intulerant, exportabant. O mirabile convivium, o verè humile, tenue, frugale, atque pauperrimum, ſi paſcentem, ſi convivas, ſi miniſtros, ſi cibos, ſi locum, ſi ſportas conſideremus! Sed o itidem verè ſublime, opiparum, ſplendidum, atque ditiſſimum, ſi hæc eadem omnia diligentiùs expendamus! Verùm ceſſat omnis in

(*a*) *Pſalm. XXIII. v. 1.*
(*b*) *Pſalm. XVIII. v. 5.*
(*c*) *Matth. XIX. v. 28.*

in me admiratio, Chriſte Deus, cùm te convivii auctorem inſpicio, qui quidquid vis potes, cui nihil eſt impoſſibile. Unde autem ceſſat admiratio, ſancta quædam & ardentiſſima cibi creſcit appetentia: Eàdem filios hos meos video fame tabeſcentes, quorum etiam multi de longè, hoc eſt de regione umbræ mortis atque peccati, venerunt. Longum nobis ſupereſt iter, antequam perveniamus ad Patriam, conficiendum; patieris ergo nos fame perire? Non patieris profectò; ſed miſereberis noſtrì, dummodo èt nos Turbas imitati te proſequamur. Hodie, Filii, Chriſtum vobis indicantem audietis, qua ſit via incedendum, ut ipſi adjungamini; multa itidem vos egregia & pulchra docentem, multiplices denique vobis panes & lautiſſimos cibos proponentem. Clamat Chriſtus ad vos: *Venite ad me qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos* (*a*): Ejus ego nomine pro paterna mea dilectione vos obſecro, ut mentis & corporis aures aperiatis, quæ ſunt animæ os, ita ut manducantes & ſaturati, in domos veſtras hodie hinc recedentes, abeatis.

Duo ſunt rerum omnium principia, Chriſtus, & peccatum; ille quidem bonorum omnium fons & origo, iſtud malorum omnium, pœnarum, atque calamitatum efficiens cauſa atque initium: Ille ut bona nobis omnia largiretur, Deo nos unire modis omnibus ſtuduit, ac æterno Patri reconciliare quos peccatum ad creaturas converſos, a Deo recedere ſuaſerat. Unionem hanc Chriſtus e Cœlis in terram deſcendens, ſibi veluti finem ac ſcopum præfixit, in quem omnia quæcumque fecit & dixit, dirigebantur. Quid illum ex Virgine naſci coëgit? Hujus unionis ſtudium. Quid illum per Civitates & Caſtella interdiu prædicando diſcurrere, & noctes inſomnes ducere, atque orando conſumere fecit? unionis hujus ſtudium. Quid illum ligno Crucis ſæviſſimo affixit? unionis hujus ſtudium: Hoc illum defatigavit toties, hoc corpus illius univerſum vulneravit, hoc capiti ejus ſpinas impoſuit, hoc illum e medio ſuſtulit: Ab hac unione nobis Dei gratia, ab hac nobis cœleſtis gloria, ab hac denique nobis bonorum omnium cumulus emanavit. O ſanctiſſima unio, o jucundiſſima vincula, quibus Deo colligamur, non ſtuppâ aut lino, ſed Chriſti Dei Filii laboribus contorta! Infeliciſſimi nos, qui quod ille tanto ſtudio, tot laboribus, tanto ſanguine nobis acquiſivit, adeò facilè rejicimus atque reſpuimus! E Cœlis Deum audio altiſſima voce clamantem: O miſeri

(*a*) *Matth. XI. v.* 28.

miſeri mortales Filio meo ingratiſſimi, illius ſanguini rebelles; quantam ei vos infertis injuriam, cujus tam multos labores, atque ſtudia omnia & opera irrita facitis! Duo ſunt potiſſimùm, dilectiſſimi, quibus veluti glutino ac vinculis Deo uniri nos facilè poſſumus, Fides nempe & Caritas: Hæc duo nobis nunc quoque in Cœlo regnans Chriſtus procurat, &, dum in terris eſſet, procurare non deſtitit tum eximiarum virtutum ſuarum exemplis, cum præcipuis etiam quibuſdam ac evidentiſſimis miraculorum ſignis. Sed, cùm plurimis, iiſque maximis ſuam nobis Divinitatem manifeſtam reddere poſſet, ea tantùm in primis edere ſatagebat, quibus beneficentiæ in nos ac miſericordiæ ſuæ viſcera oſtenderet, ut miraculis Fidem in nobis aſtrueret, & muneribus ſuis dilectionem conciliaret. Ideo non montes e locis ſuis tranſtulit, non maria ſiccare curavit, aut Civitates & Provincias ſolo nutu tranſportare, quamvis hæc facillimè potuiſſet efficere, cùm omnia creaſſet ex nihilo; ſed miracula ea, ùt diximus, in primis faciebat, quibus & ad Fidem doceremur, & ad ſuî inflammaremur amorem. Ac ut cetera multa hujuſmodi ſigna ſilentio prætereamus, videte, quàm appoſitè hodierno convivio, atque multiplici miraculo utrumque ſit Dominus Salvator noſter aſſecutus: nam & morborum curationibus, & panis multiplicationibus, ſe Deum eſſe oſtendebat; ſolus enim Deus verbo ſanare poteſt infirmos, ac ex nihilo aliquid facere. Inſuper etiam infirmis ſanitatem reſtituens, & famelicos paſcens, in ſuî ardentiſſimum amorem Turbas excitabat, quæ licèt tigridibus & leænis fuiſſent feriores, & ferrea ac adamantina pectora habuiſſent, tot tamen & tanta munera recipientes, nonniſi ſummopere illum amare potuiſſent. O verè convivium ſuaviſſimum & ſapidiſſimum, in Turbis, & in nobis etiam omnibus tot Fidei & Caritatis fructus producens! Verè, filii, culpâ maximâ vacare nemo noſtrûm poſſet, ſi illud ſicco pede tranſiret; ſed minutè nobis omnia ſunt & exactè perpendenda, ac ſingula Evangelici textûs verba conſideranda, utpote quæ maximis ſint redundantia myſteriis.

Tria ſunt perſonarum genera, quæ huic interfuere convivio; quæ ſingula copioſiſſimè nos docent plurima ad ſalutem noſtram ſpectantia. Nam Chriſtus in primis ſeſe mihi offert convivii Dominus, cujus non poſſum non admirari profundiſſimam humilitatem, cùm Diſcipulos ſuos quodammodo conſulens, Turbarum neceſſitatem illis exponit; paternam dein pietatem, dum earumdem

dem neceſſitatibus compatiens; *Miſereor*, inquit, *ſuper turbam: quia ecce jam triduò ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt* (*a*); ejus denique Regiam liberalitatem divinamque potentiam, cùm & ſanitatem illis reſtituit, & tam paucis panibus illos abundè ſatiavit. Cùm autem ſecundo loco miniſtrantes Apoſtolos intueor, tria èt ipſi mihi conſideranda proponunt; ac in primis quidem valde reprehendendam, nec maximâ culpâ vacantem diffidentiam animique ſtupiditatem, cùm non multos ante dies ſimili viſo miraculo, humanâ tamen providentiâ divinam metientes immenſitatem inquiunt: *unde illos quis poterit hìc ſaturare panibus in ſolitudine* (*b*)? tum duo imitatu digniſſima, commendabilem ſcilicet promptitudinem, atque eleemoſynæ largitatem, qua paucos indigentiis ſuis reſervatos panes, de ſe nihil curantes, pauperibus dandos liberaliſſimè exponunt, ac cæcam quamdam obedientiam, qua Chriſto imperanti morem gerentes, Turbas diſcumbere faciunt. Tertio denique loco nec Turbæ convivæ ocioſæ remanent, ſed èt ipſæ ſapientiſſimæ nos edocent tria; eamdem in primis cæcam obedientiam, cùm, præcipientibus Diſcipulis, nihil perquirentes ſuper terram diſcumbunt; tum in ſpiritualibus exercitationibus, Divini potiſſimùm verbi auditu, tolerantiam, atque egregiam perſeverantiæ virtutem, qua triduò illum loquentem audientes ſuſtinuerunt, & quidem jejunæ; tum poſtremò continuam Chriſti ſequelam: neque enim ab ipſo vocari aut perquiri expectant, ſed ultrò, ſponte ac liberè, ubi Chriſtus eſſet audientes, relictis omnibus, & neceſſitatum corporis oblitæ ad ipſum velociſſimè accurrebant, nec ulla ratione ab eo poterant dimoveri. Sed hæc omnia, licèt non eo, quo propoſuimus ordine, Evangelica verba ad examen revocando aptè comperiemus.

Erat igitur Turba multa cum Jeſu, quæ ad eum [ùt Matthæus refert (*c*)] quem in Montem ſeceſſiſſe cognoverat, cum infirmis ſuis atque ægrotantibus confluxerat. Ubi primùm, licèt miram Turbarum religionem, atque in Chriſtum animi propenſionem aliàs laudaverimus, decies tamen adhuc laudata placebit, ut ejus commendatio nos ad Chriſti ſequelam inducat. Sed quonam pacto te Chriſte Domine ſequemur, cùm te minimè videamus; cùm nos in terris, tu verò in Cœlis exiſtas; cùm tu ad Patris dexteram glorioſus reſideas,

(*a*) *Marc. VIII. v.* 2. *&* 3.
(*b*) *Ibidem v.* 4.
(*c*) *Cap. XV. v.* 30.

deas, nos verò hìc miſeri in lacrymarum valle peregrinemur? Non corporis, ſed ſpiritûs greſſibus, filii, Magiſtrum noſtrum ac ducem inſequi nos oportet: ac ſicuti canes, quem non vident Dominum ſuum, facilè tamen & citò reperiunt, acutiſſimo olfactu illius veſtigia perſentientes; ita, cùm Dei Filium nos corporeis oculis conſpicere non valeamus, viam certè per quam ambulavit, *in odorem unguentorum illius currentes* (*a*), hoc eſt virtutum ejus fragrantiam odorantes non difficilè reperiemus, per quam incedentes, licèt ipſe regnet in Cœlis, eum nihilominus ſequemur, quem ſemper itineris ſocium habebimus, qui *juxta eſt iis, qui recto ſunt corde* (*b*). Verùm quomodo ſequamur eſt attendendum; multi enim ipſum ſecuti, quò ipſe pervênit, non meruerunt aſcendere. Sequebantur Chriſtum Phariſæi, & multi, illius vitam improbando, diabolicæ virtuti miracula tribuendo, calumniarum materiam inquirendo, mortem ei ſemper parando; qua etiam ratione agnos lupi ſequuntur, ac feræ aliæ, ſed ut mactent, devorent, atque conſumant. Hi ergo in peccatis ſuis mortui, Chriſtum hoc modo ſequentes, in barathrum perpetuæ damnationis corruerunt: ſic èt Judas in horto orantem ſecutus eſt, ut in manus illum traderet inimicorum. Sequuntur ſic Chriſtum perfidi omnium temporum Hæretici, dum in Sanctam Matrem Eccleſiam, cujus ipſe eſt Caput & Sponſus, oculos ſemper intendunt, non ut obtemperent ſalutaria ſuadenti, verùm ut, ſi fieri poſſet, conculcent, *adversùs quam* tamen *Inferi portæ non prævalebunt* (*c*); quos utinam quidam, qui Catholica profeſſione cenſentur, non ſequerentur, cùm Chriſti capitis membra, hoc eſt piè ac religiosè viventes Dei ſervos obſervant, non ut imitentur, ſed, ſi fieri poſſit, a Domini via retrahant, ſibique ſimillimos reddant. Alii præterea ſola curioſitate ducti Chriſtum ſequebantur, ut quæ mira operabatur, viderent; quemadmodum cùm ad Lazarum ſuſcitandum acceſſit, multi, ut quid fieret noſcerent, illum ſunt ſecuti: Horum etiam ſequela ſine fructu eſt, licèt tamen ſit quandoque ſanctæ ac fructuoſæ ſequelæ principium; ideoque non ea contenti, ulteriùs progredi debemus. Sic multi ad Conciones accedunt, ut Concionatoris facundiam admirentur, aut rerum multarum cognitionem atque ſapientiam; qui tamen plerumque non inde recedunt, niſi in corde ſauciati Divini verbi ſagittis, quæ adeò ſunt agiles atque ſubtiles, ut quòcumque voluerint facillimè penetrent.

(*a*) *Cant. Cantic. I. v.* 3. | (*b*) *Pſal. XXXIII. v.* 19. | (*c*) *Matth. XVI. v.* 18.

Sunt ėt alii, qui Chriſtum rite, & ùt decet ſequuntur, in ipſum credentes, eumque miro amore proſequentes; non tamen ſemper ſequuntur, ſed ſolùm cùm beneficia recipiunt, cùm panes manducant, cùm ad menſam invitantur: At cùm pergit ad Crucem, fugiunt omnes, aliqui etiam illum negant interdum. Ex his verò o quàm multos facilè veſtra hæc ætas enumerat, qui ad tempus credunt, in die verò tentationis recedunt; qui quamdiu proſpera de Dei manu recipiunt, illum benedicentes, ac gratias agentes ſequuntur: quòd ſi per anguſtos aliquos calles ad Crucem aſcendere contigerit, terga vertunt, & ad Mundum, ac concupiſcentias ſuas ſequendas convertuntur, de quibus fortè Sapiens dicere videbatur: *Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis* (*a*). Verùm his omnibus omiſſis, utpote qui cum Chriſto partem in Regno, ad quod per Crucem tenditur, habere non poterunt: Ultimi ſoli verè ipſius aſſeclæ dici poſſunt & debent, qui ſemper, & quovis tempore, ad cœnam, & ad Crucem, & in arduos montes conſcendentem, & per planitiem deambulantem ſequuntur, quem ex corde amant, de quibus ėt nos Chriſto dicere poſſumus: *Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis, & in domeſticis tuis fiducialiter aget* (*b*); quos videte, quomodo ėt ipſe veluti fideliſſimos amicos tractet & nominet, dicens: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis* (*c*); nec verò abſque ampliſſimo fructu mihi eſtis amici; nam *ėt ego diſpono vobis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo: & ſedeatis ſuper thronos judicantes duodecim Tribus Iſraël* (*d*). Felices verè atque beati, qui Chriſtum hac ratione ſemper ſequuntur! Hoc ejus Mater Virgo Sanctiſſima optimè noverat, quæ recedentibus ceteris ab eo numquam poterat divelli, ſed *ſtabat juxta Crucem* (*e*) flens; noverat illa, quæ fuerat in Civitate peccatrix, quæ Chriſti pedes ſemel amplexa, numquam ampliùs dimittere voluit; noverant ceteræ Mariæ, illum ad mortem ſequentes; noverat priùs Cæcus ille natus, Scribarum & Phariſæorum maledicta contemnens, ipſique ſoli adhærere eligens; noverant ėt hodiernæ Turbæ, quæ propriis domibus ac conſanguineis relictis, neque eorum quibus egebant memores, Chriſtum quòcumque ibat ſequebantur, nec itineris difficultatem, aut viæ longitudinem, ſeu aliud quidpiam metuentes.

Qui-

(*a*) *Eccleſiaſtici VI. v.* 10.
(*b*) *Ibid. v.* 11.
(*c*) *Joann. XV. v.* 14.
(*d*) *Luc. XXII. v.* 28. *& ſeqq.*
(*e*) *Joann. XIX. v.* 25.

Quibus, o utinam, filii, nos connumerari poſſimus, Chriſtum non modò ita ſequentes, ſed amplectentes etiam, nec umquam dimittentes! Id autem multiplicium ejus fit imitatione virtutum, quæ veluti greſſus ſunt Chriſti, ac ſemitæ quas calcavit. Sequuntur Chriſtum, qui ſemetipſos abnegantes, Crucem ſuam tollunt; qui mites ſunt, & humiles corde; qui cor a terrenis fluxiſque rebus abducunt, illudque ſeriò figunt in cogitatione cœleſtium, & doctrinæ, quam Chriſti vita expreſſit, operum, mortis, ac beneficiorum jugi meditatione, ejuſque myſteriorum contemplatione delectantur. Sequuntur Chriſtum, qui illum intuentur naſcentem, viventem, morientem, qui illum audiunt docentem, qui admirantur miracula edentem; ſequuntur Chriſtum, qui ſperant in Chriſto ſpe viva ac caritate formata, cum Propheta dicentes ex corde: *Nobis autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem noſtram* (*a*); ſequuntur Chriſtum, qui veluti oves vocem ejus audiunt, ad quos Samuelis verba referri poſſe videntur: *Si timueritis Dominum, & ſervieritis ei, & audieritis vocem ejus, & non exaſperaveritis os Domini: eritis & vos, & Rex qui imperat vobis, ſequentes Dominum Deum veſtrum* (*b*); qui a Mundo, & fallaciis ejus animum ſeparant, eidem quem nominavimus Samueli morem gerentes, ad Iſraëliticum populum dicenti: *Veruntamen nolite recedere a tergo Domini, ſed ſervite Domino in omni corde veſtro. Et nolite declinare poſt vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos, quia vana ſunt. Et non derelinquet Dominus Populum ſuum, propter nomen ſuum magnum: quia juravit Dominus facere vos ſibi populum* (*c*); ſequuntur denique Chriſtum, qui illum puro amore ſuper omnia diligunt, ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus ſuis; qui eum in omnibus actionibus, & in omni vita ſua ſemper habent præſentem: *Hi* omnes *ſequuntur Agnum, quòcumque ierit* (*d*). Quòd ſi ideo Reges atque potentiſſimi Principes, plures habent aſſeclas atque ſe comitantes, quòd ab iis multa ſperari poſſint; quis obſecro, ex hac præſertim cauſa magis ſequelam meretur, quàm Chriſtus, qui ſequentibus ſe tam multa poteſt & vult retribuere, qui multiplices habet manſiones in Cœlis, qui adeò & tam mirificè diligentes ſe diligit? Quàm magnum, quæſo, eſt præmium, quàm incomprehenſibile, *Agnum* poſſe *ſequi, quòcumque ierit*; Chriſti miniſtrum eſſe, eumque ſequi, & ubi ipſe erit, illic miniſtrum ejus eſſe (*e*)! Certè ſi jam, ubi ſit Chriſtus, reco-

(*a*) *Pſalm. LXXII. v.* 28.
(*b*) *I. Reg. XII. v.* 14.
(*c*) *Ibid. v.* 20. *& ſeqq.*
(*d*) *Apocal. XIV. v.* 4.
(*e*) *Joann. XII. v.* 26.

recogitetis, æternam hic in his verbis felicitatem eum ſequentibus proponi animadvertetis. Ubinam enim nunc Chriſtus eſt? Certè ad dexteram Patris, in æterna gloria, in ſuprema beatitudine; illum ergo ſequentes, illuc pervenient, ſicut hodiernæ Turbæ illum ſecutæ, ad montem tamdem, ubi ipſe Chriſtus erat, pervenerunt: nam qui per hanc Mundi viam illius inſiſtunt veſtigiis, montem ubi Chriſtus eſt, *montem*, inquam, *Domini pinguem*, *&* *coagulatum* (*a*) attingent. Neque verò hoc ſolo præmio propoſito illum ſequentes potiuntur, quod tamen ſatis ſuperque eſſe debuiſſet, ut nos ad ardua quæque & difficilia ſubeunda impelleret; ſed etiam in via ambulantibus ac peregrinantibus munera multa Chriſtus largitur: Inter hæc autem, tria potiſſimùm ſunt, quæ hodie Turbis his Evangelicis præſtitit; quarum ipſe curavit infirmos, mentes edocuit, corpora pavit.

Si Chriſtum ſequamur, infirmitates noſtras curabit, pelletque languores, cùm peccata dimittet; qua ratione etiam Magdalenæ Sanctiſſimæ, Chriſtum ſequentium Anteſignanæ, peccata cuncta dimiſit; ipſe nos in lege ſua inſtruet, ac docebit nos facere voluntatem ſuam; ipſe denique multiplici nos pane reficiet, ſe ipſo in primis, qui *panis eſt de Cœlo deſcendens* (*b*), & *panis vitæ* (*c*). Quis te jam ergo Chriſte non ſequatur Medicum piiſſimum, Doctorem eruditiſſimum, Paſtorem amantiſſimum? Quem, licèt duriſſimum, tot a te præſtita munera ad te non attrahent? Quis te per ardua quæque incedentem, libenti animo ac prompto non comitabitur? Ego certè in poſterum præter te neminem ſequar, tibi ſoli adhærebo, a quo ſolo beatus effici poſſum, in te ſolum, me meaque omnia dirigam. Vos verò, filii, quid ultra Mundum ſequimini, quid Carnem, quid Dæmonem, quid poſt concupiſcentias veſtras ambulatis? Cur Mundo, ejuſque ſectatoribus, quos jam nominavimus, ultra adhærere ſtatuitis? Miſeri! videte, quam veſtri rationem habeant, quales vobis tribuant honores, quid vobis conferant. Mittit vos quilibet eorum in villam ſuam, paſcere porcos ſuos; & ſaltem neceſſaria vobis ſuppeditaret! quinimo fame vos perire permittit, ut de ſiliquis porcorum ſaturari deſiderantes, id minimè conſequi poſſitis (*d*). Quid, obſecro, mundani homines, vobis præſtitit Mundus? quid, præter vanitatem & afflictionem ſpiritus? Quid, o peccatores, a peccati ſequela reportaſtis? *quem fructum habuiſtis in illis,* *in*

(*a*) *Pſalm. LXVII. v. 16.*
(*b*) *Joann. VI. v. 50. & ſeq.*
(*c*) *Ibid. v. 35. & 48.*
(*d*) *Luc. XV. v. 16.*

in quibus nunc erubeſcitis (*a*)? Quid vobis Dæmon dabit, niſi pœnas, niſi ignes, niſi perpetuos cruciatus atque tormenta? Quid a divitiis o Avari, præter ſolicitudines, curas, anguſtias, mortem etiam plerumque animæ & corporis, recipietis? Quid eſt, o mortales, quod ab iſtis vobis dari expectetis, quæ dare non poſſunt, cùm non habeant? Chriſtum ſequimini; cum Chriſto, filii, permanete, qui ſequentes ſe *nimis honorat*, qui *eorum principatum nimis confortat* (*b*), qui *mercedem magnam nimis* (*c*) illis præparavit. Dubitas-ne Petre, fore, ut in vanum, ac ſine præmio Chriſtum ſequereris, cùm ad illum converſus dicebas: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis* (*d*)? Sed audi illius, quem ſequeris, liberalitatem: *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraël* (*e*). Jam verò ſequi Chriſtum eſtis parati, modò viam ſciatis.

Viam aliàs ego requiſitus vos docui; imo per me Domini Spiritus docuit: primam quidem humilitatem eſſe; ſecundam pariter; tertiam ſimiliter; omnes denique vias humilitatem eſſe. Ecce ergo primam jam Chriſtus vos docet, cùm, convocatis diſcipulis ſuis, ait illis: *Miſereor ſuper Turbam.* Æterna Patris Sapientia erat Chriſtus; in ipſo erant *omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei* (*f*); ipſe veritatis erat Magiſter & Doctor: rudes erant, & rerum omnium ignari illius Diſcipuli, piſcatores, inexperti: & tamen illos in conſilium adhibet, ab ipſis quaſi de modo edocendus; illis Turbarum neceſſitatem, & ſuæ erga Turbas miſerationis exponit affectum. Sed non ob aliud certè, niſi ut eos, qui ſibi ſapere videntur, inſtruat, ceterorum non eſſe ſpernenda conſilia, utque iis qui præſunt, ſive in civilibus ſive in ſacris regimen habeant, inſinuet, ſubditos eſſe quandoque conſulendos atque audiendos; cùm ſit maximæ ſuperbiæ ſignum, ſeſe ceteris omnibus præferre, neglectis aliorum opinionibus; cùm tamen, ad humilitatis virtutem in nobis cuſtodiendam, ſæpe revelet parvulis Deus, quæ Magnis & Optimatibus abſcondit, ipſomet Chriſto perhibente, ac æterno Patri gratias agente, quòd *abſcondiſſet hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſſet ea parvulis* (*g*). Mirabile profectò hujus rei nobis præbuit exemplum Moyſes, Deo acceptiſſimus vir, qui cùm Deum facie ad faciem vidiſſet, fuiſſetque ipſum crebrò collocutus,

(*a*) *Ad Roman. VI. v.* 21.
(*b*) *Pſalm. CXXXVIII. v.* 17.
(*c*) *Geneſ. XV. v.* 1.
(*d*) *Matth. XIX. v.* 27.
(*e*) *Ibid. v.* 28.
(*f*) *Ad Coloſſ. II. v.* 3.
(*g*) *Lucæ X. v.* 21.

tus, & Magiſtri atque Doctoris loco habuiſſet; Jethro tamen cognati ſui Idolorum cultoris reprehenſionem excepit æquo animo, conſilium audivit, ac opere adimplevit: Nam cùm ei, quid faceret perquirenti, Moyſes reſpondiſſet: *Venit ad me Populus quærens ſententiam Dei. Cùmque acciderit eis aliqua diſcrepatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges ejus.* Ait illi Jethro: *Non bonam rem facis: ſtulto labore conſumeris & tu, & Populus iſte, qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia, & erit Deus tecum. Eſto tu Populo in his quæ ad Deum pertinent, ut referas quæ dicuntur ad eum: oſtendaſque Populo cæremonias & ritum colendi, viamque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Provide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint avaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decanos, qui judicent Populum omni tempore: quidquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipſi minora tantummodo judicent: leviuſque ſit tibi, partito in alios onere* (*a*). Quibus auditis tantum abeſt, filii, ut indignatus ſit Moyſes (quod multi hodie ſapientuli facerent) ut etiam omnia quæ ille juſſerat promptè adimpleverit. Quid obfuit, quæſo, Naaman Principi Militiæ Aſſyriorum (*b*), ab ancilla ſua recepiſſe conſilium? Imo verò plurimùm profuit; nam illam audiens, & in Iſraël vadens, ab Eliſeo dirà, qua operiebatur, leprà fuit liberatus. Sed ſapientiæ noſtræ (aliquos audio reſpondentes) non parvam facimus jacturam, inferiores audiendo. Falleris profectò quicumque talia dicis; imo unde jacturam metuis, ornamentum acquiris. Eſt margarita auro longè pretioſior; auro tamen circumdata atque colligata, pulchrior apparet: Sic ſapientiam tuam inſigniorem reddit atque clariorem humilitatis adjunctio. Imitare ipſe ſapientes, ſi te ſapientem exiſtimas: Audi Auguſtinum ſublimiſſimum Eccleſiæ Doctorem, totius Africæ, imo totius Mundi columnam firmiſſimam, qui adeò fuerat eruditus, ut Paſtor noſter Ambroſius in publicis ſupplicationibus cum omni Populo & Clero oraret ad Dominum, ut liberaretur ab Auguſtini eloquentia, facundia, atque dialectica (*c*). Hic tam multos libros

(*a*) *Exod. XVIII. v. 15. & ſeqq.*
(*b*) *IV. Reg. V.*
(*c*) Traditio de hac prece, *a Logica Auguſtini libera nos Domine*, quæ per omnium ora percurrit, & a Sancto Ambroſio creditur inſtituta, ac publicè in ſupplicationibus recitata, remotæ antiquitatis teſtimonio caret; cùm neque Ambroſius ipſe, aut Paulinus, aliique eorum temporum Scriptores quidquam enuncient de tam ſolemni precatione, quæ celebris procul dubio eſſe debuiſſet, ſi & auctorem Ambroſium, & ad cœleſtes Aras praxim Fide-

bros conſcripſerat, tam multas hæreſes confutaverat, tam multis Catholicam Chriſti Fidem veluti propugnaculis doctrinarum ſuarum atque librorum communierat; & tamen audi, quid dicat: *Ego ſenex, & Epiſcopus paratus ſum a puero diſcere*. Audi Hieronymum, Virum rerum cognitione inſtructiſſimum, ſcientiarum omnium etiam humanarum arcam, linguas innumeras callentem, Scripturæ Sacræ ſenſus ſubtiliſſimè penetrantem, ad quem tot undique ex omnibus Mundi partibus, ab omnibus doctiſſimis nobiliſſimis & Sanctiſſimis Viris, etiam Imperiali & Pontificia Majeſtate inſignitis, literæ mittebantur, ut in rebus dubiis quid ipſe ſentiret, ceteris ſignificaretur: Audi, inquam, hunc Sanctum: *Nolo*, ait, *uti proprio judicio, peſſimo conſultore*. Sed quid ego Sanctos in medium adduco, quos ſi omnes audiremus, idem certè cum his duobus dicentes audiremus? Ipſos Ethnicos ſapientiæ amatores audite: Socrates ſeneſcens, ſe a quolibet doceri non dedignabatur; exiſtimabat enim ſe hoc unum ſcire, quòd nihil ſciret. Multi ex illis, quæ noverant, minimam partem eſſe affirmabant eorum, quæ neſcire profitebantur: omnes denique qui aliquid ſapientiæ deguſtarunt, cum ſapientiſſimo Salomone ſenſerunt, *non innitendum eſſe* cuiquam *prudentiæ ſuæ* (*a*); cùm multa a multis diſcere poſſimus, & multorum adjuti conſiliis tutiùs incedamus, ac ſapientiæ palmam citiùs conſequi valeamus: inferiorem planetarum curſum imitantes, qui proprio motu parùm progrediuntur; at motu alieno, breviſſimo vigintiquatuor horarum ſpatio, Orbem totum circumeunt. Et certè ſuperbiſſimi ſunt, qui ſua aliorum præponunt conſiliis, nullius ſe ope indigere putantes; ac ex hoc ipſo inſipien-

Fidelium oſtentaſſet, adeòque univerſorum ſilentio involvi non merebatur. Itaque arbitror, poſterioribus ſeculis uſurpari cœpiſſe hoc effatum, ut acre ingenium Auguſtini in propugnandis Maniehæorum & Academieorum Seetis denotaretur; cùmque ignotum poſtmodum foret, a eujus ore primùm prodiiſſet, fuiſſe Ambroſio tributum. Ceterùm Auguſtinus Mediolani degens, nullas diſputationes inſtituit, ob quarum captioſa ſophiſmata reſellenda, Divinum implorari auxilium a ſupplici Mediolanenſium Cœtu deberet; ſique aliquando id contigiſſet, non adeò enervis erat Sancti Ambroſii doctrina, ut abſque piis Cleri populique ad Deum clamoribus, ea diſſolvere non valeret. Hæc proferre libuit, ut inanis hujus traditionis fundamenta prorſus everterem. Fontem tamen deſignare poſſumus, a quo illa emanavit, Sermonem videlicet *de Baptiſmo Sancti Auguſtini*, qui in editione Pariſienſi Operum Sancti Ambroſii peracta anno MDXLIX., tributus eſt huic Sancto Doctori; in eo enim iſta leguntur: *Auguſtinus tantà interdum pertinacià, & diſputationis ſuæ acrimonià ac vehementià nos urgebat, ut inter ſupplicationes noſtras, quòd Deus ab ejus captionibus nos averteret, rogare coacti ſimus*. Ex hiſce verò Ambroſii verbis perſpieuum redditur, concinnatam fuiſſe formulam illam ſuperiùs enuneiatam; cùm nondum compertum tunc eſſet, Sermonem illum tanto Antiſtiti noſtro fuiſſe ſuppoſitum, atque indignum exiſtimatum a Monachis Benedictinis Sancti Mauri, qui in noviſſima Ambroſii editione recuderetur; quemadmodum animadvertit Cajetanus Maria Merati in adnotationibus ad Gavantum Tom. II. Part. I. pag. 370. editionis Romanæ.

(*a*) *Prov. III. v. 5.*

pientibus ipſis longè ſunt inſipientiores, dicente in Proverbiis Salomone: *Vidiſti hominem ſapientem ſibi videri? Magis illo ſpem habebit inſipiens* (*a*), omnia quippe illi deſunt, qui nihil ſibi putat deeſſe; qui ubi dixit, ſufficit, ibi defecit; ubi ſibi placuit, ibi periit. Sed èt hoc plerumque accidit, ut propria conſilia perniciem nobis afferant atque calamitatem; aliena verò utilitatem maximam atque emolumentum. Utrumque hoc in ſeipſo Joſeph expertus fuiſſe videtur, quem proprium excellentiæ ſuæ ſupra ceteros ſomnium, in fratrum invidiam ac tot injurias, quas ab illis eſt paſſus, induxit; aliena verò ſomnia Pincernæ, & Piſtoris, & Pharaonis ipſum non modò e carceribus, in quos fuerat injuſtè conjectus, eduxerunt, ſed èt totius fecerunt Ægypti Præfectum (*b*). Diſcamus ergo omnes, horum, quos audiviſtis, ſed Chriſti in primis hodierno exemplo, nimiùm nobis minimè confidere, ſed alios quandoque audire, ac eorum admittere conſilia, ut Chriſti Domini infinitam miſericordiam conſequamur; qui poſtquam diſcipulos ſuos ad ſe vocaverat,

Miſereor, inquit, *ſuper Turbam*. Quæ te mi Domine verba magis decuerant, qui miſericordiæ fons es, & in miſericordia ditiſſimus, quàm hæc, quæ ſuper Turbarum inopia protuliſti? Beati, quibus tu miſereris, quorum compateris neceſſitatibus! nam miſerendo ſubvenis, & ſubveniendo miſereris; ac ſi quandoque auxilium protrahis, abundantius tamen poſtea largiris, & miſericordiam præſtas, ad quam multis nominibus propenſum te novimus; tum quia Deus es, cujus proprium eſt miſereri ſemper & parcere; tum etiam quia tuæ magnitudo potentiæ, ac infirmitatis noſtræ miſeria ad id te maximè adducunt; *miſereris* quippe *omnium*, *quia omnia potes* (*c*), & infirmitates noſtras optimè noſti; & *quomodo miſeretur Pater filiorum*, *ita miſereris nobis*, *quoniam tu cognoſcis figmentum noſtrum*, & *recordaris*, *quoniam pulvis ſumus* (*d*). Quis miſericordiæ tuæ multitudinem exprimat, quæ vèl ſolo miſeriarum noſtrarum aſpectu tam abundè nobis quandoque ſuccurrit abſque ullis virtutum meritis, quæ nos & petitiones noſtras adeò copioſè prævenit, dicente Propheta tuo: *Eritque*, *antequam clament*, *ego exaudiam eos* (*e*)? O filii, quanta eſt Dei in vos miſericordia: & tamen quàm malè nos eidem reſpondemus! Hæc ipſa in judicio

(*a*) *Prov. XXVI. v.* 12.
(*b*) *Gen. XLI.*
(*c*) *Sap. XI. v.* 24.
(*d*) *Pſalm. CII. v.* 13. & *ſeq.*
(*e*) *Iſaiæ LXV. v.* 24.

cio clamabit adverſùm nos altiſſimis vocibus, & a Deo vindictam expoſcet: Idcirco cavete, ne ea abutamini; & ſi quando non ita opportunè vobis, ùt deſideratis, ſuccurrere videtur, *expectate Dominum, viriliter agite, confortetur cor veſtrum, ſuſtinete Dominum* (*a*): Non enim præfiniendum eſt ſpatium Dei miſerationibus; *qui enim eſtis vos, qui tentatis Dominum* (*b*)? dicentes plerumque: ſi infra tale tempus calamitate hac a Domino liberabor, in ipſo confidam; ſecus verò, alia mihi media perquiram; *non eſt iſte ſermo*, ut ſanctiſſimæ Judith verbis vos alloquar, *qui miſericordiam provocet, ſed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini, & in arbitrium veſtrum, diem conſtituiſtis ei* (*c*). Imo etſi vos pro peccatis veſtris aliquando puniat, eum tamen ſummè miſericordem agnoſcite, eò quòd veluti filios in ſpiritu lenitatis vos puniat, ſcientes, quia *alienum* & involuntarium *opus ejus, & peregrinum eſt ab eo* (*d*) punire; nam vos punire non deſiderat, imo nec deſcendere quempiam vellet in Infernum, ſed omnes homines ſalvos fieri; ob hoc enim ſanguinem ſuum fudit. Cur ergo illos non puniat invitus? Audite, quomodo ſe ipſum per Prophetam ſuper hoc conſoletur dicens: *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis* (*e*). Verùm quis hic quorumdam immiſericordiam recogitans, hujuſmodi cordium duritiem deſinat admirari, qui tantam erga ſe miſericordiam experti, in fratres ſuos nihilominus duri & immiſericordes exiſtunt? in quos invehebatur Propheta: *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti, & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. Quapropter tunc migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſcivientium* (*f*); hoc eſt, primi erunt, qui Dei iram perſentient; *judicium* enim *ſine miſericordia* erit *iis*, *qui miſericordiam non fecerint* (*g*). Excitet ergo omnes cujuſvis conditionis homines hodie Chriſti miſeratio, ad miſerendum proximorum neceſſitatibus; ut ſimiles ſint miſericordi Deo, ac miſericordiam exercentes, cùm èt ipſi eâ opus habuerint, illam inveniant; in qua tamen ad vitæ uſque finem, prout èt in ceteris virtutibus, eſt perſeverandum; nam ſic in bono perſeverantes, & Dominum ſuſtinentes, divinæ miſericordiæ beneficia conſequuntur, dicente Domino:

(*a*) *Pſalm. XXVI. v.* 14.
(*b*) *Judith VIII. v.* 11.
(*c*) *Ibid. v.* 12. *& ſeq.*
(*d*) *Iſa. XXVIII. v.* 21.
(*e*) *Ibid. I. v.* 24.
(*f*) *Amos VI. v.* 6. *&* 7.
(*g*) *Jacobi II. v.* 13.

Miſereor ſuper Turbam, quia ecce jam triduò ſuſtinent me. Quis umquam dormiens, filii, trophæum reportat? quis non currens, bravium aſſequitur? Labores ſunt, qui gloriam pariunt, qui reddunt triumphos, qui ſpolia reportant, qui texunt coronas; perſeveranti immortalitas datur, perpetua vita in Cœlo promittitur; eidem divina miſericordia, Regnique æterni conſortium cum Domino retribuitur. Hoc fortè Sacerdotales veſtes deſignabant, in quarum fimbriis ſolebant in veteri lege Sacerdotes appendere malogranata inter aurea tintinnabula (*a*), quæ, cùm non in principio, nec in medio veſtimenti, ſed in extremitate figerentur, ſignificare videbantur, in fine tamdem ac termino vitæ expectandam eſſe mercedem; *omnia* quippe *tempus* ſuum *habent* (*b*), ac ſuſtinendi quidem, & eſuriendi nunc tempus eſt; ſubſequetur verò etiam regnandi, & fructus percipiendi tempus. Sed videte, quàm diſpari modo! Momentaneum eſt tempus laborum, æternum verò præmiorum; in Cœlo perpetuò quieſcemus, hic verò ſuſtinere debemus.

Triduò; tres enim dies nobis eſt ambulandum, antequam quieſcamus, quia, triplici pœnitentiæ parte peracta, ad ſpiritualem veniendum eſt refectionem; prout e converſo, triduo elapſo, Pharaonis Piſtor eſt patibulo ſuſpenſus (*c*); nam poſt peccati patrationem, pravam conſuetudinem, & deſperationem, peccator in infernum detruditur. Illo igitur triduo nobis ſuſtinendus eſt Dominus, toleranda fames; ut poſt a Domino ſatiari mereamur, qua ſaturitate nihil nobis optabilius, qui in Mundi hujus deſerto non habemus, quod manducemus.

Unde ſi jejunos nos dimiſerit Dominus, timendum eſt, ne deficiamus in via, in qua omnes, quamdiu vivimus, ad beatitudinem tendentes ambulamus; & quàm ardua, difficilis, ac longa via eſt! quot periculis plena! De hac Propheta dicebat: *Juxta iter*, in quo ambulabam, *abſconderunt ſuperbi*, nempe Dæmones ſuperbiæ parentes, *laqueum mihi* (*d*); hanc viam circumit *Diabolus*, *tamquam Leo rugiens*, *quærens*, *quem devoret* (*e*); mille eam prædones diu noctuque percurrunt, bonis omnibus noſtris, ac vità etiam ipsâ expoliare ſtudentes: Inſuper eſt via longiſſima, toto vitæ noſtræ tempore perficienda, cujus principium idem eſt, quod naſcendi exordium, & terminus mors: Præterea eſt non modò longiſſima, ſed

(*a*) *Exod. XXVIII. v.* 33. *&* 34.
(*b*) *Eccleſiaſtes III. v.* 1.
(*c*) *Gen. XL. v.* 22.
(*d*) *Pſalm. CXXXIX. v.* 6.
(*e*) *I. Petr. V. v.* 8.

ſed & ardua, & arcta; *arcta* quippe *via eſt*, *quæ ducit ad vitam* (*a*), & laboribus plurimis plena. Demum invia eſt hæc via, ac per eam incedentibus facillimum eſt, a via exorbitare; tot enim ſeſe opponunt aliæ viæ latæ, & ſpatioſæ ac amœnæ, quæ veræ viæ videntur, ad finem, quò tendimus, nempe ad cœleſte Regnum ducentes, ut non deviare difficillimum ſit. Nonne iter agentes, latiores vias atque communiores, & ab incedentibus ac viatoribus magis calcatas, ſemitis anguſtis, per quas pauci aut nulli videntur incedere, poſtpoſitis arripiunt? *Lata*, ùt audiviſtis, *eſt via*, *quæ ducit ad perditionem*, *& multi ſunt qui intrant per eam* (*b*); *infinitus* enim *eſt numerus ſtultorum* (*c*); at verò ardua, ſpinis & lapidibus conſita Cœli via eſt, ut vix via videatur, per quam poſſit ambulari. Quid igitur mirum, ſi eà relictà, utpote quæ invia & inacceſſa videatur, latiorem plurimi deligunt? per quam ire quis poterit jejunus, cùm tot ſint ſuperanda montium cacumina, tot difficultates perferendæ? Certè jejunus ac vacuus laborioſis operibus ſubeundis non eſt idoneus, longo autem perficiendo itineri eſt ineptiſſimus. Væ igitur nobis, ſi jejunos nos dimiſerit Dominus! in via namque deficere nos oportebit. Sed quî nos poteris dimittere, Domine, quos ut perditos quæreres, ac, veluti oves, humeris tuis impoſitos in Cœli aulas reportares, tam multa perpeti voluiſti? Si Deus eſt Chriſtus, ab ipſo dimiſſos quis nos ſuſcipiet, niſi Diabolus? Si Cœli Rex eſt Chriſtus, ab ipſo dimiſſos, quid niſi Gehennæ ignis ac barathrum manet? Si Medicus animarum & corporum eſt Chriſtus, quid ab ipſo dimiſſis, niſi vulnera, plagæ, & incurabiles infirmitates eſt expectandum? Si ſolus Chriſtus eſt, qui beatos reddere poteſt, heu quantæ miſeriæ ab ipſo dimiſſis ſunt præparatæ! A Chriſto dimiſſi fame peribimus, quoniam *ipſe panis eſt vitæ* (*d*); a Chriſto dimiſſi in morte manebimus, quoniam *vitæ æternæ verba* ipſe *habet* (*e*): a Chriſto dimiſſi in tenebris ambulabimus, quoniam ipſe *eſt lux Mundi* (*f*). Sine te, Chriſte, frigeſcit omnis homo, quia *ignem* tu *veniſti mittere in terras* (*g*): ſine te, Chriſte, pauper eſt omnis homo, quoniam *gloria*, *& divitiæ in domo* tua (*h*): ſine te, Chriſte, inſipiens & ignorans eſt omnis homo, quoniam

(*a*) *Matth. VII. v.* 14.
(*b*) *Ibid. v.* 13.
(*c*) *Eccleſiaſtes I. v.* 15.
(*d*) *Joan. VI. v.* 35.
(*e*) *Ibid. v.* 69.
(*f*) *Ibid. IX. v.* 5.
(*g*) *Luc. XII. v.* 49.
(*h*) *Pſalm. CXI. v.* 3.

niam apud te *theſauri ſunt ſapientiæ*, *& ſcientiæ Dei* (*a*). Omnes a te dimiſſi deviabunt, quoniam tu *via*; omnes a te dimiſſi in falſitate manebunt, quoniam tu *veritas*; omnes a te dimiſſi morientur, quoniam tu *vita* æterna es (*b*). Tu Paſtor es ovium; numquid ſine Paſtore tutæ oves incedent? Tu Sol es juſtitiæ; numquid Sole ſublato, Mundus conſiſtet? Tu Magiſter es veritatis; numquid ſine Magiſtro diſcipuli non erunt ſemper diſcentes, & ad veritatis agnitionem numquam pervenientes?

Si invêni gratiam in conſpectu tuo Domine, ſi animarum noſtrarum ſalutem tu ardentiſſimè deſideraſti, ſi tot pro nobis es paſſus, ſi ſanguinem totum effudiſti, ſi *factus* es *pro nobis maledictum* (*c*), *obſecro*, *ut gradiaris nobiſcum*; Populus enim hic, licèt infirmus & debilis, infirmitatem ſuam agnoſcens, ad te confugit; *aufer tu*, quæſo, *iniquitates noſtras* (*d*), quæ craſſiſſimum veluti murum inter te poſuerunt & nos; paſce nos Domine, ne jejuni deficiamus in via; ne onere preſſi ſuccumbamus; ne glorientur adversùm te inimici tui, & operi manuum tuarum exprobrent: Neque enim, eſto in ſolitudine ſimus, difficile tibi fore putamus, nos ad ſaturitatem paſcere, nec de potentiæ ac providentiæ tuæ ſublimitate diffidimus, ùt rudes illi & adhuc infirmi Diſcipuli tui, qui licèt non multò ante quinque panibus multa hominum millia a te ſatiata vidiſſent, immemores tamen, & te mendaci ſuâ ſtatera ponderantes dixerunt:

Unde illos quis poterit hìc ſaturare panibus? Hoc ſanè illis non modò magnum, ſed èt impoſſibile videbatur, nam nondum erant in Fide confirmati, ſed quæ ſenſibus ſubjiciebantur tantùm conſiderantes, mentis aciem ulteriùs minimè dirigebant; cujuſmodi ſanè multos miſera hæc tempora proferunt, quos humana prudentia ſeducens Regno Cœlorum reddit ineptos: Hæc quippe, dum futuris corporis ac filiorum neceſſitatibus providendum eſſe inſinuat, eleemoſynam improbat, ignorans, quòd qui eam accipit Chriſtus, multiplicatam reddet non in futura tantùm vita, ſed etiam in præſenti ſeculo. Hanc hominum prudentiam damnare ſemper ſtuduit Dominus Jeſus; ideo namque *infirma Mundi elegit*, *ut confunderet fortia* (*e*); ideo Mundi ſtultitiam elegit, ut humanam everteret prudentiam atque ſapientiam. Quis veſtrùm nomi-

(*a*) *Ad Coloſſ. II. v.* 3.
(*b*) *Joann. XIV. v.* 6.
(*c*) *Ad Galat. III. v.* 13.
(*d*) *Exod. XXXIV. v.* 9.
(*e*) *I. ad Cor. I. v.* 27.

nominis ſui gloriam propagare deſiderans, infami ſe mortis patibulo exponeret, ut id conſequeretur? Et tamen hoc unico medio, longè latèque nomen ſuum ac Fidem Chriſtus Dominus per univerſum terrarum Orbem adeò propagavit. O vana & temeraria prudentia, quæ Divinitatis arcana comprehendere te poſſe cogitans non animadvertis, quoniam, ſi Deum comprehenderes, ipſe Deus eſſe deſineret; nam ipſo major eſſet intellectus tuus, intra cujus ille limites includeretur & fines! Hanc veluti peſtem fugite, filii, ſcientes, quia omnipotens eſt Dominus Deus, & *non eſt impoſſibile apud eum omne verbum* (*a*); captivate intellectum veſtrum in obſequium Fidei, ejus ſoli providentiæ confidite; nam, licèt in ſolitudine ſitis, & multi, abundè tamen vos hìc Dominus paſcet, prout copioſiſſimas illas Turbas ſeptem panibus pauciſque piſcibus pavit: quos omnes cùm benedixiſſet atque fregiſſet, novæ additione materiæ, & in ſuis, & in Apoſtolorum diſtribuentium, ac convivarum etiam manibus multiplicatos, Diſcipulis dedit, ut Turbis apponerent; iiſque appoſitis

Manducaverunt, & non modò *ſaturati ſunt*, *ſed èt ſuſtulerunt*, *quod ſuperaverat de fragmentis*, *ſeptem ſportas* (*b*); nam licèt ſit in conferendis muneribus, ac bonis etiam terrenis diſtribuendis liberaliſſimus Dominus, eâ tamen ratione atque conditione illa diſtribuit, ut, quæ nobis ſunt tantùm neceſſaria ſumentes, cetera non profundamus; ſed colligamus, ac in ſinus pauperum reponamus. Putatiſ-ne divites, ideo vobis divitias a Domino datas, ut eas luxurioſè conſumatis, ac tantum uno prandio expendatis, quantum eſſet multis paſcendis pauperibus ſatis? Erratis ſanè; ſed ſunt divitiæ, prout erat èt Manna, de quo tantùm quod erat neceſſarium licebat colligere: ſi quid verò ſupra id collectum fuiſſet, corrumpebatur (*c*). Non divitiarum domini eſtis, ſed ſoli dumtaxat uſufructuarii; ut vobis quidem primùm de neceſſariis providere poſſitis, ſi quid autem ſuperſit, illud tamquam pauperum œconomi in eos diſtribuatis; quos ſi non paveritis, jam eorum mortis reos vos Sanctiſſimus Pater veſter Ambroſius judicavit dicens: *Si non paviſti*, *occidiſti*.

Eſſent hìc plurima, filii, animarum ſaluti maximè conducentia diligenter conſideranda, quæ ſilentio involvere horæ nos tar-

(*a*) *Lucæ I. v.* 37.
(*b*) *Marc. VIII. v.* 8.
(*c*) *Exod. XVI. v.* 20.

tarditas, &, ut rectiùs dicam, humanæ caritatis frigiditas cogit; nam ſi eſſemus ſicut Turbæ, in Deum dilectione ardentes, non horas duas divino verbo audiendo nos impenderemus, ſed etiam triduo, ac plures quoque dies, pro ratione majoris noſtri in Dominum debiti, ſuſtineremus; quod enim delectat, faſtidire nullatenus poteſt. Sed ad finem properantes, plurimum hodie nos a vobis conſecutos eſſe crederemus, ſi non, ùt Turbæ, ſaturati, ſed famelici ac fame pene tabeſcentes, hinc recederetis. Numquid verò divitiarum fame, honorum fame, gloriæ vanæ fame? Abſit cariſſimi: hæc quippe fames diabolica eſt, & ea appetit, quibus ſatiari quemquam impoſſibile eſt umquam; multò minùs verò vindictæ, cædis, aut ſanguinis fame, quæ Deo, ejuſque præceptis ſanctiſſimis directè adverſatur. Utinam ergo panum fames in vobis eſſet vehementiſſima! Sed quorum, dicitis, panum; fortè materialium ex tritico, aut aliis granis confectorum? Neque hi ſpiritibus paſcendis cibi ſunt opportuni; ſed panis divini verbi, panis orationis, panis obedientiæ, qui Chriſti panis erat, dicentis: *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem Patris mei* (*a*); panis meditationis divinæ Legis, panis contemplationis cœleſtium myſteriorum, panis juſtitiæ, quam *qui eſuriunt, & ſitiunt, beatos* eſſe perhibet Dominus (*b*); panis demum illius, qui dixit: *Ego ſum panis vivus, qui de Cœlo deſcendi* (*c*); quem cùm toties in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ſumere poſſitis (proh dolor!) in annum tamen quandoque differtis, id non timentes, ſuper quo Dominus anxiabatur, ne ſcilicet jejuni deficiatis in via. O ſuaviſſimi panes, o panes fortitudinem, robur, atque omne bonum præſtantes hominibus! panes, quos qui non habent, areſiunt ac moriuntur; panes, quorum privatio quàm ſit pernicioſa, dicit nunc Africa, luget nunc Aſia, ſentit magna pars Europæ, deflent nobiliſſimæ Angliæ, Scotiæ, Flandriæ, aliæque Provinciæ. Benigniſſime Domine, ſi pater noſter es tu, ſi mater, numquid poteſt mater a filio ſuo panes petente claudere viſcera? *Si ergo nos cùm ſimus mali, novimus bona data dare filiis noſtris* (*d*): multò magis tu miſericordiæ tuæ viſcera aperies, ne deficiamus in via præſenti; ſed ut panes nobis exhibeas, ſupplices deprecamur, *in* quorum *fortitudine* pervenire poſſimus *ad Montem Dei Horeb* (*e*). Amen.

HO-

(*a*) *Joann. IV. v.* 34.
(*b*) *Matth. V. v. 6.*
(*c*) *Joann. VI. v.* 51.
(*d*) *Matth. VII. v.* 11.
(*e*) *III. Reg. XIX. v.* 8.

HOMILIA LXVII.


IN ORATIONE

XL. HORARUM

Pro Sereniſſimo Carolo Emmanuele Sabaudiæ Duce infirmo (a)

Habita in Eccleſia Cathedrali Vercellarum Sabbato Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem.

Anno MDLXXXIII. III. Septembris.



Aritas, dilectiſſimi, virtutum omnium maxima, ordinem requirit, qui veluti illius eſt anima. Poſt Deum autem, nemini dubium, quin a nobis incipere debeat, ac ea primùm nobis quærenda ſint, quæ magis ſunt neceſſaria. Eſt verò caritas nobiliſſima oratio, non modò quoad Deum, qui per eam præcipuè colitur, cùm ſit dilectionis manifeſtiſſimum ſignum; verùm etiam quoad nos ipſos, & proximos noſtros, quibus largiſſima præbetur eleemoſyna, cùm pro ipſis oramus ad Dominum. Quæ cùm ita ſe habeant, apertè liquet, pro iis eſſe in primis, ac ferventiſſimè orandum, quorum

(a) Joannes Baptiſta Poſſevinus, qui comes fuit in itinere ad Vercellenſem Urbem Sancto Carolo Borromeo, narrat io ejuſdem Vita Italicè ſcripta Cap. XXVI., acceptum fuiſſe ab ipſo nuncium de ferali morbo, quo detinebatur Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ, atque intimo doloris ſenſu perculſum Sanctum Antiſtitem ob graves calamitates, quas Sabaudico Imperio, ac toti etiam Italiæ imminere præſentiebat, ſi Princeps ille, XXI. vitæ annum vix attingens, abſque prole deceſſiſſet; e Vedani Pago, in quo Viſitationis gratià degebat, nocte concubia equo vectum receſſiſſe, tantâque celeritate XXX. mille paſſuum viam confeciſſe, ut ſummo mane Novariam ingrederetur; iode verò iter proſequens, Vercellas tenderet, ubi certior ſactus de jam pene deſperata Ducis ſalute, XL. Horarum io Cathedrali

rum nobis magis neceſſaria eſt opera, ac qui uſibus noſtris maximè inſerviunt. Quis verò ignorat, filii, hujuſmodi eſſe eos omnes, quibus aliorum a Deo commiſſum eſt regimen, ſive in iis, quæ ad corpora & temporalia, ſive in iis, quæ ad animam tantùm & ſpiritualia ſpectant? quibus etiam hac de cauſa *obedire* nos Apoſtolus præcipit, *& ſubjacere eis. Ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus noſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes* (*a*). Et certè debent plurimùm ſubditi Superioribus ſuis, præſertim verò probis; idque multis de cauſis, ac præcipuè ob quatuor: Nam primò, dum nos de nobis tantùm cogitantes, ocio & pace fruimur, illi de nobis quoque ſoliciti pervigilant, ac jucunda pace non gaudent: *Qui* multis enim *præeſt*, multa angitur *ſolicitudine* (*b*) & quomodo illis rectè præſit, & quomodo illos a periculis omnibus tueatur (cùm ſubditorum ſalus ab eorum utplurimum ſalute pendeat), & quomodo inter ſubditos pacem ſervet, & ob alia permulta. Cur, quæſo, Principes, Civitates extruunt, muris & foſſis cingunt, arces in iis munitiſſimas ædificant? Num ut ſe ipſos tantùm defendant? Stultum hoc eſt cogitare, nam uni Principi unus munitiſſimus locus aliàs ſufficeret; ſed id peragunt, ut ſubditorum incolumitati proſpiciant. Imò quòd adeò ſe delicatè illi nutriant, & tot ſibi cuſtodes ac milites adhibeant, id totum in ſubditorum commodum cedit, ſi rectè perpenditis; ne videlicet deficiente Principe, a quo illi ſalubriter reguntur, & paternè diliguntur, in Tyrannorum aut extraneorum manus deveniant. Illis ergo vigiliis continuis Principum, & perpetuæ eorum ſolicitudini, cur ſubditi amorem ac filialem obedientiam non rependent? Sed èt ex alio capite ad id obſtringuntur, nempe quia ſubditorum cauſà ſæpe Principes dolent; membrorum quippe multorum morbis atque infirmitatibus, caput ipſum compatitur,

drali Ecclesia Orationem inſtitui curavit, obtinuitque, ut ſingulis horis e ſuggeſtu Religioſi Oratores, inter quos P. Franciſcus Panigarola, contra vitia declamarent, atque ad placandam, caſtigatioris vitæ propoſito, iram Dei, Fideles accenderent. Plures ab ipſomet Antiſtite noſtro Sermones habitos, idem Auctor ſcribit. Horum quatuor, in Latinum idioma, Sancto Carolo jubente, translatos, atque intra unum diem recitatos, hîc damus, ſimul cum altero, quem, biduo poſt, manu tenens Euchariſticum Cibum, in Principis decumbentis cubiculo, antequam illum cœleſti pabulo reficeret, pronunciavit, verè tenerrimum pulcherrimumque, ùt etiam Poſſevinus, qui præſens erat, teſtatur; ſubdens, Sanctum Carolum, cùm, depulſo mortis periculo, (quod ejuſdem Sancti precibus cœlitus datum & ipſe Princeps, & Cives omnes credidere) vires Dux recepiſſet, ſeſe ſtatim Mediolanenſi ſuæ Metropoli redonaſſe.

(*a*) *Ad Hebr. XIII. v.* 17.
(*b*) *Ad Roman. XII. v.* 8.

titur, ac eorum ſanitati recuperandæ conſulat, neceſſe eſt. Cur ergo capitis neceſſitatibus, membra quoque ipſa non compatiantur? Additur tertium, quod ad id omnes maximè debet impellere; nempe ſummum periculum, in quo Superiores omnes continuò verſantur, non tam ſuì, quàm ſæpe etiam ſubditorum ſuorum cauſâ. Si adeò cautè, ac cum timore unicuique noſtrùm eſt vivendum, ut pro anima noſtra reddere rationem Deo ſimus parati: quantam putatis requiri in Principibus & Epiſcopis cautelam, qui & id agere debent quod nos, & præterea etiam pro omnibus nobis ſunt reddituri rationem, ac pro plurimis etiam populorum culpis pœnas daturi? O quàm grave & periculoſum illorum eſt onus, o filii! Certè èt ipſis Angelis formidandum, qui ſinguli ſingulas tantùm animas cuſtodiendas a Domino ſuſcipiunt, nec plures eodem tempore cuſtodiunt: At hi quàm multa millia animarum ſuper humeros ſuos portare debent! Attendite illorum periculum, & quod de Epiſcopis dicit Chryſoſtomus, id èt de ſingulis iis, qui aliis præſunt, dictum putate. Inquit ille: *Arbitror paucos Epiſcopos ſalvos fieri, imo multos perire, non tantùm propter ſua, quàm propter aliorum peccata*. Regnant in populo abuſus? dabit pœnas Princeps, qui eos, cùm potuit, non abſtulit. Blaſphematur in populo Deus? luet pœnas Princeps, qui blaſphemiæ vitium ſeveriſſimis ſuppliciis eradicare non ſtuduit. Pace jucundiſſima Civitates privantur, & Populi? dabit pœnas Princeps, qui eam non aluit, non coluit, non conſervavit. Opprimuntur a Magiſtratibus afflicti, pauperi jus non redditur, viduæ & pupilli cauſa non auditur? dabit pœnas Princeps, qui, ùt Propheta deſcripſit, non ſtetit ſuper hujuſmodi viros (*a*). Denique quidquid eorum indulgentia, remiſſione, non contradictione, exemplo, aut alia quavis ratione ſubditi peccant, ipſi perſolvent; ac pro delictis, quæ non patraverint, pœnas ſubibunt acerbiſſimas, & pro malis, quæ a Populo non averterint, graviſſimè punientur: & requiret de manibus eorum animas ſubditorum juſtiſſimus Judex Deus, ac *potentes potenter tormenta patientur* (*b*). Sunt ipſi veluti ſpeculatores quidam, a Domino conſtituti; de quibus (ut quæ diximus veriſſima eſſe agnoſcatis) videte, quid Ezechiel dixerit: *Quòd ſi ſpeculator viderit gladium venientem, & non inſonuerit buccinâ:*

(*a*) *Iſaiæ XXXII. v. 8.*
(*b*) *Sap. VI. v. 7.*

cinâ: & populus ſe non cuſtodierit, veneritque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidem in iniquitate ſua captus eſt, ſanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram (*a*). Unde, dilectiſſimi, conjicite, num Regum & Principum, ac Epiſcoporum & Sacerdotum ſtatui invidendum ſit, an potiùs compatiendum & miſerendum; cùm ipſi ſint veluti divinæ ultionis ſcopus, ac infirmitatum noſtrarum dolores pati cogantur. Quartò demum ad id nos impellit, quòd noſtrâ plerumque causâ illi a Domino puniuntur, non modò Inferni pœnis, ſed etiam (licèt juſti ac ſancti ſint) in corpore incommodis multis, ac morte etiam afficiuntur, cùm nos indigni ſumus, qui ab iis regamur. Imo etiam, ſi quando univerſum populum Dominus punit, primas iræ ac ultionis ſuæ ſagittas in Principes dirigit: Sic Jeremias Idumæorum ſupplicium ac flagellum enarrans de eorum Optimatibus primò facit mentionem, dicens: *Et erit cor fortium Idumææ in die illa, quaſi cor mulieris parturientis* (*b*), nam iræ Dei in Populos prævaricantes exordium, eſt Principis boni infirmitas, aut captivitas, aut per mortem ereptio. Sic in Iſraëliticum populum cùm maximè Dominus iraſceretur, Arcam ab hoſtibus capi permittebat, quòd èt Heli intelligens, dolore confectus cadens interiit (*c*). Ecce igitur, filii, quot vos hodie inducunt ad ferventiſſimè orandum pro Ducis ac Principis veſtri incolumitate ac vita, cujus pietas atque religio non modò vobis, ſed èt univerſo terrarum Orbi clarè innoteſcit, quem peccata veſtra decumbere fecerunt, & ad mortis fores deduxerunt, quem propter eadem Dominus percuſſit.

Ideo Apoſtolus, quantum Principibus ſubditi debeant, optimè cognoſcens diſtrictè Timotheo diſcipulo ſuo ſuggerebat: *Obſecro igitur primùm omnium, fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:* (ſed pro quibus potiſſimùm, audite) *pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate. Hoc enim bonum eſt, & acceptum coram Salvatore noſtro Deo* (*d*); ubi aliam quoque cauſam, vos ad orandum vehementer impellentem, attendite, nempe *ut quietam, & tranquillam vitam agatis.* Vos ipſi ſcitis, quanta hactenus quiete ſub hoc religioſiſſimo Principe eſtis potiti. Ipſo ſublato, quomodo ageretur vobiſcum,

(*a*) *Ezech. XXXIII. v. 6.*
(*b*) *Jerem. XLIX. v. 22.*
(*c*) *I. Reg. IV. v. 11. & 18.*
(*d*) *I. ad Tim. II. v. 1. & ſeqq.*

cum, ignoratis. Væ enim Populis illis, quibus malos contingit habere Principes, qui eos extorqueant, diripiant, devorent, & qui irreligione ſua (prout multi impii Reges fecerunt) a Divino cultu, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio retrahant, ac ſeparent! Sed quam putatis vobis eſſe appetendam, ac a Domino poſtulandam quietem? Num ocium, num voluptates, num alia hujuſmodi, quibus impii marceſcunt? Non ſanè hic fuit Apoſtoli ſenſus; ſed *ut quietam & tranquillam vitam agatis in omni pietate, & caſtitate*; neque enim *eſt pax impiis* (*a*), ſed ſolis iis, qui Deum timentes, in ſimplicitate cordis ſui fideliter illi ſerviunt. Bene operari, bene vivere, mandata Dei ſervare, peccata fugere, pœnitentiam agere, Divinæ ſuæ voluntati conformari, pro anima propria perpetuò laborare, hoc vèrè *quieſcere* eſt, hoc eſt *tranquillam vitam* ducere. Præſenti igitur ſacro quadraginta horarum tempore orationem inſtitutam, dilectiſſimi, toto cordis affectu proſequimini, peccata veſtra deflete, in Dei gratiam redire ſtudete, ut hac culparum veſtrarum causâ ſublatâ, infirmitas Principis veſtri, ab illa profluens, Dei benignitate tollatur. Cum lacrymis & fletu id a Domino petite; & confidite, quoniam quidquid petieritis Patrem in nomine Chriſti, dabit vobis (*b*). Amen.



(*a*) *Iſaiæ XLVIII. v.* 22. (*b*) *Joan. XVI. v.* 23.

HOMILIA LXVIII.

IN ORATIONE

XL. HORARUM

Habita in Eccleſia Cathedrali Vercellarum eodem Sabbato Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem

*ANNO MDLXXXIII. III. SEPTEMBRIS.

PRÆCEPERAT Dominus Iſraëlitico Populo, quem ſibi in partem elegerat, ne cum alienigenis ullatenus commiſceretur, ſive conjugia iniret, dicens: *Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te, Hetbæum, & Gergezæum, & Amorrbæum, Chananæum, & Pherezæum, & Hevæum, & Jebuſæum, ſeptem gentes multò majoris numeri quàm tu es, & robuſtiores te: tradideritque eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas uſque ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum, neque ſociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat Diis alienis* (*a*). *Quia Populus ſanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram* (*b*). Verùm qui duris cervicibus Divinæ ſemper reſtiterant voluntati, cœleſtium beneficiorum immemores, legem & mandata Domini conculcantes, reverſi de Babylonica captivitate tam Principes & Sacerdotes ac Levitæ, quàm reliquus Populus abjecerunt uxores ſuas Iſraëlitici generis, quæ paupertate, & inopia longioris viæ, & fragilitate ſexus, non ferentes laborem, confectæ erant, & infirmitatem ac deformitatem corporum contraxerant, ac cum alienigenis ætate florentibus, aut cultu corporum pulchrioribus, vèl cum potentum ac divitum filiabus

(*a*)*Deuter. VII. v.* 1. *& ſeqq.* | (*b*) *Ibid. v.* 6.

Digitized by Google

bus Matrimonia contraxerunt. Hoc prævaricationis delictum gravibus verbis Malachias Propheta deteſtans dicebat : *Tranſgreſſus eſt Juda, & abominatio facta eſt in Iſraël, & in Jeruſalem: quia contaminavit Judas ſanctificationem Domini, quam dilexit: & habuit filiam Dei alieni. Diſperdet Dominus virum, qui fecerit hoc, magiſtrum, & diſcipulum de tabernaculis Jacob, & offerentem munus Domino exercituum* (*a*). Hujuſmodi peccatum ex Principibus aliqui ad Pontificem ſuum Eſdram Sanctiſſimum detulerunt, dicentes : *Non eſt ſeparatus populus Iſraël, Sacerdotes, & Levitæ a populis terrarum, & abominationibus eorum: Tulerunt enim de filiabus eorum ſibi, & filiis ſuis, & commiſcuerunt ſemen ſanctum cum populis terrarum* (*b*): Quæ cùm vir innocentiſſimus audiſſet, intimum cordis dolorem oſtendens ſcidit pallium ſuum & tunicam, & evellere cœpit capillos capitis ſui, & barbæ, *& ſedebat triſtis ; in ſacrificio* autem *veſpertino ſurrexit de afflictione ſua, & ſciſſo pallio & tunicâ curvavit genua ſua, & expandit manus ſuas ad Dominum Deum, & dixit: Deus meus, confundor, & erubeſco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creverunt uſque ad Cælum* (*c*).

O Vercellenſes, quorſum hæc dicta putatis? Chriſtiani eſtis, non Iſraëlitæ; vos multò magis *elegit Dominus Deus veſter, ut ſitis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram* (*d*). Repudiavit Chriſtus Synagogam, & ex Gentibus, quæ vos eratis, ſibi delegit Eccleſiam ; ipſe vobis nomen impoſuit, ipſe vobis amoris legem præſcripſit, ipſe ſuo vos ſanguine lavit, ipſe vos ſibi aſſumpſit in amicos, fratres, & cohæredes: Ejus vos ſanctum ſemen eſtis, & Sanctorum Epiſcoporum veſtrorum, qui in ejus vos Fide inſtruxerunt, ac ſalutari lavacro regenerarunt in Domino. Et tamen, rejectis uxoribus veſtris, lege ſcilicet Dei, quæ fortè vobis aſpera videtur ac ſordida, utpote quæ jejunia, pœnitentias, eleemoſynas, corporis afflictiones, atque hujuſmodi alia præcipiat, commixti eſtis populis terrarum, eorum filias, nempe voluptates, carnis illecebras, peccata accepiſtis; ſociati eſtis draconibus, ſerpentibus atque ſtruthionibus infernalibus, mille vos tradidiſtis ſceleribus, mandata Domini rejeciſtis; ut Diis alienis, auro, cupiditatibus, ac vobis ipſis ſerviretis.

Quid putatis, filii, Euſebium Sanctiſſimum Epiſcopum veſtrum, ſi inter vos eſſet, facturum? Certè quòd ille, ſciſſis veſtimentis, crinibus evulſis, expanſis brachiis, diu noctuque pro vobis flere non ceſſaret. Et quâ creditis triſtitiâ tranſgreſſiones veſtræ hactenus illum

(*a*) *Malach. II. v.* 11. & 12.
(*b*) *I. Eſdr. IX. v.* 1. & 2.
(*c*) *Ibid. v.* 4. & *ſeqq.*
(*d*) *Deuter. VII. v.* 6.

lum affecerint? Quibus illum oculis adire poteritis, ac, ut pro vobis intercedat ad Dominum, orare? Perpendite, obſecro, quid & quàm grave fuerit, vos *ſemen ſanctum commiſcuiſſe cum populis terrarum*. Numquid èt nos (dicitis) terrarum populi non ſumus, terram inhabitantes? Habitatis quidem terram, ſed cœleſtis populus eſtis, cœleſtis vos decet vita, cœleſtes mores, opera cœleſtia. Sancti eſtis, Chriſti ſanguine conſperſi ac confirmati; cur ergo nomine tam ſublimes, adeò altam, adeò perfectam, adeò nobilem Religionem profitentes, terrenorum mores induitis, ac ſolo nomine differentes, vitâ tamen & ſtudiis in nihilo ab ipſis diſcrepatis? Diſtat tam multum veſtra religio, veſtra Fides, veſtra lex, veſtrum nomen a Turcarum, a Judæorum, ab Infidelium religione, fide, lege, nomine; èt vita adeò ſimilis eſt? Hoc improbat Dominus, filii, nempe vos, qui ſemen ſanctum eſtis, alienigenas, immundas, & vetitas ducere uxores. Hoc adeò grave eſt, ut multò majoribus lacrymis, ac longè acerbiori dolore deflendum ſit, quàm Iſraëlitarum illa prævaricatio. At quando id non defletis, ùt deberetis, Eſdram ſaltem hodie dilectiſſimi imitamini.

Scindite non pallium & tunicam, ſed corda veſtra; evellite non crines aut barbam, ſed pravos affectus & perverſas cogitationes; mœrete & dolete, ut per confuſionem pœnitentiæ, tanti veniam reatus promereamini. Surgite de afflictione peccati, quo nulla major afflictio, & ſic ſciſsâ tunicâ & pallio, ac evulſis crinibus mœrentes in hodierno ſacrificio veſpertino genua curvate, brachia expandite, & ad Dominum orate: *Dirigatur oratio veſtra, ſicut incenſum in conſpectu Domini, & elevatio manuum veſtrarum ſacrificium veſpertinum* (a). Ecce veſpertinum matutino longè nobilius ſacrificium, Sanctiſſimum illud Euchariſtiæ Sacramentum, coram quo ſtatis; illud memoria eſt veri veſpertini ſacrificii, Dominicæ, inquam, Paſſionis. Chriſti Crux & Paſſio, hujuſmodi fuit ſacrificium, quod veſpertino tempore, ultima Mundi ætate Chriſtus elevatis in Cruce manibus Deo obtulit, conſummans omnia veteris legis ſacrificia.

In hoc ergo ſacrificio veſpertino, in vivificæ hujus Crucis meditatione ſurgite, & genua flectentes, in illum ipſum, in cujus eſtis conſpectu, Chriſtum oculos conjicite: Dicat unuſquiſque veſtrûm: *Deus meus confundor, & erubeſco levarę faciem meam ad te*.

Meminerit quilibet veſtrûm in amaritudine animæ ſuæ, quanta in benigniſſimum hunc Deum commiſerit. Quibus oculis, filii, puta-

(a) *Pſalm. CXL. v. 2.*

putatis umquam, ſponſa in delicto comprehenſa a proprio viro, a quo plurimum diligebatur, virum ſuum ampliùs auderet aſpicere? Miſeri nos! Sunt animæ noſtræ Chriſti Sponſæ; dignatus eſt ipſe nobiliſſimus Rex, ditiſſimus, atque potentiſſimus, nos adeò diſpares conditione ſibi conjungere, ac in Fide per Baptiſmi Sacramentum deſponſare; de ſtercore nos erexit, & ſedere fecit in ſolio gloriæ ſuæ; Regni ſui nos hæredes conſtituit; mille nos pretioſiſſimis veſtibus ornavit; quidquid deſiderari a nobis potuit, abundantiſſimè contulit; ſuo ſanguine lavit maculas noſtras; demum adeò nos dilexit, ut nec hiſce contentus, quò ſibi nos magis uniret, ſe nobis dare voluerit in cibum: Et tamen (o ingratitudo maledicta!) tot ei toties impuriſſimos amatores prætulimus; fornicati ſumus cum viliſſimis quibuſque latronibus, in oculis ejus, qui omnia videt, qui profunda cordium rimatur & renium. Et quomodo non confundimur; quomodo coram ipſo, realiter hìc, prout in Cœlis regnat, prout vixit in terris, exiſtentes, illum audebimus intueri? A longè, a longè filii: ſordes noſtras, & ingratum animum conſiderantes, immenſa illius beneficia mente revolventes, graviſſimas quas illi intulimus injurias recogitantes, ne audeamus oculos in illum tollere; hæc quippe erubeſcentia atque humilitas illum nobis faciet appropinquare. Hæc Eſdram fecit exaudiri; hæc Publicanum juſtificatum a Phariſæo dimiſit in domum ſuam; hæc Prodigum filium a longè clamantem: *Pater jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis* (*a*), Patri reconciliavit, ac eumdem in illius currere amplexus, in illius collum cadere impulit, ſtolam illi atque annulum reddere, convivio denique eum excipere, ac ſuper ejuſdem reditu gratulari.

Ecce Domine, quia coram te ſumus, & ſcimus, quia non fallimur; firmiſſimè quippe te hìc adeſſe tenemus, & Fidei oculis cernimus: non audemus nos te aſpicere, ſed aſpice tu nos piiſſimo miſericordiæ tuæ oculo, quo Petrum aſpexiſti: ſumus coram te *in delicto noſtro* (*b*). Quomodo ſtare poterimus in tuì conſpectu? quomodo illud obliterabimus, niſi tu ipſe deleas iniquitates noſtras? quomodo mundari, niſi ipſe abluas? quomodo ſanari, niſi ipſe cures? Abſterge ergo in nobis peccata, ablue ſordes, ſana ægritudines; ut juſtificati, mundati, atque curati, tuâ reddamur digni gratiâ; ac, quam a te inſtantiſſimè petimus, reſtitutam Duci noſtro ſanitatem feliciter obtineamus. Amen.

HO-

(*a*) *Luc. XV. v.* 19. | (*b*) *I. Eſdr. IX. v.* 13.

HOMILIA LXIX.

IN ORATIONE

XL. HORARUM

Habita in Eccleſia Cathedrali Vercellarum eodem Sabbato Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. III. SEPTEMBRIS.

PRÆVIDENS in ſpiritu Zacharias, quantis lacrymis doloribus ac lamentationibus futurum Dominicæ Paſſionis tempus multi eſſent proſecuturi, & quot Chriſti innocentiam, atque carnificum immanitatem animadvertentes, illam quidem deploraturi eſſent, hanc verò deteſtaturi, Deum ipſum in hunc modum loquentem inducit: *Et effundam ſuper domum David, & ſuper habitatores Jeruſalem, ſpiritum gratiæ, & precum: & aſpicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum, & dolebunt ſuper eum, ut doleri ſolet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jeruſalem, ſicut planctus Adadremmon in campo Mageddon* (*a*). Quod èt ad unguem opere impletum poſtea cognovimus; nam quem viventem viſis plurimis ſignis atque miraculis, & manifeſtis perſpectis indiciis, Dei Filium eſſe non crediderant, mortuum poſtea, & occiſum multi confeſſi ſunt, & amariſſimè deplorarunt; unde *Centurio, & qui cum eo erant, cuſtodientes Jeſum, viſo terræmotu, & his, quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè Filius Dei erat iſte* (*b*). *Et omnis turba eorum, qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora ſua revertebantur* (*c*). Addit quoque Pro-

(*a*) *Zachar. XII. v.* 10. *& ſeq.*
(*b*) *Matth. XXVII. v.* 54.
(*c*) *Luc. XXIII. v.* 48.

Propheta fore, ut *plangat terra*, *familiæ*, *&* *familiæ ſeorſum*, ex quibus aliquot etiam enumerat (*a*).

Hodie, dilectiſſimi in Domino, mihi videor videre Dominum inter vos hujuſmodi operantem. Unde enim tanta hæc inter vos commotio, unde aſſiduæ preces, unde hoc orandi ſtudium; unde hæc continua in hoc Templo mora coram illo, quem peccata veſtra confixerunt? niſi quia *effudit* in vos hodie abundantiſſimè Dominus *ſpiritum gratiæ*, *&* *precum*, ſive ùt alii legunt, & miſerationis? Quod utrumque in vobis videre eſt, cùm communibus imminentibus periculis commoti, ad Deum veſtrum, orationis medio, omnes accurritis. Dum verò ſingulas Parœcias diſtinctim huc cum Sacerdotibus ſuis ita intrantes aſpicio, ut diſcedentibus primis, aliæ eodem ordine ſuccedant, quid hoc eſt aliud, niſi *familias*, *&* *familias ſeorſum*, & *mulieres earum ſeorſum* plangere? Laudetur in æternum Deus, cujus *ſpiritus*, *ubi vult*, *ſpirat*, *&* *neſcis unde veniat*, *aut quò vadat* (*b*). Qui hunc in vos hodie ſanctiſſimum orationis ac contritionis ſpiritum immiſit, ille eumdem in vobis, quamdiu vixeritis, conſervet, utpote Chriſtianis omnibus non minus neceſſarium, quàm ſit vitalis ille ſpiritus, abſque quo vivi conſiſtere nequiremus.

Eſt quippe animæ noſtræ veluti anima oratio, ſine qua vivere prorſus nequit; nam cùm per orationem Deo animus noſter uniatur, ipſumque familiariter alloquatur, quid mirum, ſi hujuſmodi unioni minimè incumbens, hiſque colloquiis intermiſſis, paulatim ille tepeſcat, & tamdem in maximum peccatorum frigus reſolvatur? Sumus a natura ad malum proclives, uti aquæ elementum ex ſuî natura ad frigiditatem. Sicuti autem aqua ſuppoſito igne calefit, eoque ſublato, paulatim ad priſtinam revertitur naturam; ita etiam nobis contingit, qui, deficiente orationis calore atque igne, in ea, quæ nobis ſunt innata, relabimur. Quòd verò ſit ignis Oratio, Prophetam audite: *In meditatione*, inquit, *mea exardeſcet ignis* (*c*); appropinquantes enim meditatione ad Deum noſtrum, qui *ignis conſumens eſt* (*d*), imo unum cum ipſo quodammodo effecti, exardeſcamus neceſſe eſt.

O Oratio, ignis ſanctiſſime, quem inter ceteros ignes, ve-

(*a*) *Zachar. XII. v.* 12.
(*b*) *Joann. III. v.* 8.
(*c*) *Pſalm. XXXVIII. v.* 4.
(*d*) *Deuteron. IV. v.* 24.

nit Dei Filius mittere in terras (*a*), & miſit, cùm orare nòs docuit verbis & exemplo! Hæc, filii, non modò ignis eſt, ſed èt ignis fomes, nempe caritatis: quid enim magis, quàm Oratio caritatem accendit, nutrit, ac velut ignis inflammat? Quis acerbiſſimam Chriſti Domini meditans Paſſionem, quis in eum aſpiciens, quem transfixit, quis propria recogitans peccata, cor ſuum paulatim aduri non ſentit, ac dulcibus quibuſdam jaculis ſauciari, & ad diligendum toto corde Deum, atque ſuper omne malum deteſtanda ſcelera excitari?

Jam verò quis fidelior nobis amicus, Oratione ſanctiſſima? Hæc nobiſcum permanet in tribulatione, hæc in menſa nobis eſt ſocia, & in afflictione nos minimè deſerit; imo intrepida ante Deum accedit, noſtras illi calamitates explicat, petere non dubitat, & quæcumque indigentia noſtra poſcit, exponere. Hæc, ſi Dæmonem inſurgentem, Carnem inſidiantem, Mundum lædere tentantem viderit, arma ſumit pro nobis, & prima illis occurrit, ac turpiſſimæ ſeſe fugæ dedere compellit. Quàm meritò igitur Oratio nobis eſſe debet amicus, ùt anima noſtra!

Nec amicus modò, ſed èt ſolicitus eſt nobis advocatus ante Dei thronum, & eloquentiſſimus ad eum miſſus orator, eà efficacià, ut redeat ad nos ſemper exorator; aſcendit quippe ad Deum oratio, & deſcendit ad nos pia ejus miſeratio. Et quid mirum, ſi exorat? Ejus vim attendite: Deum ipſum ligat, Cœlo vim infert, hoc deprædatur, dona ejus omnia rapit, atque ad nos tranſportat. Videte, quomodo Moyſis oratio ligabat Deum dicentem: *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus* (*b*). O infinita Dei clementia, qui ſe a miſeris vermibus vinciri quodammodo oratione permittit, ac tamquam elephas, & gigas (ut ita loquar) a culice, & infirmo humunculo captivum ſe fieri delectatur!

Oratione, veluti ſcalà, nobis eſt, filii, aſcendendum in Cœlum; hanc quippe Jacob ſcala fortè non incongruè deſignabat, per quam ille *Angelos aſcendentes* videbat, *& deſcendentes* (*c*); cùm Sancti homines Dei amici in inferioribus his Mundi cubiculis vitam degentes, quandocumque volunt, ad ſuperiorem Regis æterni thalamum contemplatione aſcendant, & ad proximorum neceſſitatibus ſubveniendum actione deſcendant.

Eſt

(*a*) *Lucæ XII. v.* 49.
(*b*) *Exod. XXXII. v.* 10.
(*c*) *Geneſ. XXVIII. v.* 12.

Eſt denique Oratio (ut innumera omittam) clavis cœleſtium Dei theſaurorum, qui virtutum omnium ac gratiarum dona complectuntur. Hæc ab eo, qui humilitate indiget, adhibita, humilitatis aperit ſcrinium, eamque ad eumdem defert. Idem de caritate, de injuriarum remiſſione, de continentia, ac de aliis omnibus ad ſalutem animæ pertinentibus præſtat. O Oratio, ignis ardentiſſime, fomes caritatis, amica fidiſſima, exoratrix eloquentiſſima, advocata præſtantiſſima, ſcala Cœli, divinorum theſaurorum clavis, aperi virtutum arcas & ſcrinia, & nobis, quæ intro latent, largire. Per te fac, aſcendamus ad Chriſtum; advoca pro nobis perpetuò, quamdiu in hoc corporis carcere detinemur; ſupplices libellos noſtros Deo offer, ac illum nobis annuere compelle. Eſto nobis in noſtris omnibus calamitatibus ſocia; nutri caritatem in nobis; frigus omne peccati a nobis depelle; & igne nos tuo penitus concrema.

Vidiſtis, filii, quanti ſit a nobis facienda oratio. Sed hoc orationis, cui nunc incumbitis genus, plurimum valet; nam, licèt ſemper, & ubique ſit Deus, hìc tamen realiter & ùt Deus, & ùt Homo, in corpore & anima, cum carne & ſanguine in Sacratiſſima Euchariſtia præſens exiſtit. Quòd ſi, dum mortalis inter homines viveret, tanta *de illo virtus exibat, & ſanabat omnes* (*a*); quanta putatis dona ſit exhibere paratus, cùm hìc idem ipſe eodem reſideat modo, ſed jam immortalis & impaſſibilis, ac totus ſecundùm Divinitatem & Humanitatem glorioſus? Sed èt majora realis hæc & viva illius in nobis operatur potentia. Nam ſi Regia alicujus hominis majeſtas reverentiam neſcio quamdam aſtantibus ingerit, ut actus omnes incompoſitos & inurbanos coram Rege ſtantes effugiant, quis dubitet, hanc Chriſti præſentiam, miram quamdam in hìc orantibus devotionem, pietatem, atque animi religionem inſpirare?

Antiochi Regis milites adverſùm Judam pugnantes, ſanguinem uvæ elephantis oſtendendo, eos acuebant ad prælium (*b*): Et nos Chriſti ſanguinem hìc intuentes, ejus ſacratiſſimas plagas pro nobis ſuſceptas conſpicientes, latus illius apertum conſiderantes, in caput illud perforatum oculos conjicientes, totum denique corpus, in quo *a planta pedis uſque ad verticem capitis non eſt ſanitas* (*c*), præ oculis habentes; quis dubitet, ardentiſſima

(*a*) *Lucæ VI. v.* 19.
(*b*) *I. Machab. VI. v.* 34.
(*c*) *Iſaiæ I. v.* 6.

in Deum caritate non eſſe replendos, atque ſuper nos effundendum gratiæ precum & miſerationis affectum, ſeu ſpiritum, a Zacharia (*a*) prædictum? Quomodo te conſpiciens, mi Domine, quem ingratiſſimus ego verbis deſpexi, in quem tam impiè deſævii, quem in manus peccatorum tradidi, quem clavis confixi, cujus animam tranſverberavi; memor autem alia ex parte beneficiorum, atque amoris erga me tui, quomodo, inquam, totus non diſſolvar in lacrymas, veſtes & cor non diſcindam, crines non evellam, pectus non percutiam, me denique totum in terram non proſternam, & dicam: O indigniſſime, ſceleſtiſſime, ingratiſſime, crudeliſſime tyranne! Tanta non fuerat perſecutori tuo atque hoſti, imo nec beſtiis ipſis immanitas adhibenda, quantam tu in Chriſtum benigniſſimum patrem, fratrem, amicum, benefactorem tuum perpetuum exercuiſti; cujus munere creatus, cujus patientia atque benignitate in hunc uſque diem, tam graviter peccans, ad pœnitentiam expectatus fuiſti. Quomodo in eumdem tam multa paſſum, ut peccatum exterminaret, reſpiciens, mecum ipſe ita non loquar? O quàm fuit turpe peccatum, quàm grave, quàm pernicioſum, quod ut radicitus evelleretur, poſt tot adhibita remedia, ipſemet Dei Filius deſcendit in terras, ac inter latrones deputatus, ſæviſſimæ atque turpiſſimæ fuit morti adjudicatus! Et ego peccare audebo, tam gravem Deo injuriam inferre, ſic eum provocare, ejus ita ſanguinem ac mortem contemnere?

His ſimiles ſexcentos in nobis hoc orandi genus producit effectus: & ideò, quàm ſit utile, quàm dignum & efficax conjicite. Quòd ſi Chriſti promiſſionem attenditis, videte quantum poſſit hæc veſtrûm unanimis oratio; inquit enim ille apud Matthæum: *Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in Cælis eſt. Ubi enim ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum* (*b*). Quod ergo tam multi ſimul petitis, confidite, filii, quia a Domino, cujus verba numquam præteribunt, obtinebitis, modò ſine intermiſſione petatis; vult enim importunè a nobis orari Dominus, cùm importunitate noſtra plurimùm delectetur; ideoque petita differat concedere, ut illum precibus urgeamus.

In tanto igitur vobis, & Italiæ toti, ac Reipublicæ Chriſtianæ

(*a*) *Zachar. XII. v.* 10.

(*b*) *Matth. XVIII. v.* 19. *& ſeq.*

ſtianæ imminente periculo, *congregate*, Vercellenſes, *Populum, ſanctificate Eccleſiam, coadunate ſenes, congregate parvulos, & ſugentes ubera: egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo* (*a*). Per familias omnes huc convenite; accedant Parœciæ ſingulæ, itemque omnes unanimes clamate: *Parce, Domine, parce populo tuo,* quem redemiſti protioſo ſanguine tuo. *Ne des hæreditatem tuam in opprobrium* (*b*). Noſtrum nobis Ducem incolumem ſerva; tu percuſſiſti, tu ſana; tu mortificaſti, tu vivifica; tu nos omnes afflixiſti, tu nos conſolare. Ne memineris iniquitatum noſtrarum, quia pauperes ſumus nimis, ſed citò anticipent nos miſericordiæ tuæ; ut, quod tibi eſt maximè proprium, præſtans, dicant vicini noſtri: *Zelatus eſt Dominus terram ſuam, & pepercit Populo ſuo* (*c*). *Non ſecundùm peccata eorum fecit eis, neque ſecundùm iniquitates eorum retribuit eis* (*d*), ſed ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ; ſitque nomini tuo apud omnes honor & gloria. Amen.



HO-

(*a*) *Joël. II. v.* 16.
(*b*) *Ibid. v.* 17.
(*c*) *Ibid. v.* 18.
(*d*) *Pſalm. CII. v.* 10.

HOMILIA LXX.

IN ORATIONE

XL. HORARUM

Habita in Eccleſia Cathedrali Vercellarum eodem Sabbato Dominicæ XIII. poſt Pentecoſtem

ANNO MDLXXXIII. III. SEPTEMBRIS.

EST id a natura humano generi inſitum, ut omnes cujuſvis Religionis & ſtatus, ætatis etiam ac conditionis homines Deum eſſe fateantur, qui potiſſimam hominum curam gerat, & ad quem ſit in neceſſitatibus recurrendum; hinc èt parvulos in ipſo infantiæ luctu, Deum nominantes audimus. Sed ſumma hæc eſt noſtra calamitas, quòd, cùm ubique ſit Deus, nos plerumque non invenîmus, quia illum non quærimus, qui quærentibus occurrere ſolet. Cùm autem in hujuſmodi quærendi ſtudio errent non pauci, indeque omnis communium miſeriarum proficiſcatur origo; videamus, obſecro filii, hodie (gravia enim nobis imminent pericula) quomodo quærendus ſit Dominus.

Ac primùm quidem, cùm duplex ſit cujuſque vita; præſens ſcilicet, in qua pugnandi tempus eſt, & futura, in qua vel corona juſtitiæ nobis reddetur, vel ſupplicium condemnationis: certè in hac tantùm vita, qua nunc fruimur, quærendus eſt Deus, ut perfectè poſtea inventus in futura poſſideatur. Ideo clamabat Propheta: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum, dum prope eſt* (*a*); poſt præſens quippe tempus inveniri non poterit ab iis, qui eum primò non quæſierint; quoniam nunc propè eſt, tunc verò multum elongabitur ab eis. Et quantum elon-

(*a*) *Iſaiæ LV. v. 6.*

elongabitur, a verbis Abrahæ facilè diſcere potuiſtis, ad Epulonem loquentis: *Fili, recepiſti bona in vita tua* (*a*), quod nihil aliud fuit, quàm ociari, & Deum non quærere; *& Lazarus ſimiliter mala*, quod fuit, laboribus plurimis, vigiliis, atque ſudoribus eumdem quærere: *& nunc ecce* (ſubdit) *inter nos*, *& vos magnum chaos firmatum eſt* (*b*). O quàm magnum chaos inter Cœlum, & Infernum, inter damnatos, & Deum! Quàm ergo ab illis longè receſſit! Ideo Paulus (*c*) optimus conſiliarius ſuadet, ut, *dum tempus habemus*, bonum operando Deum quæramus; hoc quippe tempus eſt noſtrum, æternitas verò Dei; idcircò vita hæc brevis *dies hominis* dicitur, futura verò *dies Domini:* hac uti ad libitum poſſumus; in hac vitam & mortem, Infernum & Cœlum, gloriam & ſupplicium comparare nobis valemus. At cùm Sabbatum advenerit Domini, non ultra laborare licebit, ſed vel in æternum quieſcere, vel perpetuò cruciari. Hic tantùm nobis licet Manna colligere; quod ſi non collegerimus, fame peribimus. Mittit ideo nos prudentiſſimè Sapiens (*d*) *ad formicam*, ut ejus exemplo cibos nobis congregare diſcamus in æſtate, quibus veſcamur in hyeme. Quàm verò pulchrè vita hæc æſtati, futura verò hyemi comparatur! Æſtate ſiquidem calefacit ſol terram & arbores, quæ illius recepto calore, fructus producunt; at hyberno tempore, ſole ab hemiſphærio noſtro longiùs recedente, nec fructus, nec flores, nec folia videre licet; ſed omnia ſicca, omnia ſterilia, omnia ſordida: Sic juſtitiæ Sol Chriſtus, gratiæ ſuæ nos, quamdiu vivimus, radiis illuminare, calefacere, atque adjuvare non ceſſat, quorum beneficio, ſi velimus (in quo ab Arboribus differimus, quæ naturaliter producunt; at nos liberè) poſſimus fructus bonos facere. At cùm mors advenerit, o quàm longa, quàm dura hyems peccatoribus ſuccedet! Solis calore deſtituentur, operari ampliùs non poterunt, omnia ſicca erunt atque ſterilia, horrida omnia & ſquallida. Idcirco, dilectiſſimi, ſtudeamus obſecro, quamdiu licet, Deum quærere, ne poſt velimus, cùm non poterimus.

Neque verò extra rem id eſſe quiſpiam arbitretur, quòd, cùm loquamur orantibus, de bonis agamus operibus; hæc namque orandi ſunt fundamenta, quibus ſublatis nec ipſa ſubſiſtit oratio, imo frigeſcit penitus, & inutilis redditur, perhibente etiam

(*a*) *Luc. XVI. v.* 25.
(*b*) *Ibid. v.* 26.
(*c*) *Ad Galat. VI. v.* 10.
(*d*) *Prov. VI. v.* 6.

etiam Domino, quia *non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis eſt, ipſe intrabit in Regnum Cœlorum* (*a*). Eſt ergo primùm bonis operibus Dominus quærendus, tum precibus, ac illis quidem omni vitæ noſtræ ætate, omni tempore; nam èt de hoc fortè dicitur, *quia oportet ſemper orare, & non deficere* (*b*); quid eſt enim aliud, ſanctè, piè, ac laudabiliter vivere, quàm ſemper orare? Hoc jacto fundamento, nullum tutius eſt quærendi Dei genus, oratione ſanctiſſima, quæ ſemper a nobis adhiberi debet; ſine qua impoſſibile eſt, quemquam ſecundùm Deum vivere poſſe. Quis enim ignorat, quàm ſimus ad malum proni, & quàm e converſo ad bonum agendum infirmi, ideoque divino nobis eſſe opus auxilio? At cùm Deus opem ſuam non quærentibus, aut non poſtulantibus dare non ſoleat, utpote qui præcepit, *non dari ſanctum canibus, neque mitti margaritas ante porcos* (*c*); certè neceſſariò conſequitur, non orantes, divino ſæpius remanere deſtitutos auxilio. Idcirco orandum eſt, quantò fieri poteſt ſæpius, idque omnibus.

Nec eſt quòd, cùm ſe quiſquam peccatorem agnoſcat, ideoque Deo inviſum, orare deſinat, quia peccatores Deus non audiat; imo èt hoc debet illum in oratione magis reddere accenſum: licet enim ejus oratio nil mereatur, eumdem tamen ſæpiſſimè inducit ad ſtatus ſui deplorandam miſeriam, atque curandam.

Sed ſcio, plurimos Deum in tribulationibus quærere, cujus fuerant in proſperitatibus obliti; de quibus èt per Prophetam eſt dictum: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine* (*d*). Quamdiu cuncta illis proſpera eveniunt, *dicunt in corde ſuo*, quia *non eſt Deus* (*e*); at ſi in egeſtatem deveniant, ſi in carcerem trudantur, ſi gravis ſuperveniat infirmitas, ſi eorum humeris perſecutores & inimici addantur; tunc ad Deum ſe convertunt, tunc ſupplices Deum orant, tunc vota offerunt. Sic Nautæ felici vento utentes, Deum etiam plerumque horrendè blaſphemant; at ſi vehemens ingruerit tempeſtas, ſi maniſeſtiſſimum immineat vitæ periculum, nemo ſane tunc illis demiſſior, nemo religioſior. Statim proſternuntur in terram, genua

(*a*) *Matth. VII. v.* 21.
(*b*) *Lucæ XVIII. v.* 1.
(*c*) *Matth. VII. v.* 6.
(*d*) *Pſalm. LXXXII. v.* 17.
(*e*) *Pſalm. LII. v.* 1.

genua curvant, altiſſimas voces emittunt, quæ ad Cœlos uſque pertingunt; nil ibi niſi preces, niſi obſecrationes, nihil niſi vota, niſi ſuſpiria, niſi lacrymæ audiuntur.

Fuiſtis, Vercellenſes, hactenus veluti Nautæ, quamdiu tranquilla omnia habuiſtis; extincta inter vos videbatur religio; omnes eratis voluptatibus dediti; omnia præter Deum quærebatis; deſtitutæ jacebant Eccleſiæ, incultæ, infrequentes: At ubi commotum eſt mare, ubi Dux veſter, permittente Domino, infirmatus eſt graviter, ac de ejus morte dubitare cœpiſtis, quæ non modò vobis, ſed èt toti Italiæ, ac univerſo Chriſtiano terrarum Orbi incommoda plurima attuliſſet; tunc Orationem quadraginta Horarum inſtituiſtis; tunc in Eccleſiis frequentes eſſe cœpiſtis; tunc per Civitatis hujus vias, diu noctuque, homines ſaccis indutos ac ſeſe flagellantes, Dei & Sanctorum opem implorantes audivimus. Laudetur Deus, filii; ſatius enim fuit, nunc (licèt ſerò) quàm numquam, Deum quærere: ſed ſtudendum in primis eſt vobis in poſterum, ut quod nunc in tribulatione facitis, facere numquam deſinatis, ne quod Idumæis dictum fuit, contingat èt vobis a Domino dici.

Fuerant Idumæi Hebræos perſecuti, in quos, cùm eos amore proſequi debuiſſent, dirè tamen & diu ſævierant, hoſtilem in illos animum exercentes; ideo Divinus Pſaltes orabat: *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Jeruſalem, qui dicunt: exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea* (*a*): Hi Babylonios adversùs Jeroſolymam excitare numquam deſinebant. Sed cùm diu illos Deus toleraſſet, tamdem in eos iram ſuam immiſit; poſt Jeroſolymorum enim ruinam, èt ipſi miſerabiliter ſunt a Nabuchodonoſor everſi, ac divinæ iracundiæ flagella experti; quæ qualia fuerint, audite Jeremiam prædicentem: *Et erit Idumæa deſerta: omnis, qui tranſibit per eam, ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas ejus. Sicut ſubverſa eſt Sodoma, & Gomorrha, & vicinæ ejus, ait Dominus: non habitabit ibi vir, & non incolet eam filius hominis* (*b*). *Propterea audite conſilium Domini, quod iniit de Edom: & cogitationes ejus, quas cogitavit de habitatoribus Theman* (Theman enim, Edom, & Idumæa idem ſignificant): *Si non dejecerint eos parvuli gregis, niſi diſſipaverint cum eis habitaculum eorum* (*c*); *& erit cor fortium Idumææ in die illa, quaſi cor mulieris parturientis* (*d*). Hoc idem Ezechiel his verbis expreſſit:

(*a*) *Pſal. CXXXVI. v. 7.*
(*b*) *Jerem. XLIX. v. 17. & ſeq.*
(*c*) *Ibid. v. 20.*
(*d*) *Ibid. v. 22.*

ſit: *Hæc dicit Dominus Deus: Pro eo quòd fecit Idumæa ultionem, ut ſe vindicaret de filiis Juda, peccavitque delinquens, & vindictam expetivit de eis: Idcirco hæc dicit Dominus Deus: Extendam manum meam ſuper Idumæam, & auferam de ea hominem, & jumentum, & faciam eam deſertam ab Auſtro: & qui ſunt in Dedan, gladio cadent. Et dabo ultionem meam ſuper Idumæam per manum Populi mei Iſraël: & facient in Edom juxta iram meam, & furorem meum: & ſcient vindictam meam, dicit Dominus Deus* (*a*).

Igitur Idumæi, qui Dei priùs fuerant prorſùs obliti, ac in Hebræos adeò crudeles, cùm vidiſſent Jeroſolymitas de captivitatis poſtliminio cum gloria reverſos, propter generis affinitatem cum Judæis, præſidia quoque ipſi divina imploraverunt, & clamaverunt ad Dominum, ut ad priſtinam reſtituerentur libertatem. Hoc eſt, quod per Iſaiam dicitur: *Onus Duma* (hoc eſt onerati) *ad me clamat ex Seir* (*b*); ideſt habitatores montium *Seir*, qui Idumææ erant, calamitatibus oppreſſi ad me clamant: *Cuſtos quid de nocte? Cuſtos quid de nocte* (*c*)*?* nempè: Tu o Deus, qui ad te confugientes cuſtodis & tueris, quare nos non protegis ab hac calamitatum nocte? Quibus clamantibus, audite quid reſponderit Dominus, & animo inſculpite, ut quod ſupra dicebamus, verum eſſe agnoſcatis, Deum videlicet ſemper eſſe quærendum: *Dixit cuſtos: Venit mane, & nox: ſi quæritis, quærite: convertimini, venite* (*d*); quæ quidem verba perinde ſunt, ac ſi dixiſſet: Aliquando vobis luxit *mane* proſperitatis; nunc verò accedit atra *nox* afflictionis: Vos autem manè, dum res vobis ad voluntatem fluerent, fuiſtis meî immemores; nocte autem caliginis & doloris me ore invocatis. Igitur *ſi quæritis, quærite;* ſi meum auxilium imploratis in ærumnis, implorate etiam in gaudiis; ſi vultis, ut vobis opem feram, convertimini ad me in toto corde veſtro, & ad me properate: Non ore, ſed animo etiam me ipſum quærite; & ego vos ab ærumnis, in quibus verſamini, liberabo. Ubi aſpicite filii, ideo vos non eſſe aliquando a Domino exauditos, & a calamitatibus ereptos, quia Deum toto corde non invocaſtis, dicente Scriptura: *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum: ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ* (*e*).

Quæramus ergo, dilectiſſimi, Dominum, & nunc, & ſemper;

(*a*) *Ezech. XXV. v. 12. & ſeqq.*

(*b*) In Manuſcripto Archetypo Codice hujus Homiliæ legitur *Rex Seir;* mendum autem hoc, ut teſtatur Cornelius a Lapide, irrepſit in Plantinianam editionem, qua utebatur Sanctus Carolus, quæque aſſervatur in Bibliotheca Canonicorum Ordinariorum hujus Metropolitanæ Baſilicæ, referta paſſim in margine annotationibus, manu propria Sancti ejuſdem adjectis.

(*c*) *Iſaiæ XXI. v. 11.*

(*d*) *Ibid. v. 12.*

(*e*) *Deuteron. IV. v. 29.*

per; ſed quæramus, ùt par eſt, corde videlicet, ore, atque opere; recta cogitantes, devotè orantes, ſanctè operantes: quæ omnia, niſi ſimul conveniant, aut parum proderunt, aut nihil. At ſi convenerint, mihi credite, quia quærentes, ſtatim inveniemus ipſummet Chriſtum nos quærentem, & ſtantem ad oſtium ac pulſantem, ut intret ad nos, & cœnet nobiſcum, ac manſionem apud nos faciat (*a*). Securi eſtote filii, quia modico etiam contentus eſt Dominus; ſufficit illi, ut eum quæramus, quia ſtatim occurrit: imo multò diligentiùs ipſe nos quærit, quàm nos ipſum. Num animo veſtro excidit Paſtoris aſſiduitas in quærenda ove, quæ perierat; quomodo ob id ex altiſſimo Cœlo in terras deſcenderit, montes, valles, campos, ac provincias per annos trigintatres laboribus innumeris atque ſudoribus peragraverit, & tamdem moriens in ligno Crucis ovem tamdiu quæſitam invenerit? Quærit èt nunc continuò, & pulſat, dicens: *Aperi mihi* (anima), *ſoror mea*, *columba mea*, *immaculata mea*, *quia caput meum plenum eſt rore*, *& cincinni mei guttis noctium* (*b*), guttis nempe ſanguinis, quem ad eliminandam peccatorum noctem caliginoſam effudi, eoque totus aſpergor, capite meo ſpinis undique perforato: Aperi, aperi anima mea, quia te emi, te redemi; quia negare id mihi non potes; jure meo ad te ingredior: aperi ergo, ut in te quieſcam, quia deliciæ meæ ſunt tecum eſſe (*c*): vide, quanta pro te ſuſtinui, & flectere; vide ſummum erga te amorem meum, quem ut clariùs videàs, aſpice latus, quod ex induſtria aperui; introſpice per feneſtram, & cor tuî amore ſauciatum intuere.

O dulciſſime Jeſu, o benigniſſime amice, frater, ſponſe, quî fieri poteſt, ut ſit quiſpiam adeò durus, adeò ingratus, quem tua verba non commoveant, quem tuus ſanguis, tua vulnera non emolliant? Patiar-ne ego, te diutius pulſare? Intra, intra in cubiculum tuum, intra in domum tuam; inebria me, aſperge me totum, & lava ſanguine tuo, ut jam ſemper ſim tecum, ut a te numquam divellar.

Aperi Domine Vercellenſium aures & corda, ut voces tuas excipiant, ut te toto vitæ ſuæ tempore diligentiſſimè quærant, ut quæſitum inveniant, ut inventum cuſtodiant, nec umquam dimittant; ſed tamquam ſuum ſemper, & intra ſe retineant, donec illos in Regnum transferas tuum, ubi ſine fine lætentur. Amen.

(*a*) *Apoc. III. v.* 20. | (*b*) *Cant. Cantic. V. v.* 2. | (*c*) *Proverb. VIII. v.* 31.

HOMILIA LXXI.

IN ADMINISTRATIONE

SANCTISSIMÆ EUCHARISTIÆ

Sereniſſimo Domino Carolo Emmanueli Sabaudiæ Duci graviter ægrotanti

Habita Vercellis feria II. Dominicæ I. poſt Decollationem

Anno MDLXXXIII. V. Septembris.

SERENISSIME Dux, intrat ad te Jeſus Chriſtus, Dei Filius in æternitate; in tempore autem ex Maria Virgine natus. Intrat Rex ille Cœli & terræ, adeò dives in miſericordia & potens, ut præclaris munerum largitionibus ſuum in te decoret ingreſſum. Iſte te ad mortis ferè portas deductum, graviſſima, qua laboraſti, infirmitate levans, quodammodo reduxit in vitam; jam corporeæ ſanitati, ſpiritualia dona ac gratias additurus accedit, ut miſericordias ſuas majoribus adhuc tibi præſtitis cumulet miſericordiis. Æquum ſanè fuerit, & nobilitati tuæ maximè condecens, te tantæ occurrere Majeſtati, ac ad ejus pedes devolvi; quando tamen corporis greſſibus prodire nondum perfectè ſanitas recuperata permittit, opus tibi eſt, animo ſaltem ſpirituque procedere, ac cor tuum ad perſolvendas, quantas maximas poteſt, gratiarum actiones excitare, & cum Regio Propheta inflammare, dicendo: *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum* (*a*); nonne in gratias & benedictiones tota prorumpet? *Benedic* igitur *anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus* (*b*). Gratias age Domino, & lauda eum anima mea, & omnes interio-

(*a*) *Pſalm. LXI. v.* 1. | (*b*) *Pſalm. CII. v.* 1.

Digitized by Google

teriores cordis mei affectus numquam ceſſent laudare nomen ſanctum ejus: neque enim ſatis eſt linguâ & voce ipſum laudare, ſed cùm ipſe ſpiritus ſit, ac noſtrum ſpiritum intimè perſcrutetur, præſertim mente laudandus eſt; idque non frigidè, ſed ex totis ipſius viribus, cùm omnia illi debeas, quæ habes. Benedic voluntas mea, memoria mea, intellectus meus, omnes denique animæ meæ vires benedicite Domino, ut jam in poſterum ejus beneficia cogitetis, illius providentiam ametis, ejus ſacra myſteria contemplemini; in omni munere Domini Dei mei, in omni conſolatione, in omni correptione, in omni tribulatione, in omni infirmitate, in gratia, quam donare dignatus eſt, in indulgentia, qua nobis non reddidit, quod debebat. In omnibus operibus ejus benedic anima mea Domino, quia nimius eſt in miſerendo, quia caritate ſuperabundat, quia totus dulcis, totus benignus, totus ſuavis, totus amantiſſimus pater eſt, & benefactor. Sed non modò interiora mea omnia benedicite Deo; verùm ètexteriora, opes, ſtatus, dignitates, amici, corporis vires, nobilitas, quæcumque denique intra me, aut extra me, aut circa me ſunt, benedicant auctori ac factori ſuo.

Benedic iterum *anima mea Domino, & noli oblivíſci omnes retributiones ejus* (*a*), nec umquam ſinas excidere memoriâ tuâ illa tam varia, quæ in te liberaliter contulit, beneficia; ſed horum jugis memoria, & digna æſtimatio ad Dei laudem te ſemper accendat. Ut autem benedicas ſemper Domino, *noli oblivíſci omnes retributiones ejus*, qui leviſſima opera tua [quæ cùm ipſa *feceris*, *ſerva* tamen adhuc *inutilis* remanes (*b*)] digna arbitratur, quibus ipſe retribuat. Quì fieri poterit, ut non ſemper cogites, quæ primo creationis beneficio tibi præſtito, ipſe numquam ceſſat ſuperaddere ac retribuere? Audi retributiones:

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis. Quid debebatur peccatori, niſi ſupplicium? quid, niſi gehennæ ignis? Sed ecce, quia propitius remiſit tibi omnes iniquitates tuas, licèt varias atque multiplices; tibi adhuc pœnitendi ſpatium conceſſit ac tempus, cùm te ex improviſo e medio tollere potuiſſet.

Qui ſanat etiam *omnes infirmitates tuas* (*c*); nam, cùm acceptâ peccatorum remiſſione, adhuc languida remaneas, & naturali inſitâ infirmitate imbecilla, ſanat ipſe infirmitatem hanc, dexteram

(*a*) *Pſalm. CII. v.* 2.
(*b*) *Lucæ XVII. v.* 10.
(*c*) *Pſalm. CII. v.* 3.

ram ſuam porrigens, atque ad te adjuvandum feſtinans; ſed èt mortiferis ſublatis animi languoribus, nempe peccatis, ſi quando corporis morbos immittit, ut corrigat, ac veluti dilectiſſimos filios moneat, illos etiam pro benignitate ſua ſanat.

Qui redemit de interitu vitam tuam; qui, pretioſo ſuo ſanguine effuſo ab æternæ damnationis te morte liberavit; qui toties te de peccati interitu, cùm ad ipſum per pœnitentiam rediiſti, redemit; qui èt corpus tuum jam in ipſo mortis limine conſtitutum de faucibus mortis eripuit.

Qui neque hoc contentus, quòd a te mala depulerit, te etiam *coronat in miſericordia, & miſerationibus* (*a*); qui te undequaque benignitate ſua circumdat, ſepit ac circumcingit; qui tibi tribuit, ut Dæmonis inſurgentes tentationes ſuperans victoriam promerearis; coronâ te poſtmodum immarceſcibilis gloriæ in Cœlo donaturus.

Qui denique *replet in bonis deſiderium tuum*, & uſque ad ſaturitatem voluntati tuæ ſatisfacit, abundantiam omnium bonorum tibi ſuppeditans, cujus demum etiam munere id conſequèris, ut *renovetur veluti aquilæ juventus tua* (*b*).

Nuſquam ergo anima mea Dominum ceſſes laudare, qui nuſquam ceſſat retribuere; retributio enim Dei eſt, cùm peccator vocatus es, ut juſtificareris; retributio eſt, cùm erectus, gubernatus es, ne caderes; retributio eſt, cùm tibi vires ſubminiſtratæ ſunt, ut uſque in finem perſeverares: retributio erit, ut etiam caro iſta tua mortua tamdem reſurgat, & ne capitis tui capillus intereat; retributio erit, ut poſt reſurrectionem coroneris; retributio demum erit, ut Deum ipſum in æternum conſtantiſſimè laudes. Ipſe proclivitatem ad peccandum, & ad bene operandum infirmitatem ſanat; ipſe omnibus te muneribus cumulat; ipſe benignitatem ſuam in te inceſſanter exercet.

Sed jam animam tuam, Sereniſſime Dux, commotam video, Dei pedibus obvolutam, humillimè ſic orantem: Potentiſſime Rex Cœli & terræ, Dominus meus & Deus meus, in cujus manu ſunt poteſtates, & omnium jura Regnorum, qui Regna transfers, & mutas ad tuæ libitum voluntatis, *apud quem non eſt perſonarum acceptio* (*c*): Ecce ego viliſſima creatura ad te accedere audeo, quem toties offendi. Agnoſco ego, quia tu propitiatus es omni-

(*a*) *Pſalm. CII. v. 4.*
(*b*) *Ibid. v. 5.*
(*c*) *Ad Coloſſ. III. v. 25.*

omnibus iniquitatibus meis; quia ſanaſti tu omnes infirmitates meas; quia tu redemiſti de interitu vitam meam; quia tu coronaſti me in miſericordia, & miſerationibus; quia me dextera tua ſemper protexit; quia repleſti in bonis deſiderium meum: Ego verò e converſo ſæpius mandata tua traſgreſſus ſum, debito te honore fraudavi, frequenter quæ tibi diſplicent egi; jam apertè peccatum meum agnoſco, & ſupplex atque humilis fateor, quia *tibi ſoli peccavi* (*a*), quia tu ſolus Dominus, *tu ſolus Altiſſimus in omni terra* (*b*); *nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ* (*c*): jam in poſterum tibi unicè placere ſtudebo.

Sed *quid tibi retribuam pro omnibus, quæ retribuiſti mihi* (*d*)? *Quam mercedem dabo tibi, aut quid dignum poterit eſſe beneficiis tuis* (*e*)? *Si me ipſum tradam tibi, non ero condignus providentiæ tuæ* (*f*). Quoniam verò quod a me requiras audivi; ecce cor meum tibi totum offero; totum tuum ſit; nihil in id aliud intret, niſi quod tu immiſeris. Verſa me Domine, ùt vis; ſi ſanum eſſe volueris, ſim ſanus; ſi infirmum, omnes in me ſuperveniant ægritudines; ſi vitam protrahere volueris, vivam; ſi mori me ſtatueris, mors mihi erit jucundiſſima. Utriuſque votum jam penitus a me abdico, eruo penitus atque evello, & hìc ad pedes tuos adſterno. Unum tantùm te obſecro, ex quo poſuiſti me Ducem ſuper tam numeroſum populum, ut *des mibi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam* (*g*): *Mittas illam de Cælis ſanctis tuis, & a ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te: & deducat me in operibus meis ſobriè, & cuſtodiat me in ſua potentia: ut ſint accepta opera mea, & diſponam populum tuum juſtè* (*b*); ac a tua numquam voluntate recedens, viam mandatorum tuorum primus ambulem, ac per eam mihi ſubditos populos ducam; ut ſciam denique, non mihi jam pro libito meo vivendum, ſed me tibi ſubditum noſcam, ac voluntatem meam lege tua ſanctiſſima frænem.

Eris, Sereniſſime Dux, (quoniam te hæc facturum pro religione ac pietate tua, quam in te omnes perſpicuè conſpexerunt, minimè dubito) Deo acceptiſſimus; eris Conſtantino illi Magno ſimillimus, qui ob id fræno ſuo ſacratiſſimum Crucis clavum impoſuit; eris populis tuis omnibus, ùt es etiam, gra-

(*a*) *Pſalm. L. v. 6.*
(*b*) *Pſalm. LXXXII. v. 19.*
(*c*) *Pſalm. LXXVIII. v. 13.*
(*d*) *Pſalm. CXV. v. 12.*
(*e*) *Tob. XII. v. 2.*
(*f*) *Ibid. IX. v. 2.*
(*g*) *Sap. IX. v. 4.*
(*b*) *Ibid. v. 10. & ſeqq.*

gratiſſimus. Dabit tibi Deus, quoniam non aurum aut argentum, ſed ſapientiam ſolam poſtulaſti, cetera etiam omnia; erunt, te gubernante, feliciſſimi Populi tui: Videbimus te *in juſtitia regnantem* (*a*); tu *quæ digna ſunt Principe cogitabis, & ſuper Magiſtratus tuos ſtabis* (*b*), diligenter inſpiciens, ne cui injuriam inferant. Eris tu pupillis & viduis, pauperibus & afflictis, ſicut patens ac tutus portus, quò ſe recipientes, ventum ac tempeſtates effugiant; ſitientibus, ſicut rivus aquarum dulciſſimus, & præ Solis æſtu calore languentibus, ſicut umbra optatiſſima, in terra deſerta. Cùm hìc denique regnaveris, tandem etiam regnabis in Cœlo. Amen. (*c*)



HO-

(*a*) *Iſaiæ XXXII. v. 1.*

(*b*) *Ibid. v. 8.*

(*c*) Poſſevinus, qui præſens erat, in calce hujus Homiliæ, quid actum ſubinde ſit narrans, ait: „ Poſt prolata per Sereniſſimum „ Ducem maximo animi affectu ac devotio„ ne, integra Confeſſione, receptâque a ſupra„ dicto Illuſtriſſimo Domino abſolutione, pro„ latis itidem ter ab eodem Sereniſſimo ver„ bis illis: *Domine non ſum dignus &c.*, Illuſ„ triſſimus & Reverendiſſimus Dominus meus „ ſupranominatus, ei tandem Sacratiſſimam „ Euchariſtiam exhibuit.

Cardinalis Valerius Epiſcopus Veronæ in Vita Sancti Caroli ab ipſo conſcripta, atque edita in eadem Urbe anno MDLXXXVI., loquens de gravi morbo, quo conflictabatur Carolus Emmanuel Dux Sabaudiæ, ſummoque illius deſiderio videndi Servum Dei, quem ſingulari amore proſequebatur, iſta ſubjungit: „ Accurrit Carolus, manu ſua Sacroſanctam „ Euchariſtiam illi miniſtrat, verbis graviſſi„ mis, & ſpirituali dulcedine plenis & horta„ tur & conſolatur, ita ut qui aderant, la„ crymas copioſè effunderent; cùm interea „ Dux ipſe numquam ab eo oculos deflecte„ ret. Denique Dei benignitate, &, ùt ipſe „ Dux interpretabatur, Caroli precibus factum „ eſt, ut adoleſcens ſummæ ſpei, & Princeps „ nobiliſſimus convaleſceret, & in maxima„ rum rerum ſpem ad Dei gloriam, & Ca„ tholicæ Religionis conſervationem reſerva„ retur.

HOMILIA LXXII.

IN NATIVITATE

B. V. MARIÆ

Habita in Metropolitana Mediolani

Feria V. Dominicæ I. poſt Decollationem

ANNO MDLXXXIII. VIII. SEPTEMBRIS.

JOANNES, Apoſtolus Domini dilectus, & Evangeliſta ſublimis, inter ceteras, quas a Deo recepit viſiones celſiſſimas, mirabilem quamdam in Apocalypſis libro, his verbis enarrat: *Et ego Joannes vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem novam, deſcendentem de Cœlo a Deo, paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audivi vocem magnam de Throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipſi populus ejus erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus. Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: Et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit, qui ſedebat in Throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc verba fideliſſima ſunt, & vera* (*a*). Hanc quidem Civitatem divinus hic Scriptor nobis ob oculos ponens, multa ſubinde deſcribit ad eam ſpectantia; quòd videlicet *Dei* hæc *claritatem haberet: & lumen ejus ſimile lapidi pretioſo, tamquam lapidi jaſpidis, ſicut cryſtallum;* quòd *murus magnus, & altus* eam circumcingeret, *habens portas duodecim: & in portis Angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim Tribuum filiorum Iſraël* (*b*); quòdque *muro* huic *duodecim* ſubeſſent *fundamenta, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum Agni* eſſent (*c*); ſitaque eſſet *Civitas in quadro* (*d*); eſſetque

(*a*) *Apocal. XXI. v. 2. & ſeqq.*
(*b*) *Ibid. v. 11. & 12.*
(*c*) *Ibid. v. 14.*
(*d*) *Ibid. v. 16.*

que *ſtructura muri ejus ex lapide jaſpide, ipſa verò Civitas aurum mundum ſimile vitro mundo: & fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioſo ornata*, quæ etiam ſingula, eorumque nomina ad unguem deſcribit (*a*). Sed quid mirabili hac viſione putatis, dilectiſſimi filii, Sanctiſſimum Spiritum, qui *ubi vult ſpirat* (*b*), indicare voluiſſe? Non aliud profectò, quàm copioſiſſimas gratias, præſtantiſſimam dignitatem, ampliſſima dona Sacroſanctæ Eccleſiæ, tam ei, quæ glorioſa triumphat in Cœlis, quàm ei, quæ laborioſa adhuc pugnat in terris, collata, ac ad Mundi uſque finem conferenda. Sed quoniam quæcumque de Eccleſia Sancta dicuntur, eadem etiam de Sanctiſſima Dei Matre Maria, quæ ipſius eſt nobiliſſima pars, ſanè intelliguntur, cùm per ipſam ea omnia Dei Filius in Mundum attulerit; idcirco amplam myſtica Joannis viſio nobis meditandi materiam ſuper hodierna Virginis Immaculatæ Nativitate proponet: quæ quidem, cùm ſummis gaudiis atque honoribus, & inſolita quadam exultatione ſit in univerſo terrarum Orbe celebranda, certè in hac potiſſimùm Metropolitana noſtra Eccleſia peculiaribus quibuſdam eſt titulis recolenda, cùm èt ipſa Dei Genitrix totius Mediolanenſis hujus populi Patrona ſit & Advocata, cujus tutelâ tam multa a remotis ætatibus ad hæc uſque tempora a Deo eſt conſecutus, Sanctiſſimo Romano Pontifice Gregorio VII. id teſtante (*c*), tùm etiam, cùm hodiernæ ipſius ſolemnitati hæc Baſilica tam multarum Eccleſiarum Matrix ſit nuncupata. Gaudeamus ergo omnes in Domino hodie, cariſſimi, & diem feſtum colamus in Chriſti Matris Nativitate, ac admirabiles in ejuſdem ortu prærogativas ei gratulemur; tam multos quoque ac magnos nobis inde fructus provenientes, animo revolventes exultemus. Procul hinc omnis triſtitia, procul luctus omnis & dolor; ceſſent hìc lacrymæ, ceſſent ejulatus atque ſuſpiria, quia gaudii ſummi, & immenſæ hodie Mater eſt nata lætitiæ. Quas duas gaudii & exultationis cauſas dum te juvante, intemerata Mater, paucis hodie pro-

(*a*) *Apocal. XXI. v. 18. & ſeqq.*
(*b*) *Joann. III. v. 8.*
(*c*) Verba Gregorii PP. VII. leguntur in Labbeo Tom. X. Conciliorum Epiſtolâ XV. ad Chriſtifideles Lombardiæ; monens enim illos, a ſe perculſum fuiſſe anathemate Gotheſredum, qui ſeſe in Mediolanenſem Sedem ſimoniacè intruſerat, hæc ſcribit: *Nam, ſicut ſcitis, Gotheſredus vivente Guidone dicto Archiepiſcopo Mediolanenſi, eamdem Eccleſiam, quæ quondam meritis glorioſiſſimæ Virginis, & Genitricis Dei Mariæ, nec non auctoritate clariſſimi Doctoris Beati Ambroſii, inter ceteras Longobardorum Eccleſias, religione, libertate, ac ſpeciali gloria enituit, nunc quaſi vilem ancillam præſumpſit emere* &c.

proſequimur, tu benigna aſſiſte, & præſta, ut *gaudium noſtrum ſit plenum* (*a*), & id *nemo tollat a nobis* (*b*).

Miſeranda ſanè hominum poſt Adæ lapſum conditio, & deplorandus ſtatus; ut quò ceteris fuerant creati ſuperiores feliciores que, nunc miſeriores dici poſſe videantur! Quæ verò lingua humanarum calamitatum profundam abyſſum metiri poſſit? Nulla profectò; ſed inter cetera innumera hæc duo ſunt, quæ hominem infeliciſſimum reddunt, ejus ſcilicet nativitas, ac vitæ ſtatus; nam & in peccato naſcitur, & quamdiu vivit, peccare non deſinit. Originali peccato fœdatus prodit in lucem, & cùm prodierit, perpetua ei cum peccatis & fomite, cum membris & concupiſcentiis ſuis, cum Dæmone demum ac Mundo ſubeunda indicitur pugna. Peccatores naſcimur, & naſcendo miſerrimam vitam ingredimur, in qua continuò certare compellimur, & (proh dolor!) utplurimum ſuccumbimus. Quid ergo mirum, patientiſſime Job, atque omnium, quos tua ætas tulerit, fortiſſime, ſi ortum tibi cum ceteris communem conſiderans, eum ita deteſtabaris dicens: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuſtretur lumine. Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis, occupet eum caligo, & involvatur amaritudine. Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus anni, nec numeretur in menſibus. Sit nox illa ſolitaria, nec laude digna: maledicant ei, qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan: Obtenebrentur ſtellæ caligine ejus: expectet lucem, & non videat nec ortum ſurgentis auroræ. Quia non concluſit oſtia ventris, qui portavit me, nec abſtulit mala ab oculis meis. Quare non in vulva mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii* (*c*)? Quid mirum, ſi tu etiam Jeremia ſanctiſſime, idem conſiderans exclamares: *Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea, non ſit benedicta. Maledictus vir, qui annunciavit patri meo dicens: Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi gaudio lætificavit eum. Sit homo ille, ùt ſunt Civitates, quas ſubvertit Dominus, & non pœnituit eum: audiat clamorem manè, & ululatum in tempore meridiano: Qui non me interfecit a vulva, ut fieret mihi mater mea ſepulchrum, & vulva ejus conceptus æternus* (*d*). Quid mirum, ſi Regius Propheta David crimen adulterii deflens, ac ſoli Deo ſe peccaſſe accuſans, & hujus culpæ radi-

(*a*) *Joann. XVI. v.* 24.
(*b*) *Ibid. v.* 22.
(*c*) *Job III. v.* 3. *& ſeqq.*
(*d*) *Jerem. XX. v.* 14. *& ſeqq.*

radicem inquirens diceret: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea* (*a*)? Radix quippe omnis culpæ actualis, eſt peccatum originale, quod a parentibus eo infectis contrahitur, & in quo omnes naſcuntur, perhibente Apoſtolo, quia *per unum hominem in hunc Mundum peccatum intravit, & per peccatum mors* (*b*). Quod quidem originale peccatum, licèt in ſe ipſo unum ſit, cùm tam multorum tamen origo ſit & prima radix, multiplex dici poteſt; ideoque non immeritò plurium numero uſus deflet David, dicens: *Ecce enim in iniquitatibus*. Quid, obſecro filii, naſcentium illæ lacrymæ, quid illi inconſolabiles fletus, quid illi inceſſantes gemitus & ejulatus portendunt? quid ſibi volunt? Certè, licèt uſu rationis careant, tenellos illos infantulos mihi videor audire dicentes: Heu nos miſeros, nondum natos, ac ſtatim peccato ſubjectos! Priùs ſumus mortui, quàm in hanc lucem editi; priùs a cœleſti Patria exulantes, quàm hunc Mundum ingreſſi; infirmiorem animam ſortiti, quàm corpus! Et quò jam tamdem nos mater noſtra adduxit, niſi in terram inimicorum noſtrorum? niſi in mare immenſum, plenum retibus, quibus veluti miſeri piſciculi irretiamur; plenum ſcopulis, quibus fragiles naviculæ impingentes, allidamur; plenum monſtris, a quibus voremur? niſi in prata quidem virentia, ſed foveis plena, in quas prolabamur; ſed latentibus anguibus referta, a quibus inficiamur? niſi in arenam, in qua ſoli nos infirmiſſimi ac pene inermes, diſpari admodum conditione, cum plurimis fortiſſimis & armatis pugnemus? niſi in vallem lacrymarum, in qua perpetuam habeamus lugendi materiam, mala ſcilicet, quæ incurrimus, & cœleſtia, quæ amittimus bona? niſi in Mundum plenum diſcordiis, rixis, contentionibus, invidia, maledictionibus, detractionibus, periculis? niſi demum in terram, quæ tribulos & ſpinas nobis tantummodo germinat? Quid ergo non lugeamus, in hujuſmodi vitam educti? Miramur nos potius, licèt infantuli, vos ſtultiſſimos mortales, qui inter tot pericula conſtituti, inter tot acerbiſſimos hoſtes verſantes, quaſi tamen nihil timendum ſit vobis, ridetis.

Et quis miſerrimam vitæ noſtræ conditionem mente concipiens ignorat, quàm multæ nobis ſubeundæ ſint contradictiones, quot pericula Deum irritandi nobis immineant, quot cum nobis metipſis pugnæ agendæ, quot peccandi ſuggeſtiones, quot occaſiones

(*a*) *Pſalm. L. v. 7.*

(*b*) *Ad Roman. V. v. 12.*

ſiones nobis occurrant; ut poſſimus meritò omnes verbis illis uti, ac quilibet noſtrûm ad Dominum dicere: *Peccavi, quid faciam tibi, o cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, & factus ſum mihimetipſi gravis* (*a*)? Audite, quàm amarè conflictum hunc, & carnis a ſpiritu rebellionem ille deploraret, qui tamen vas erat electionis: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (*b*)? Certè tanta eſt iſta calamitas, ut jure ſinguli conqueri poſſimus propheticis verbis: *Væ mihi, mater mea, quare genuiſti me virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra* (*c*)? Satis fuerat nobis grave, quòd cùm *patres noſtri uvas acerbas comediſſent, dentes* tamen *noſtri obſtupuiſſent* (*d*), & patrum iniquitas tranſiſſet in filios: Sed quòd ſemper duriſſimum bellum exercere cogamur, & tanto in periculo verſari æternæ damnationis per peccatum incurrendæ; hoc certè maximum eſt, quod nos ſemper anxios, ſolicitos, timidos ac flentes tenere deberet; licèt alia ex parte non modicum recreare nos debeat Chriſti adjuvantis promptum auxilium, ac divinæ ejus gratiæ immenſa fortitudo.

Verùm quanta e converſo eſt illius dignitas ac prærogativa, quantus ei a Deo favor exhibitus, cujus & nativitas peccato, & vita rebellionibus careat; qui & ſine originali peccato naſcatur, & procul ab omni mortali vivat, & etiam veniali! Non ſunt hæc certè communia, neque omnibus data, ſed pauciſſimis reſervata; ſoli videlicet Dei Filio, *qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus* (*e*); qui, licèt Humanitatem noſtram & carnem aſſumpſerit, hæreditarium tamen Adæ peccatum non ſenſit, nec carnis ullas umquam illecebras, aut fomitis contradictionem, ſive peccati aculeum: Soli etiam poſt ipſum Mariæ; neque verò dum *poſt* dicimus ad temporis ſubſecutionem, ſed ad muneris ac beneficii amplitudinem id referimus; nam èt Jeremias ſanctificatus in utero fuit, & Chriſti Præcurſor Joannes, ſed diverſimodè, ùt mox audietis.

Ideo, cùm aliorum Sanctorum atque Sanctarum eos dumtaxat dies Sancta Mater Eccleſia colat, quibus, peracto vitæ hujus curriculo, in Domino mortui ad cœleſtem Patriam evolarunt;

(*a*) *Job VII. v.* 20.
(*b*) *Ad Roman. VII. v.* 23. & 24.
(*c*) *Jerem. XV. v.* 10.
(*d*) *Ibid. XXXI. v.* 29.
(*e*) *I. Petri II. v.* 22.

runt; Chriſti tamen, & Mariæ, ac Joannis dies etiam natalitios congruè celebrat, eò quòd, cùm ceteri peccatores ſint nati, atque ad pugnam acceſſerint, hi a peccato fuerint ſemper immunes; imo Maria, ſupra Joannem & Jeremiam, nec leve ullum, aut quod dicunt veniale delictum umquam commiſerit. Præterquamquod multò majori, quàm illi, fuit hæc Virgo gratià repleta, atque etiam citiùs; nam Joannes quidem ſexto poſt conceptionem menſe fuit in utero ſanctificatus, hæc verò ab ipſo ſtatim Conceptionis exordio gratiæ plenitudinem accepit. Ac ſicut inter vaſa æqualiter aquis redundantia, quæ ampliora ſunt, majorem etiam aquæ continent copiam; ſic Mariæ Anima vas profundiſſimum, & mare magnum, ingentes continet gratiæ theſauros, de quibus èt nos miſeri mortales participes eſſe poſſimus. Fuit Joannes in utero repletus Spiritu Sancto, ſed natus ſemper pugnavit, ac ut vinceret in deſerta ſe abdidit, aſperam agens pœnitentiam, auſteram ac rigidam vitam ducens. At Maria Divinæ indulgentiæ dono inferiores omnes animi ſui motus pleno ita ſemper ſubegit imperio, ut nulla umquam ei fuerit cum illis pugna; nec deſerta eligere debuit, ut victoriam conſequeretur. In Joannis nativitate prædixerat Angelus, quòd multi eſſent gaviſuri; at in Mariæ ortu Sancta Mater canit Eccleſia: *Lætemur omnes in Domino, diem feſtum celebrantes in honorem Beatæ Mariæ Virginis*. O quantam gaudii occaſionem Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo omnibus præbuit! Gaudet Pater æternus, cui & Filia ſimul hodie naſcitur, & Sponſa; gaudet Unigenitus Dei Filius, cui hodie exoritur Mater, & hoſpita; gaudet Spiritus Sanctus, cui paratur Templum; gaudet tota Trinitas Deus, cujus hodie Tabernaculum ad habitandum cum hominibus inſtruitur. Gaudet immenſa Dei Sapientia, cui hodie domus ædificatur; gaudent Angeli omnes, quibus naſcitur Domina atque Regina, quæ ſedium ſuarum eſt productura reparatorem; gaudent juſti, quibus oritur Mater, ex qua Sol juſtitiæ prodibit. Gaviſi ſunt, qui erant in Limbo, quibus hodie refulſit aurora Solem allatura, per quem ipſi erant e tenebris in Cœli gaudium educendi; gaudent peccatores, quibus naſcitur Advocata; gaudent omnes afflicti, pauperes, miſeri, cùm Mater hodie naſcitur miſericordiæ; gaudet Cœlum in Reginæ Cœli ortu; gaudet denique terra, non jam ſpinas & tribulos, ſed roſam ſine ſpinis, lilium ſuaviſſimum, fœcundiſſimam frumenti ſpicam, ac jucundiſſi-

diſſimum hodie fructum producens. Sed quàm multis de cauſis gaudere debent hodie Mediolanenſes omnes hi filii mei, o Virgo Sanctiſsima, quorum tu protectrix, quorum ſingularis Patrona, quorum adjutrix, quorum in Cœlis es Advocata; cui præcipuum hoc totius Provinciæ Templum eſt dicatum, cui tam multa debent, a qua tam multa ſe accepiſſe una voce confitentur!

Magna certè fuerunt Mariæ naſcentis exordia, quæ admirabilis vitæ exempla, & virtutum amplitudinem portendebat. Idcirco ea, quæ de Sancta illa Civitate, hoc eſt Eccleſia triumphante, vidit Joannes, videmus èt nos hodie in Maria pulcherrimè adumbrata.

Atque in primis *Civitas* eſt; nam quemadmodum Civitas multorum eſt Civium ſub uno Principe aggregatio, in qua quidquid deſiderari poſſit, facilè invenitur; ſic Mariæ Anima multarum eſt facultatum & affectuum, ſub unius rationis imperio, quam Dei voluntas omnino moderatur, adunatio; in qua quid eſt, Fratres, ad æternam vitam neceſſarium, quod non abundè reperiatur? Nulla eſt virtus, nullum donum, nulla excellentia, nulla perfectio, qua non affluat Maria; verè *Civitas* Regalis *Dei*, quàm *glorioſa dicta ſunt de te* (*a*)! quam nullis paribus præconiis laudare umquam valemus.

Sancta, quæ ſanctitatis fontem geſtat in ſinu; quæ adeò eſt fortis ac firma, ut nullos timeat inimicorum incurſus; quam mille virtutes, veluti mille fortiſſimi duces, diu noctuque cuſtodiunt.

Sed unde prodit hæc Civitas? Eam videmus *deſcendentem de Cœlo* (*b*); cœleſtis enim eſt gratia, qua Deus eam ditavit; unde èt ei per Iſaiam dicitur: *Dominus faciens, & formans te* (*c*); quæ etiam quidquid habuit boni ac perfecti, totum ſe a Deo habuiſſe cognovit, a quo *omne datum optimum* eſt, *& omne donum perfectum* (*d*); quod èt apertè confeſſa eſt, dicens: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt, & ſanctum nomen ejus* (*e*). Verè *deſcendens*, quia in ſuî ſemper exiſtimatione, dum vixit, deſcendere maluit, quàm aſcendere, de ſe humilia ſentiendo, humilia deſiderando, humilia exequendo; quæ, quia ita delectabatur profundâ animi

(*a*) *Pſalm. LXXXVI. v.* 3.
(*b*) *Apocalypſ. XXI. v.* 2.
(*c*) *Iſaiæ XLIV. v.* 2.
(*d*) *Jacob. I. v.* 17.
(*e*) *Lucæ I. v.* 49.

animi demiſſione, adeò poſtea meruit a Filio exaltari; *Nemo* enim *aſcendit in Cœlum, niſi qui deſcendit de Cœlo* (*a*). Et quidem omnium noſtrùm, filii, Anima, Civitas eſt ſancta, utpote Chriſti ſanguine pretioſiſſimo tincta; ſed multi ab ipſis exordiis errant: quamobrem Civitas, quæ Dei fuerat, & ſancta, ſpelunca redditur ſerpentum, ſtruthionum, atque latronum; dum non e Cœlo, ſicut Maria, deſcendunt, ſed in ſe ipſis gloriam quærunt, quidquid habent, viribus ſuis acquiſiviſſe arbitrantes. Et hi veteres Civitates ſunt, nempe veteris Adæ, vetus ſuperbiæ peccatum retinentes.

At Maria eſt *Civitas nova*, ab omni peccati corruptela mundiſſima, quæ, quod poſtea Apoſtolus faciendum præcepit, in ſe prima compleverat: *Exuerat* ſcilicet *veterem hominem cum actibus ſuis, & induerat novum, eum, qui renovatur in agnitionem Dei* (*b*). Ad veterem enim hominem pertinet, cervicem ſuperbam contra Deum erigere, vetita contingere, terrenis concupiſcentiis inhiare, gulæ atque ebrietati deſervire, luxuriæ inquinamentis ſordidari, irà uſque ad neces exulcerari, zelo atque invidia exuri, de aliorum felicitatibus contriſtari, propter terrena damna mœrore affici, de comparatis lucris immoderatè lætari, elatione ſupra ceteros extolli; quæ omnia non exuit Maria, cùm numquam iiſdem fuerit induta, vel indui neutiquam poſſet, cùm eſſet gratià plena. Sed contraria omnino ejus omnia ſtudia fuerunt, quæ ad novum pertinent hominem; nempe omni humilitate Creatori ſuo ſe ſubdere, illicita non præſumere, terrena deſpicere, cœleſtia appetere, jejuniis vacare, caſtitate fulgere, pacis abundantià repleri, caritate vigere, de alienis felicitatibus gaudere, de terrenis indigentiis neutiquam triſtari, de acquiſitis cœleſtibus theſauris minimè extolli, ac de ſe humillimè ſentire. Hæc ſunt, quæ ad *novam Civitatem* pertinent, cujus ædificium non in terra ſuper arenam, ſed in Cœlis ſupra terram figitur. Hæc ſunt, quæ in Marià prorſus *nova* extiterunt. Quid enim Marià magis novum, aut inauditum? Quàm novum Mundo fuerat virginitatis votum, cùm filiis carere turpe exiſtimaretur? attamen Maria virginitatem Deo voverat. Quid magis novum, quàm Virginem ſimul exiſtere, & Matrem? at illa omnium prima & ſola, Virgo ſimul fuit, & Mater. Quid magis novum, quàm Deum increatum Filium habere? at Maria Dei

(*a*) *Joan. III. v.* 13.

(*b*) *Ad Coloſs. III. v.* 9. & 10.

Dei Genitrix fuit. Quid magis novum, & omnem captum excedens, quàm Filii eſſe Filiam, & Parentis ſui Matrem? at Maria Dei Filii ſui fuit Filia, & Creatoris ſui Mater. O nobilis Civitas, o quàm pulchra, quàm *nova*, de altiſſimo Cœlorum ad nos hodie deſcendens!

A Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo. Et quis hujuſmodi ornatum aut præparationem conſiderando non deficit? Hoc unum, o Dei Mater, tuas omnes excellentias ac dignitates abundè ſignificat, quòd non a Rege, non a Principe aliquo terreno, ſed a ſummo Deo, qui omnia poteſt, omnia ſcit, non quomodocumque, *ſed uti ſponſa ornata*, fueris *parata* Spiritui Sancto, cujus tu Sponſa extitiſti. Creavit Deus univerſa hæc, quæ in terris ſunt & in Cœlis, ſolo verbo *fiat*; ſed cùm ad hominis creationem devènit, ejus præ ceteris dignitatem indicans, ac ſuper creata omnia præeminentiam, nobiliori etiam quadam ratione, ac quadam veluti præmiſſa conſultatione: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram* (*a*). Qualis ergo credenda eſt, ut ita loquar, conſultatio adhibita ac præparatio, in ejus creatione Virginis, quæ Dei futura erat & domus, & Mater; cujus ex carnibus atque ſanguinibus carnem Dei Filius erat ſumpturus; cujus erat lacte paſcendus; intra cujus erat uterum per tot menſes permanſurus? O qualibus ornamentis decoratur Urbs iſta, qualibus prærogativis ac dotibus illuſtratur Maria, electa Dei Mater! Si ſtabulum hoc, Mundum videlicet, qui pecorum & jumentorum eſt patria, adeò Deus pulchrum effecit, tam varium, tam conſpicuum; ſi tot ſtellas creavit, tam lucida in eo poſuit luminaria, Solem ut diei, Lunam ut nocti præeſſet; tot amœnos colles, tot cryſtallinos fontes ac rivos, tot prata variis herbarum coloribus picta: ſi hæc, inquam, jumentis ſunt præparata & conceſſa, mundanis videlicet hominibus, jumentorum more viventibus; quantùm ornata erit Dei domus, quàm variè picta, quàm magnificè præparata? Nemo certè id novit, niſi qui eam ornavit, præparavit, inſtruxit. Solus tu Chriſte, qui eam tibi domum paraſti, qualiter paraveris, noſti.

Hæc, filii, *domus* eſt, quam *ſibi ædificavit Sapientia* (*b*); cujus ornatus quantus fuerit vèl ex his ſolis verbis conjicite. Quis enim ædificavit? *Sapientia*. Quid ædificavit? *domum*. Cui ædificavit?

(*a*) *Geneſ. I. v.* 26.

(*b*) *Proverb. IX. v.* 1.

cavit? *ſibi*. Si Sapientia artifex fuit, opus certè a præſtantiſſimo omnium Artifice nonniſi pulcherrimum, ac ſpecioſiſſimum prodiit. Verùm èt alia multa *ædificavit Sapientia*, ſed non multas *domos*; alias quoque domos, ſed non *ſibi*. Solam Mariam *ſibi* ædificavit, & in *domum*, æterni Patris *Sapientia*, Chriſtus Dei Filius, quia ex ſola Maria Humanitatem aſſumpſit, de ſolis Mariæ viſceribus carnem recepit. O quàm pulchra Civitas Maria, quàm ornata & parata, pro cœleſti Sponſo conſtructa!

Habet hæc *Civitas claritatem Dei*. Æſtimet jam qui poteſt, quanta Mariæ ſit claritas, & quidem Sole ipſo ſplendidior, quæ claritatem, quam Creator habet per plenitudinem, habet ipſa per plenitudinis participationem. Ejuſdem claritatis excellentiam idem Joannes, cujus adhuc viſionem proſequimur, exprimit dicens: *Lumen ejus ſimile lapidi pretioſo* (*a*). Et quis lapis, niſi Chriſtus? *lapis*, inquam, *abſciſſus de monte ſine manibus* (*b*); *lapis, quem reprobaverunt ædificantes* (*c*); lapis demum pretioſus, virtutum pulchritudine & plenitudine decoratus. *Lumen* ergo tuum, o Virgo, *ſimile lapidi pretioſo* dicitur, quoniam tu virtutibus, præ ceteris omnibus aſſimilabaris Filio tuo, qui lapis erat jaſpis, atque cryſtallum; jaſpis quidem ob immarceſcibilem virorem virtutum, cryſtallum verò ob gloriam immortalitatis effulgens.

Munitur hæc Civitas, filii, *muro magno & alto*. Chriſtus quippe murus Mariam undequaque circumdedit atque protexit; quo muro concluſa, confidenter dicere potuit: *Salvator ponetur in me murus, & antemurale* (*d*); de illa multò ante Dominus dixerat: *Ego ero ei murus ignis in circuitu* (*e*). *Murus* hic verè *magnus*, Chriſtus ſcilicet Dominus, immenſitate incomprehenſibilis & æternus, ſublimitate majeſtatis altiſſimus, (qui murus meritò duodecim fundamenta habuiſſe deſcribitur, quoniam ex Patriarcharum genere Chriſtus carnem aſſumpſit) o quantam Civitati huic fortitudinem addidit, quàm inexpugnabilem reddidit Mariam, quàm inacceſſo ſitu atque fortiſſimo eam conſtruxit!

In *quadro* ſitam vidit Civitatem Joannes; quatuor quippe ejus ſunt latera, Fides, Spes, Caritas, ac bonorum operum exercitatio. Hinc Maria quantum credidit, tantum ſperavit; quantum ſperavit, tantum dilexit; quantum dilexit, tantumdem eſt ope-

(*a*) *Apocal. XXI. v.* 11.
(*b*) *Daniel. II. v.* 34.
(*c*) *Pſalm. CXVII. v.* 22.
(*d*) *Iſaiæ XXVI. v.* 1.
(*e*) *Zach. II. v.* 5.

operata. Verè *in quadro* ſita dicitur, quæ fide robuſta, ſpe longanimis, ampla caritate, efficax extitit opere. Quatuor item tibi fuere latera o Civitas Sanctiſſima, quatuor nempe præcipuæ Chriſtiani hominis virtutes, prudentia, temperantia, fortitudo, juſtitia.

Sed èt tota Civitas pulcherrima, *aurum* eſt *mundum;* ſicut enim aurum mundum fulgore rutilat, ita Divinæ cognitionis ſplendorem, tuamque, o Maria, incomprehenſibilem dignitatem vèl ex tuis fundamentis licet conjicere.

Habuit, auditores, Maria *fundamenta duodecim*, quibus ipſa tamquam Civitas, dum viveret, innitebatur. Primum quidem erat *jaſpis*, qui quoniam viret, Fidem deſignat, omniumque eſt origo virtutum. Tanta verò extitit Mariæ Fides, ut in ea ſola, Chriſto Domino in Cruce pendente, Fidei lumen permanſiſſe credendum ſit; quod fortè Mater Eccleſia innuens, in Majoris Hebdomadæ Matutinis Officiis, ceteris omnibus ceris extinctis, unicam ſemper retinet accenſam (*a*). *Credidit* quidem *Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam* (*b*); ejuſque Fides ab omnibus in univerſo terrarum Orbe celebratur: Sed quantò ſublimior extitit Mariæ Fides, quæ, licèt Virgo, Matrem tamen ſe futuram credidit, & Deum increatum de ſuis viſceribus carnem ſumpturum, Angelo nunciante, non dubitavit? quæ Fides non modò ei *reputata eſt ad juſtitiam*, ſed èt nobis omnibus ad ſalutem æternam. O quantum debemus omnes Fidei tuæ Maria! Quantum tuus ille nobis præſtitit mentis & cordis aſſenſus, cùm loquenti per Angelum Domino, indubitanter & promptè reſpondiſti: *Ecce Ancilla Domini fiat mihi ſecundùm verbum tuum* (*c*)! Verè ſupèr primo hoc *jaſpidis* fundamento tota ſalus humana firmatur.

(*a*) In hac opinione fuit Durandus Lib. VI. Rationalis, ubi agit de Luctu Eccleſiæ per tres dies in Hebdomada Majori; ibi enim ſcribit, per candelam, quæ poſt alias in recitatione Pſalmorum extinctas ardens ſola relinquitur „ ſignificari primò Fidem, quæ in ſola Virgine Deipara remanſit, & per quam poſtea „ omnes Fideles docti & illuminati ſunt: Secundò ſignificari Chriſtum, qui, licèt videretur ſecundùm carnem extinctus, ſecundùm Divinitatem, quæ erat occulta, vivebat, & poſtea reſurgens cum luce clariſſima ſe ſuis Diſcipulis manifeſtavit „. Poſtremam hanc ſignificationem tradidit Amalarius Lib. IV. de Eccleſiaſt. Officiis Cap. XXII., eamque amplexi ſunt recentiores Divinorum Officiorum Expoſitores. Non ita Theologi conſentiunt Durando, in aſſerendo, Fidem in ſola Virgine permanſiſſe; licèt enim in ipſa ſupra ceteros excelluerit hæc virtus, dici tamen non poteſt, eam in Apoſtolis extinctam fuiſſe. Eminentiſs. Cardinalis Proſper Lambertinus, nunc Benedictus XIV. Pont. Max. Tom. I. Adnotat. ad Matutinas Horas Tenebrarum, num. CXXV. iſta conciliat, aſſerens, in relicto accenſo Cereo ſignificari poſſe, quòd in ſola Virgine perſeveraverit Fides clara Reſurrectionis Chriſti.

(*b*) *Geneſ. XV. v. 6., & ad Roman. IV. v. 3.*

(*c*) *Luc. I. v. 38.*

Eſt ſecundum *ſapphirus*, qui, cùm Cœlo ſereno ſimilis ſit, cœleſtium indicat bonorum Spem, quæ tu conſtantiſſimè anhelans, omniaque tua vota atque opera ad illa dirigens, nos rite docuiſti, fundamentum hoc a nobis, vitam ſanctam inſtituere cogitantibus, eſſe jaciendum, ut a terrenorum rerum deſiderio abducti, in Domino Deo tantùm ſperemus.

Eſt tertium *chalcedonius*, qui lucens, quaſi pallens ignis lucernæ, Caritatem oſtendit, cujus munus eſt in abſcondito quidem bene agere, ſed, cùm aliis prodeſſe poteſt, quid intus fulgoris habeat palam facere. Erat Maria, fratres, ſolitudini dedita, non per plateas concurſabat, non inter homines verſabatur, non eam quiſpiam in publico ſermones miſcentem audiebat, ſed in intimis penetralibus ſola cum Deo loquebatur. At ubi juvandi proximi, aut pii officii exhibendi ſeſe offerebat occaſio; quid Marià promptius, quid ejus caritate ſplendidius, quid clarius? Audivit ab Angelo, Cognatam Eliſabeth eſſe prægnantem; numquid domi conſtitit, aut virginitatis pudor, vel prolixitas itineris eam retardavit? Minimè profectò, ſed *exurgens abiit in montana cum feſtinatione* (*a*), per tres menſes in Cognatæ domo permanſit, eique, veluti humillima ancillarum, officioſa quælibet præſtabat obſequia.

Quarti fundamenti loco *ſmaragdus* eſt, excellenti viriditate conſpicuùs, Fortitudinem deſignans, in tolerandis infortuniis maximè neceſſariam. Maria, tamquam Dux imperterritus, fortitudinis exempla mortalibus omnibus exhibuit, cùm in tot adverſis rebus numquam animum deſponderit, in tot Filii ſui ærumnis ſemper infracta, ſemper fortiſſima, ſemper invicta perſtiterit.

Sardonix aliqua ex parte niger quintum obtinet locum, per quem Humilitatis virtus rectè intelligitur. Et quid, obſecro, te ad Dei Maternitatem evexit Sanctiſſima Virgo? Numquid virginitas? At aliæ multæ Virginis erant: ſola certè humilitas Deo te reddidit gratiſſimam; *quia enim reſpexit* Dominus *humilitatem* tuam, *ecce beatam te dicunt omnes generationes* (*b*).

Sexto loco *ſardius* lapis apparet, ſanguineo fulgens colore, Martyrii atque Paſſionis non incongruus typus. Jam aliàs dixiſſe me recolo, ſed èt nunc repeto: cedat Laurentius in craticula vivus aſſatus; cedat Stephanus lapidibus obrutus; cedat Bar-

(*a*) *Luc. I. v.* 39. | (*b*) *Ibid. v.* 48.

Bartholomæus excoriatus; cedat Caſſianus ſtylis ferreis, imbellium puerorum manu confoſſus; cedat Cruci Petrus affixus, alligatus Andreas; cedant Martyrum omnium licèt crudeliſſima ſuppliciorum genera, gladio illi acerbiſſimo, qui Mariæ animam, Chriſti ejus filii mortem oculis ſpectantem transfixit; hæc enim Filii membra immaniter lacerata multò cariùs, quàm illi propria, dilexit.

Eſt ſeptimum *chryſolithus*, ſcintillas quaſi ardentes emittens, qui miraculorum exprimit claritatem. Hac in re, me quoque tacente, muri ipſi Eccleſiarum, tabulis ligneis, ac votivis donariis copioſiſſimè ornati, in tam multis per totum Catholicum Orbem extructis Eccleſiis, ac Mariæ dicatis, innumera eaque maxima prædicant miracula, quæ per ejus Matrem Sanctiſſimam operatus eſt Dominus.

Octavum *berillus*, qui, cùm manus pertractantium urere videatur, eos deſignat, qui tales ſunt, ut ceteros exemplo ſuo, ſuique converſatione ad juſtitiam, & virtutem omnem amplectendam inflamment. Hunc tu nobis, ſapientiſſime Dionyſi, in Mariæ fundamento lapidem oſtende. Ipſum enarrantem audite, filii: Talem nempe fuiſſe Mariæ faciem, ac ſolum ejuſdem aſpectum, nedum vitam atque converſationem, ut in quos illa oculos conjiceret, quive illam conſpicerent, miro ſtatim quodam ardore ſuccenderentur, ac omnis in eis libidinis fomes reſtingueretur.

Nonus lapis *topazius* aurei & ætherei coloris, cœleſtium rerum contemplationem oſtendit; qua adeò præſtitit Maria, ut non modò Dei verba, ſed èt rudium Paſtorum de Deo ſermones intra ſe conferens, ſedula in corde ſuo ſervaret (*a*).

Chryſopraſus decimum fundamentum, viridis & aureæ mixturæ, deſiderium indicat virentis æternitatis, & cœleſtis gloriæ, ad quam totis præcordiis aſpirabat Maria, quamque ardentiſſimè, poſt Filii ſui potiſſimùm in Cœlum aſcenſum, expetebat.

Penultimum *hyacinthus*, in ſereno perſpicuus, in nubilo verò quodammodo marceſcens, eos adumbrat, qui licèt cœleſtibus contemplationibus dediti, miſericordiæ tamen viſceribus & pio miſerationis affectu, infirmis ac debilibus compatiuntur. Videte hyacinthum pretioſiſſimum in Maria. Accedit ad nuptias in Cana

(*a*) *Lucæ II. v. 19.*

Cana Galilææ; neque tamen umquam a cœleſtium meditatione illam vèl modicum deflectentem putetis, imo tota ſemper eſt in Deum intenta, in Chriſtum fixos ſemper conjicit oculos: Et tamen orare non deſinit pro convivis, eorumque neceſſitates Filio exponere, dicens: *Vinum non habent* (*a*). Quantum creditis humano illa generi compateretur, quantum eamdem Mundi peccata cruciarent! Certè paratam ipſam arbitror, imo firmiſſimè teneo, fuiſſe, ſi id neceſſitas poſtulaſſet, pro animabus ſingulis a peccati ſervitute liberandis, ea omnia promptiſſimè pati, quæ Filium ſuum paſſurum præviderat.

Ultimum tamdem locum habet *amethyſtus* purpurei coloris, Regiam deſignans dignitatem, qua & ſecundùm carnem, & multò digniùs in anima refulſit Maria; ex Regia quippe ac Sacerdotali illam ſtirpe originem duxiſſe quis ignorat? Jam verò Cœli & terræ eſſe Reginam ſcimus omnes apertiſſimè.

O quàm pulchra Civitas, quàm ſancta, quàm fortis, quàm ornata, quàm ſplendida, quàm mundanæ Civitati contraria, quæ carni tantùm fragili, fluxæ gloriæ, ac caducis honoribus nititur! Videant miſeri mortales, qualia ſibi fundamenta conſtituant, cùm *carnem ponunt brachium ſuum, & confidunt in homine* (*b*). Quid carne fragilius? quid vitro debilius? Utinam, filii, triduo ante, mecum omnes fuiſſetis; ſperaſſem quidem futurum, ut permulti, quæ Mundi ſit vanitas, agnoviſſent.

Non eſt fortè quiſpiam inter vos, qui Sabaudiæ Ducis, nobis finitimi, divitias, magnificentiam, atque amplitudinem Ditionis ignoret; latiſſimis namque Provinciis imperat, Sabaudiæ videlicet, ac Pedemontio. Hic viginti & amplius Civitatibus jura dat; plurimos ſub ſe nobiliſſimos Optimates habet; fertilis eſt & locuples ejus Regio rebus omnibus, quæ tum ad humanum victum neceſſariæ, cum etiam ad voluptatem ſunt opportunæ: Habet ampliſſimos redditus, utpote cui octingenta & amplius aureorum nummûm millia, quotannis ex populorum vectigalibus pendantur; numeroſos exercitus brevì, cùm ei placuerit, parat; potentiſſimis Regibus eſt affinitate conjunctus; quingentos & amplius habet ſervos; florentis eſt ætatis, & vigeſimum vix annum exceſſit. Hic omnibus felicitatibus affluit, quæ ſperari a Mundo poſſint; eſt ſubditis ſuis cariſſimus; cum non uti Dominum ſolùm, ſed veluti benigniſſimum Pa-

(*a*) *Joan. II. v.* 3. | (*b*) *Jerem. XVII. v.* 5.

Patrem, ac Protectorem amantiſſimum diligunt (a). Hunc ego in lecto jacentem infirmum, ad mortis ferè portas deductum inviſi. Mirandum ſpectaculum! Quantus totam ejus domum ſquallor invaſerat, quantus luctus & dolor! Videre erat in angulis domûs, cubiculorum, platearum, & totius denique Civitatis, ſuſpiria altiſſima ex intimo corde trahentes Aulicos, annos plurimos in ejus obſequio tranſactos deplorantes, atque intra ſe amariſſimè dicentes: Miſeri, qui totam vitam noſtram, opes omnes noſtras hìc fruſtra conſumpſimus, ut Principis hujus, qui tam citò nobis eripitur, gratiam iniremus; ut rebus noſtris eſſet conſultum; ut Magiſtratus aliquos, honores aut prædia conſequeremur! Et ecce omnis ſpes noſtra jam corruit. Flabit Dominus, & omnia in pulverem adducentur. Quantò ſatius fuiſſet, ſi nobis ipſi conſuluiſſemus! Eumdem ego Ducem, alioquì religioſiſſimum Juvenem, ac verè Catholicum Principem, mihi dicentem hiſce auribus audivi: En quid mihi vires meæ, quid opes, quid potentia, affinitates, amicitiæ, Arces, Urbes, milites, equites, quid demum auri & argenti, ac gemmarum copia proſunt; quem minima aëris intemperies, minimum frigus, calori importuno admixtum febrimque accendens, lecto configit, mihique & reliquis omnibus inutilem reddit; imo, ſi Deus voluiſſet, e vivis quoque exceſſiſſem? O verba verè regia; verè Chriſtianorum omnium cordibus inſculpenda! Sed, Deo dante, piiſſimus Princeps convaluit. Hæc obiter, filii, dixiſſe ſit ſatis, ut & abſentiæ meæ a vobis cauſam intelligatis, & quàm debilia ſint mundanæ Civitatis fundamenta noſcatis; atque ea jacere ſtudeatis, quibus regia Civitas Maria, cujus hodie Nativitatem colitis, fuit innixa.

Sed jam Angeli clamantis vocem audite, ac Nativitatis Mariæ

(a) Quanto amore Sanctus Carolus Borromeus Sabaudos Principes proſequeretur, crebrò in ejuſdem Vita Gluſſianus enarrat; Emmanuel namque Philibertus non tantùm omni obſequiorum genere veluti Patrem coluit Sanctiſſimum eum Præſulem, ſed etiam enixè deprecatus eſt, ut Primogenitum ſuum, in filium reciperet. Neque umquam deſtitit inclyta ea Domus peculiarem ſuam religionem erga Sanctum Carolum Cœlitibus jam adſcriptum oſtendere. Siquidem ad ejus Sepulchrum in Metropolitana Mediolanenſi Eccleſia ardet adhuc argentea Lampas, XI. præcincta luminibus, ab hoc ipſo Carolo Emmanuele dono tranſmiſſa Anno MDCII. largo etiam erogato ære, ut in perpetuum ante Sacra ejuſdem Oſſa eluceret. Alterum quoque votivum donarium, ex argento conflatum, effigiem referens Caroli Emmanuelis nunc feliciter regnantis, munus inſigne Victorii Amedei ejuſdem patris, recurrente feſto die Sancti Caroli, in publicum educitur conſpectum. Quapropter dubitari vix poteſt, novæ Regiæ Dignitatis, atque amplioris Ditionis incrementa, quibus nunc floret Sabaudica Familia, profluxiſſe tum a grata veneratione illius Principum, tum a patrocinio Sancti Caroli, qui etiam e Cœlis paternam erga ipſos benevolentiam exercet.

Mariæ fructus, quæ in nos proveniunt, attendite: *Ecce*, inquit, *Tabernaculum Dei cum hominibus* (*a*); ecce Maria hodie vobis naſcitur, quæ *Dei* futura eſt *Tabernaculum*, & quidem *cum hominibus:* Verè Tabernaculum, quod ſanctificavit Altiſſimus. O domus Dei Maria, quæ tuis carnibus efformatum intra uteri tui ſepta, novem menſium ſpatio illum continuiſti, quem tuo lacte nutriſti! *Benedicta tu* Virgo *inter mulieres*, & *benedictus fructus ventris tui* (*b*). Numquid non hodie Natalitium diem tuum colentes, bonorum omnium noſtrorum celebramus exordium? Quis nos e Satanæ faucibus eripuit? quis nos a peccati ſervitute liberavit? quis Cœli januas occluſas aperuit? Chriſtus. Chriſtus nos iræ filios, Dei filios effecit, nos æterno Patri reconciliavit, nos pretioſiſſimo ſanguine lavit. Per Chriſtum nos regenerati, ſanctificati fuimus, factique cum ipſo cœleſtis Regni cohæredes. A Chriſto Sacramenta accepimus, Spiritus Sancti dona ſuſcepimus, immarceſcibilem gloriæ coronam recipiemus. Tu Virgo Chriſtum genuiſti, tu Chriſtum peperiſti, tu Chriſtum nobis dediſti; per te nobis ortus eſt Sol juſtitiæ, nobis datus eſt Magiſter vitæ, nobis deſcendit Panis de Cœlo. A te ergo noſtra ſalus omnis duxit initium; bona noſtra procedunt; quidquid deſideravimus, obtinuimus. Hodie tu tot munerum origo es nata; tanti Regis Mater in lucem prodiiſti; hodie tu humanæ miſeriæ reparatrix in lucem es edita. Hodiernus dies, cunctis anni diebus ſplendidior, nobiſque utilior, quantà maximà poſſumus, eſt a nobis ſolemnitate celebrandus, quo tu *Tabernaculum Dei cum hominibus* eſſe cœpiſti.

Ecce hodie, filii, *nova facit* Deus *omnia* (*c*); quia ex ſterilibus Parentibus Virginem educit; quia novum Verbi Myſterium, futuram nempe Incarnationis Miniſtram mittit in Mundum; quia mulierem nobis dat, *nova omnia* habentem, novam vitam, novos mores, novas cogitationes, nova ſtudia. Viderat Deus conſenuiſſe Mundum, *refriguiſſe caritatem*, *abundaſſe iniquitatem* (*d*). Cogitaverat hæc omnia renovare, vetuſtate depulſa. Ecce quia hodie novam Evam producit, non peccatum, ſicut prima illa, ſed gratiam ac ſalutem allaturam. Eva humani generis Mater; Maria ejuſdem generis humani inſtauratrix. Vetus Eva fœtus ſuos, priuſquam pareret, extinxit, Noverca potiùs, quàm

(*a*) *Apocalypſ. XXI. v.* 3.
(*b*) *Lucæ I. v.* 42.
(*c*) *Apocalypſ. XXI. v.* 5.
(*d*) *Matth. XXIV. v.* 12.

quàm Genitrix appellanda; nova autem hæc Eva non morientium, ſed reviviſcentium mater extitit, quæ inexcogitabili myſterio eum ipſum, de cujus oſſe fuerat genita, viciſſim de ſua carne genuit, nec ab alio fœcundata, quàm a Deo, quem peperit. Per Evam ingreſſa eſt mors in Mundum; per Mariam verò genita eſt nobis vita, & per hanc Filius Dei acceſſit in Mundum, ut ubi *abundaverat delictum*, ibi *ſuperabundaret èt gratia* (*a*); & unde mors prodierat, inde vita procederet. Mors per Adam, vita per Chriſtum: Evam ſerpens ſeduxit, Maria Gabrieli conſenſit; ſed ſeductio Evæ attulit mortem, conſenſus Mariæ peperit ſeculis Salvatorem. Reſtauratur per Mariam, quod per Evam perierat; per Chriſtum redimitur, quod per Evam fuerat captivatum; per Gabrielem promittitur, quod per Diabolum fuerat falsò propoſitum. Denique peccatum aboletur per Chriſtum, quod per Adam fuerat antea contractum. Redditur per Mariam vita, quæ per Evam fuerat extincta. Attendite, filii, medicinalis gratiæ ordinem, divinâ nobis benignitate monſtratum. Ad Evam Angelus malus acceſſit, ut per Evam homo, quem Deus fecerat, a Deo ſepararetur; ad ſecundam autem hanc Evam, Mariam, bonus Angelus venit, ut in ea Deus humanæ naturæ conjungeretur. Venit ad Evam Diabolus, ut vitam nobis malignus auferret; venit ad Mariam Gabriel, ut vitam reddendam hominibus nunciaret. Facta eſt Maria ſcala cœleſtis, quia per ipſam Deus deſcendit in terras, ut per illam homines aſcendere mererentur in Cœlos. Facta eſt Maria reſtauratio fœminei ſexûs, quia per ipſam animæ a prima maledictione fuere ſubtractæ. Maria tot dolores, tot pœnas, tot calamitates, quas tu nobis Eva dediſti, lenivit, faciles reddidit, mitigavit. Crudelis nimiùm Eva, per quam ſerpens antiquus ipſi etiam viro peſtiferum virus infudit; ſed fidelis Maria, quæ ſalutis antidothum viris & mulieribus propinavit. Illa miniſtra fuit ſeductionis, hæc propitiationis; illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem. Eva filiis quaſi inimica, viro ſuo quaſi vipera venenoſa, ſibi metipſi deformis & ignominioſa; inimica per ſuperbiam, qua intus tumuit; vipera per malitiam, ob quam ex ſerpente conceptam, foris tentata facilè ceſſit; ignominioſa per ruborem libidinis, quem ſtatim ſentire cœpit, unde èt nudam ſe cognoſcens, foliis pudenda contexit: Tu

(*a*) *Ad Roman. V. v.* 20.

Tu autem Maria Dei Mater, *amica mea*, per humilitatem, *columba mea* per caritatem, *formoſa mea* (*a*) per caſtitatem. Tu contra Deum non intumuiſti, imo mente humili, Altiſſimo complacuiſti; & ecce *amica es*. Tu ſerpenti aurem non præbuiſti, imo *inimicitias inter te*, *& ſerpentem* ego *poſui* (*b*) [loquitur Chriſtus]; & ecce *columba es*. Tu nuditatem libidinis non incurriſti, imo *Spiritus Sanctus obumbravit tibi* (*c*); & ecce *formoſa es*. Curre igitur Eva ad Mariam (Filius pro Matre reſpondeat); ipſa Matris opprobrium auferet, ipſa Patri pro Matre ſatisfaciet. Ad te nos filii Evæ confugimus, quæ nova es, & novitatis Mater, ut nos renoves totos; ad te, quæ *Civitas* es fortis & munita, concurrimus, ne hoſtium noſtrorum pateamus incurſibus. Quærit nos Diabolus ſerpens aſtutiſſimus veneno ſuo inficere; ſurge tu, & *contere caput ejus* (*d*). Ad te ego, Maria, mediator & orator, filiorum meorum nomine accedo; neque ipſos aptioribus verbis tibi commendare ſcio, quàm illis a Filio tuo in Cruce prolatis, dicente: *Mulier*, *ecce filii tui* (*e*). *Tui* ſunt *filii*, Mediolanenſes omnes, ſub tuum confugiunt auxilium, ad tuum recurrunt patrocinium. *Civitates* èt ipſi ſunt, ac Spiritùs Sancti Templa; *tua* illis *fundamenta* largire: Precibus tuis tu illis obtine, ut ſint *jaſpides* fide, ſpe *ſapphiri*, caritate *chalcedonii*, fortitudine *ſmaragdi*, humilitate *ſardonix*, tormentis pro Chriſti fide toleratis *ſardii*, mirabilibus virtutum operibus *chryſolithi*, bonis & ſanctis exemplis *berylli*, cœleſtium bonorum contemplatione *topazii*, æternæ gloriæ deſiderio *chryſopraſi*, miſericordiæ ac pietatis affectu *hyacinthi*, Regiam denique dignitatem ſuam operibus non dedecorantes *amethyſti*. Præſta, ut eorum animæ *in quadro* ſint poſitæ, quatuor præcipuis virtutibus fulgentes; ſint totæ *aurum mundum*, caritate ſuccenſæ; ſint denique Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto, veluti altiſſimo ac maximo *muro*, circumdatæ.

Mediolanenſes, Mariæ nomine ad vos redeo; ejuſdemque vos Chriſti verbis compello: *Filii*, *ecce Mater veſtra*. Ecce, ad quam eſt vobis confugiendum, quam imitari debeatis, cui cultum ac devotionem impendatis; hæc enim in omnibus veſtris neceſſitatibus numquam vobis deerit. Ecce, per quam ab omnibus

(*a*) *Cant. Cantic. II. v.* 10.
(*b*) *Geneſ. III. v.* 15.
(*c*) *Luc. I. v.* 35.
(*d*) *Geneſ. III. v.* 15.
(*e*) *Joannis XIX. v.* 26.

Digitized by Google

nibus vos Deus liberabit anguſtiis; ecce, quæ vos amantiſſimè expectat; quæ clamat hodie, ut audiſtis: *Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & a generationibus meis implemini* (a): Ecce demum, per quam in lacrymarum valle Dei gratiam obtinebitis, & æternam poſtmodum in cœleſti Regno gloriam ac felicitatem; quam nobis Mariæ Filius ſemper benedictus pro ſua benignitate concedat. Amen.



(a) *Eccleſiaſtici XXIV. v.* 24. *& ſeqq.*

HOMILIA LXXIII.

IN EVANGELIUM LUCÆ

CAP. VIII.

Habita in Eccleſia Paderni Diœceſis Mediolanenſis (a)

Sabbato Dominicæ II. poſt Decollationem

ANNO MDLXXXIII. XVII. SEPTEMBRIS.



EX MULTIS fructibus, quos in Paſtorum viſitatione colligere ſe fatetur Sancta Mater Eccleſia, potiſſimum obtinere videtur locum cœleſte animarum ſolamen; miro enim quodam modo oves Paſtorum ſuorum aſpectu, quo diutiùs caruerunt, recreari videntur. Hinc ea oratione, qua illos excipit, converſa ad Dominum dicit: *Deus humilium viſitator, qui eos paterna dilectione conſolaris*. Hoc præcipua quadam ratione in hodierni lectione Evangelii efficit Dominus, cùm inſigni miraculo, quanta ſit illi de nobis cura, oſtendens, ac Diſcipulos ſuos a gravi periculo, quo cùm illos premi videret, diſſimulare tamen videbatur, liberans, in ſpem nos omnes firmam adducit, fore ut noſtris in neceſſitatibus nobis ille ſemper præſto ſit ad auxilium. Non eſt, dilectiſſimi filii, quòd ea, quæ a peſſima diffidentiæ radice mala proveniunt, fuſiùs enumerem; quàm verò tutum ſit ac forte adversùs diabolicos omnes incurſus ſcutum, in divina protectione confidentia, nemo, arbitror, eſt qui ignoret. Quia tamen, duo hæc maximi momenti in omni Chriſtiana vita eſſe tum ad peccata plura evitanda, tum ad præclara pie-

(a) Padernum parvus eſt Vicus poſitus in Collibus Briantæis prope Montem, qui *Robius* appellatur: Nomen autem iſtud Robii eſſe veſtigium antiquitatis, ſed corruptum ſcribit Gaudentius Merula de Antiquitatibus Galliæ Ciſalpinæ Lib. II. Cap. XVI. ſiquidem Populi græcæ originis, *Orobii* dicti, eam Regionem incolebant.

pietatis opera inchoanda & perficienda , ipſa docet experientia ; ideo hodierno Evangelio inhærentes, quod nobis utriuſque materiem ſuppeditat , quæcumque ad animarum veſtrarum ſalutem conducere videbuntur, Spiritu Sancto ſuggerente eliciemus.

Hortatur Propheta David in Pſalmis omnes , ad laudandam Dei miſericordiam , ejuſque immenſam benignitatem ; præſertim verò Iſraëliticos populos, quos redemerat Dominus a tam multis calamitatibus, ab ipſomet in eos inductis, ob patrata facinora : Idque multis repetit in locis ; cùm divinæ miſerationis , quæ numquam ceſſat, numquam etiam ceſſare debeat prædicatio. At in Pſalmo CVI. quatuor potiſſima recenſet mala , a quibus divino fuerant munere liberati , vagationem ſcilicet in deſerto , captivitatem, ægritudinem , & a maris fluctibus incolumitatem. Hoc ultimum autem explicans, cùm dixiſſet: *Confiteantur Domino miſericordiæ ejus , & mirabilia ejus filiis hominum . Et ſacrificent ſacrificium laudis, & annuncient opera ejus in exultatione* (*a*); quaſi innueret: prædicentur itaque ab eis in honorem Domini *miſericordiæ ejus*, & *mirabilia ejus* opera ab illis narrentur, *filiis hominum*, & offerant *ſacrificium laudis;* hoc eſt , ipſam laudem , ſacrificium Deo ſuaviſſimum, pro gratiarum actione loquantur, externiſque etiam ſignis teſtentur animi ſui gratitudinem, & *in exultatione* apud alios commemorent palam *opera ejus:* Tamdem ſubdit, quinam præcipuè ad hoc teneantur, dicens: *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis. Ipſi viderunt opera Domini , & mirabilia ejus in profundo. Dixit , & ſtetit ſpiritus procellæ , & exaltati ſunt fluctus ejus* (*b*). O admiranda Prophetiæ excellentia, quæ abſentia, tamquam præſentia, ac multos poſt annos futura, uti jam præterita, pulcherrimis quibuſdam verborum coloribus ob oculos ponit ! Quis Davidem , hodiernum Evangelium explicare non credat ? Quis hodierno illum miraculo interfuiſſe , idque enarraſſe non exiſtimet? Breviter hujus rei hiſtoriam audite, & quantum Davidis Prophetia cum Evangelio conveniat , facilè animadvertetis.

Cùm *aſcendiſſet* Dominus *Naviculam* , ut *transfretaret trans ſtagnum* Genezareth (*c*), Diſcipuli illum ſequentes ſtatim intrarunt; Ecce verò , ductâ in medium ſtagni naviculâ , *obdormivit* Dominus, & *deſcendit procella venti in ſtagnum*, & *periclitabantur*. *Accedentes autem* ad Chriſtum *ſuſcitaverunt eum dicentes : Præceptor perimus* (*d*). De-

(*a*) *Pſalm. CVI. v.* 21. & 22.
(*b*) *Ibid. v.* 23. & *ſeqq.*
(*c*) *Luc. VIII. v.* 22.
(*d*) *Ibid. v.* 23. & 24.

Deſcenderant ferè in profundum ſtagni, morti ſe proximos arbitrabantur: & conſiderate, quomodo *viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo* (*a*); nam ſtatim ſurgens Dominus increpavit ventum & tempeſtatem, &, ùt alius Evangeliſta (*b*) ſcribit, *comminatus eſt vento, & dixit mari: Tace, & obmuteſce, & ceſſavit ventus, & facta eſt tranquillitas magna*. Quid clariùs Davidicis verbis: *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ* (*c*), *& ſiluerunt fluctus ejus* (*d*); *ejus* nempe, cui dixit: *Tace, obmuteſce?* Nihil profectò mirum; nam unus utrobique locutus eſt Domini ſpiritus, ſibi ſemper & ubique conſentiens.

Certè ad Evangelici hujus miraculi conſiderationem accedenti id primò ſtatim ſeſe offert, non modica admiratione dignum, quid nempe in cauſa fuerit, o mi Domine, quòd tu, qui pacis es perfectæ, & tranquillitatis fons & origo, hanc procellam oriri permiſeris, quam poſtmodum ſedare jam propoſueras. Sed denuo non minus miror, cur exortam non ſtatim compeſcueris; imò etiam, cur, cùm poſtea e tanto Diſcipulos periculo eripere ſtatuiſſes, eos tamen liberare diſtuleris, uſque ad extremum vitæ periculum; denique quàm facilè, ſolo verbo tuo, omnia compoſueris, itaut venti & mare obedierint tibi. Auditores, non caſu aut fruſtra, nec ſine maximo myſterio hæc a Deo facta putetis; neque enim, licèt dormiret, quid extra fieret, ignorabat, qui dormiens, corde tamen ſemper vigilabat (*e*). Sed, licèt arcana ſint & occulta ſummi Dei judicia, horum tamen cauſas a nobis inquiri, ut noſtra in eum excitetur religio atque obſervantia, non dedignabitur Dominus.

Tecum igitur, benigniſſime Jeſu, mihi ſit ſermo. Patere, obſecro, ut a te, quæ neſcimus ob mentis noſtræ caliginem, percuntemur. Annon ſi Lazarum revocare in vitam decreveras, efficere poteras, ut non moreretur? Cæco nato viſum redditurus, cur ut cæcus naſceretur permiſiſti? Cur etiam voluiſti, ut tanta hodie oriretur tempeſtas, atque agitati maris commotio, tanto vitæ Diſcipulorum, qui te comitabantur, periculo, cùm a tuis nutibus penderet mare, atque illud creaviſſes? Si voci tuæ turbatum obtemperavit, annon etiam pacatum te jubente permanſiſſet? Poteras quidem, nec tua me latet omnipotentia,

qua

(*a*) *Pſalm. CVI. v.* 24.
(*b*) *Marci IV. v.* 39.
(*c*) *Pſalm. CVI. v.* 25.
(*d*) *Ibid. v.* 29.
(*e*) *Cant. Cantic. V. v.* 2.

qua quidquid vis potes. Sed cur noluiſti? Nolui, ut me Deum eſſe agnoſcerent homines, meque ſequerentur infirmi ac debiles, qui mea divina ope indigebant: Nolui, ut nomini meo honor debitus redderetur & gloria: Nolui demum, ut hominum eſſet ſaluti conſultum. Tam multa, dilectiſſimi, viderunt homines, Dei infinitam potentiam indicantia; tam multa ejus audierunt miracula: & adhuc tamen plurimi Deum ignorare videntur, illius prorſus obliti. Quid, obſecro, foret, ſi nulla iis acciderent incommoda, ſi iis omnia ad libitum evenirent, ſi votorum omnium, quæ concipiunt, compotes fierent, ſi nulla umquam tempeſtas ingrueret? Certè arbitror, quia gigantum more, adversùs Deum bellum ſuſcipere auderent; nullum, præter ſe ipſos, Deum eſſe exiſtimarent: idque facientes, non certè Deo quidquam obeſſent, qui perfectè beatus, & mali omnis expers, nihil a quopiam pati poteſt; ſed ſe ipſos in æternum damnationis interitum præcipites darent. Quid ergo Deus noſtri amantiſſimus ſtatuit? *Conſtituam*, inquit, *legislatorem ſuper eos*, *ut ſciant gentes quoniam homines ſunt* (*a*). *Filii excelſi* ſunt quidem, ſed *ſicut homines morientur* (*b*); tempeſtates immittam, mille eos periculis ac infirmitatibus ſubjacere ſinam, ut agnoſcant, ſe ſine me nequaquam poſſe conſiſtere, & meì deſtitutos auxilio, omnibus animæ & corporis patère periculis. O infinitam Dei bonitatem! O immenſam ejus in nos caritatem, quæ & bona nobis elargiendo, & malis vexari nos permittendo, tot in nobis dona diffundit! An parum cuipiam munus fortè videtur, Dei & ſuì ipſius cognitio? Ego certè tam magnum exiſtimo, ut quid a Deo majus expectare poſſim, vix ſciam; quid ab illo præter hoc petere habeam, ignorem: in hoc quippe noſter omnis profectus, & unica ad veram beatitudinem comparandam via conſiſtit. Hujus amplitudinem muneris probè noverat Auguſtinus, id a Domino aſſiduè poſtulans, nempe: *Domine noverim te*, *&* *noverim me*. Hæc duo, filii, in procellis dignoſcuntur. Videte in Apoſtolis utrumque. Suam in primis agnoſcunt & fatentur infirmitatem, dicentes: *Salva nos*, *perimus* (*c*); Dei mox magnitudinem prædicant, admiranturque potentiam: *Quis eſt hic*, *quia venti*, *&* *mare obediunt ei?* Hæc *mirabilia* ſunt, quæ, ùt ſuperiùs audiviſtis, *in profundo* calamitatum atque afflictionum *videri*

David

(*a*) *Pſalm. IX. v.* 21.
(*b*) *Pſalm. LXXXI. v.* 6. *&* 7.
(*c*) *Matth. VIII. v.* 25.

David perhibuit ab iis, *qui* navigant *mare* (*a*); nuſquam enim clariùs innoteſcit Divina Majeſtas, quàm ubi in anguſtiis magnis verſatur humana fragilitas: quò fit, ut duo hæc inter ſe adeò contraria, juxta ſe poſita, ac ſibi invicem collata faciliùs eluceſcant. Ecce igitur, quare tempeſtas ingruit, mortuus ſit Lazarus, ille natus ſit cæcus. Nos quandoque in tribulationum pelago ferè mergimur, ut mirabilia hæc videamus, ut Deo debitam gloriam demus, & noſtrarum virium imbecillitatem agnoſcamus; quæ tamdem omnia ad noſtram cedunt ſalutem. Siquidem Deo bonorum noſtrorum minimè indigenti, ſi a nobis gloriam recipiat, nulla fit honoris additio; ſicuti etiam ſi blaſphemetur, nihil illi detrahitur: ſed totum id nobis aut prodeſt, aut officit. Hoc idem, dilectiſſimi, in cauſa eſt, cur, cùm tribulationes immittit, non ſtatim eas compeſcat, ſed eaſdem inſuper perdurare ſinat; ut nempe a nobis quodammodo importuniùs exoretur. Mira vobis referam, ſed veriſſima: Nulla re magis, quàm importunitate veſtra, Dominus delectatur. Mala primò permittit, ut opportunè orantes, ab iis liberari mereamur; ea verò tollere differt, ut petere importunè perſeveremus, atque ita in nobis meritum augeatur, & immenſæ caritatis ſuæ in omnibus erga nos pateat magnitudo; ſive cùm petita concedit, ſive cùm mala infert, ſive cùm ea non ſtatim avertit: quoniam quidquid circa nos diſponit, in noſtram ſemper utilitatem convertitur. Supplex petierat Cananæa mulier, quod optabat; a Chriſto repulſam tulerat, & quidem durioribus verbis, cùm eam canibus quodammodo aſſimilaſſet (*b*). Illa tamen numquam deſtitit clamare, objecta diluere, frontem obdurare, ac intra ſe firmiſſimè proponens dicere: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi* (*c*). Videte autem, quantum ejus potuerit importunitas; nàm & quidquid poſtulavit obtinuit, & a Domino commendari meruit, & audire: *O mulier, magna eſt fides tua* (*d*).

Intellexiſtis, ùt arbitror, cur ab ingruentibus malis liberare differat Dominus. Nunc multos veſtrûm video ardentiſſimè deſiderantes, doceri (ſi fieri poſſit), ac aliquatenus comprehendere, quouſque differre Deus velit, ac gratiæ ſuæ protrahere largitionem. Neque hoc, filii, myſterio caret; *Omnia* quippe

(*a*) *Pſalm. CVI. v.* 23. & 24.
(*b*) *Matth. XV. v.* 22. & *ſeqq.*
(*c*) *Geneſ. XXXII. v.* 26.
(*d*) *Matth. XV. v.* 28.

quippe Dominus *in numero*, *pondere*, *& menſura* operatur (*a*). Breviter hujus ipſe vobis cauſam aperiam. Audite: ubi ceſſat humani auxilii ſpes omnis, tunc ſtatim præſto eſt Divina miſeratio; ut intelligant homines, numquam de Deo eſſe diffidendum. Expectavit Chriſtus, ut Lazarus non modò mortuus, ſed èt quatriduanus eſſet, ac de ejus vita renovanda conclamatum videretur; adeò ut Domino, locum ubi ſepultus eſſet perquirenti, ac lapidem tolli præcipienti, reſponderent adſtantes, quaſi id inane fore judicarent: *Domine jam fœtet*, *quatriduanus eſt enim* (*b*). Poterat multò ante, quod poſt præſtitit, Hæmorrhoiſſam mulierem jamdiu fluxu ſanguinis laborantem idemmet Chriſtus a graviſſima illa infirmitate eripere, ſed priùs permiſit, ut *omnia ſua erogaret in Medicos* (*c*). Hodie quoque paſſus eſt, ut Diſcipuli omnem quodammodo ſpem ſalutis abjicerent, ita ut præ timore dicere cogerentur, Chriſtum præſertim dormientem videntes: *Magiſter non ad te pertinet*, *quia perimus* (*d*)? Demum, ubi homo deſperavit, Deus mirabiliter ſanavit; ubi humana omnia defuere præſidia, præſto fuere divina. Mementote inſuper, quia Turbas non primo ſtatim, aut ſecundo die, ſed poſt tertium pavit, cùm jam, ne deficerent, meritò dubitari potuiſſet, quod èt ipſe dixerat: *Miſereor ſuper turbam*, ne fortè *ſi dimiſero eos jejunos*, *deficiant in via* (*e*): Et tunc demum poſt triduanum jejunium, & in deſerto [ubi locus ipſe dicere cogebat: *Unde illos quis poterit ſaturare panibus hìc in ſolitudine?* (*f*)] & ſeptem tantùm panibus, ac pauciſſimis piſciculis, illas non modo ad ſaturitatem refecit, ſed èt cophinos multos plenos fragmentorum, quæ ſuperaverant, Diſcipuli collegerunt (*g*). Confundere hìc mundana prudentia, confundere humana ſuperbia, & agnoſce, quàm anguſtis limitibus tuæ vires includantur, quàm parum poſſis & valeas, quàm, ſi ſola relinqueris, ad nihilum tendas! Sed hoc ipſum ex mediis etiam, quibus utitur Dominus, ad ea conferenda, quæ tu conſequi poſſe deſperas, apertè cognoſce.

Id autem Deus exequitur, aut imbecilli utens (ùt tu judicas) modo, aut etiam naturali prudentiæ tuæ penitus contrario. Quis ignoret, luto facillimè homines excæcari? Luto tamen oculos Cæci nati Chriſtus aperuit (*h*). Quid debiliùs tactu ſim-

(*a*) *Sapient. XI. v.* 21.
(*b*) *Joann. XI. v.* 39.
(*c*) *Lucæ VIII. v.* 43.
(*d*) *Marci IV. v.* 38.
(*e*) *Ibid. VIII. v.* 2. & 3.
(*f*) *Ibid. v.* 4.
(*g*) *Joann. VI. v.* 13.
(*h*) *Ibid. IX. v.* 6.

fimbriæ veſtimenti? Hæmorrhoiſſa tamen ſolo tactu ſanitatem recuperavit. Videte, quàm facilè hodie a tam gravi Diſcipulos ſuos periculo atque timore exemerit! Mari dixit: *Tace, obmuteſce, & facta eſt* illico *tranquillitas magna* (*a*). O admirabilem divinæ vocis vim, & efficaciam! quam felix ille Centurio probè noverat, eidem tantum tribuens, cùm diceret: *Domine, dic* tantùm *verbo, & ſanabitur puer meus* (*b*). Hæc vox Cœlum firmavit & terram, hæc Solem & ſtellas, hæc Angelos hominesque, omnia denique creavit ex nihilo. Vox iſta creaturis imperat, & ſtatim obtemperant: *Cedros Libani concutit, & confringuntur* (*c*). Sed quid ego antiquæ illius ſedatæ procellæ miraculum admiror? Miremur omnes hodie, nobis ipſis videntibus, vocem hanc tam multa mirabiliter operantem. Chriſti verbis a Sacerdote prolatis, Deus e Cœlis in Sacerdotis manus deſcendit, & panis quotidie fit caro, ac Chriſti Domini corpus. Imperat Deus, ut aqua, Eccleſiæ Sanctæ ritu benedicta morbos pellat, Dæmones fuget, ac ubi fuerit reſperſa, nulla peſtilens aura aut noxa reſideat. Accidunt-ne hæc omnia, ſolius aquæ viribus? Minimè certè, ſed Dei imperio. Cernitis hoc æs campanum, in medio Eccleſiæ veſtræ pendens, & mox a nobis benedicendum? Metallum eſt inanimatum, ac ad omnia inutile: Pulſate illud quantum libuerit; auribus veſtris tantùm inſonabit, prætèrea verò nihil efficiet: At cùm ſacris Eccleſiæ precibus a nobis & unctum fuerit, & conſecratum, quantum capiet virium ad diabolicas nequitias repellendas, ad fragorem tonitruum, procellas turbinum, & impetus aërearum tempeſtatum, omniaque infeſta avertenda! Operatur hæc omnia Dominus imperans. Obducetur nubibus Cœlum, omnia perſtrepent, ac fulguribus coruſcabunt; agris atque urbibus videbuntur interitum minitari: Reſonabit hoc Metallum, & increpabit Dominus ventum dicens: *Tace, obmuteſce;* & priſtina ſtatim Cœli ſubſequetur ſerenitas, ac expectatas fruges abundantiſſimè colligetis. O benedicta, o magnifica, o omnipotens vox!

Sed *exenteremus*, obſecro, *piſcem hunc*, dilectiſſimi (*d*); rimemur Evangelii hujus abſcondita; & non in literæ tantùm cortice pedem figamus, verùm progrediamur ulterius. Mihi credite, optimas infirmitatibus noſtris illic medicinas reperiemus.

(*a*) *Marci IV. v.* 39.
(*b*) *Lucæ VII. v.* 7.
(*c*) *Pſalm. XXVIII. v.* 5.
(*d*) *Tob. VI. v.* 5.

mus. Sancta Mater Eccleſia, univerſalis Chriſti fidelium omnium cœtus, eſt Navicula, in qua & ii, qui Fidem operibus comprobant, & quorum Fides eſt mortua, concluduntur. Quis autem fluctus varios, quibus illa agitatur, enumeret; quis tempeſtates in eamdem ingruentes dicendo perſequi valeat? Loquatur Germania, Flandria, Anglia; loquantur finitimi nobis Galli, Helvetii, Rhæti, & alii tam multi, in quibus merſa pene in profundum videtur hæc navis. Quid ſunt tot hæreſes, tot ſectæ, tot impietates, tot in Fidei quoque gremio corruptiſſimis moribus, & nomine tenus Chriſtiani, niſi procellæ, fluctus, & ſcopuli? Et unde, obſecro, cuncta hæc evenerunt? Hic deflendum eſt mihi magis, quàm loquendum: quia dormierunt homines, quia in maligno peccatorum ſomno erant immerſi, quia diffluebant deliciis. Et utinam ex iis, qui in puppi Navis gubernacula retinebant, multi non dormiiſſent! De me ipſo fateor, filii, quia ſomno meo, negligentiâ meâ, navicula hæc Diœceſis meæ non parum fluctuat, multis diverſi generis corruptelarum & peccatorum agitata procellis. Hoc Chriſtus hodie dormiens non obſcurè indicabat; ipſe namque veluti lapis Lydius, quod verum, quod itidem falſum ſit aurum, oſtendit; ipſe nullo umquam peccato inquinatus, nullique obnoxius dolo, non modò virtutum omnium in ſe ipſo nobis præbuit exempla; ſed etiam iis, quæ in figura operabatur, quæcumque nobis fugienda forent in poſterum, ſignificavit. Dormiebat Chriſtus reclinato capite in puppi, ſed ſine culpa; nam dormiens vigilabat, & volente ipſo eſt exorta tempeſtas, ut ſciamus, dormientibus nobis culpabiliter, ac corporis noſtri commoda nimiùm ſtudioſè ſectantibus, omnia perturbari. Idcirco magna profectò ſumus apud vos miſeratione digni; nam licèt Apoſtolorum Princeps *ſobrios eſſe, & vigilare* (*a*) omnibus præceperit, nobis tamen id ſtrictiùs eſt præſcriptum, cùm ſomnus noſter non nobis modò, ſed etiam univerſo Populo plurimùm officiat. Vos quidem tranquillis oculis dormitis; nos verò ſpeculatores ſumus & vigiles ſuper vos conſtituti. Si venerit inimicus, & dormientes vos jugulaverit, eò quòd nos dormientes ac muti vos minimè monuerimus, requiret animas veſtras de manibus noſtris Dominus Deus (*b*). Ideo ſoliciti vos pro nobis orare debetis, ac monitis noſtris obtemperare, ut hilares

(*a*) *I. Petri V. v. 8.*

(*b*) *Ezechiel. XXXIII. v. 6.*

lares nos & ſine metu pro vobis Deo exigenti reddere rationem poſſimus. Quod autem de nobis hic dicimus, de Sacerdotibus ſingulis, ac iis præſertim, quos in ſolicitudinis noſtræ partem Dominus vocavit, volumus dictum.

Præterea, auditores, cujuslibet noſtrûm anima, navicula eſt; *mare magnum, & ſpatioſum*, præſens eſt hæc vita; hic *reptilia, quorum non eſt numerus* (*a*); hic cete, hic piſces, hic ſerpentes, hic monſtra demorantur, nos ſemper deglutire parata. O miſeri! & non cogitamus? In hac navi locum Chriſti tenet intellectus noſter: ſed heu! quia plerumque dormit Chriſtus in nobis; non quia Chriſtus dormiat, ſed quia illum in nobis dormientem exhibemus. Dormit ratio noſtra, cùm voluptates ſectamur atque delicias; & ecce quia continuò maximæ inſurgunt tempeſtates, in ſcopulos impingimus, fluctibus jactamur, pericula denique in mari nobis ſunt undique. Quid ſunt tam variæ, quæ in nos concitantur, tentationes, niſi procellæ, in peccati nos ſcopulos impellere quærentes? Magnum certè nobis imminet ſemper periculum, ne mergamur. Sed ad quem nobis in mari recurrendum; quid nobis agendum; quo tramite navigandum?

Ab Apoſtolis, quæ ſunt præſtanda diſcamus. Tria a tam gravi illos eripuerunt periculo: Chriſti Magiſtri præſentia; humilis illorum & frequens oratio; ac demum firmiſſima Fides, omni timore rejecto, cùm Dominus eos exprobraverit, dicens: *Quid timidi eſtis, modicæ fidei* (*b*)? *Necdum habetis fidem* (*c*)? Hæc tria efficere ſtudete, ut navis veſtra ad cœleſtis Regni portum incolumis perveniat.

Primò quidem ſit ſemper nobiſcum Chriſtus, & numquam peribimus. Et cur nobiſcum non erit, ſi eum peccando non rejecerimus; ſi ejus nos gratiâ non reddemur indigni? Proderit autem mirum in modum, ſi èt arctiùs illi nos jungamur, Sanctiſſimam ſcilicet Euchariſtiam frequentiùs ſumendo. Hanc, filii, hanc tempeſtates contremiſcunt; ante hujus conſpectum fulgura diſſolvuntur; Dæmones conſiſtere nequeunt; tentationes omnes, veluti cera ante Solis radios, liquefiunt. Hæc non modò adversùs ſpiritualia, ſed etiam corporea pericula plurimùm valet. Quid Satyrum, Virum ſanctiſſimum, Patriarchæ noſtri

(*a*) *Pſalm. CIII. v.* 25.
(*b*) *Matth. VIII. v.* 26.
(*c*) *Marc. IV. v.* 40.

noſtri Ambroſii Fratrem, naufragium patientem, ad portum reduxit incolumem, niſi hæc ipſa, collo ejus appenſa? Hic Sanctus ille eſt, cujus hodie recolimus Depoſitionis diem; hic ille numquam ſatis laudandus noſter in Cœlis Advocatus; hic humaniſſimus ille Satyrus, ſanctiſſimis ac dulciſſimis moribus præditus, ſolis Dæmonibus atque adverſariis poteſtatibus formidabilis. Et certè, ſi parentes ac agnati quidquam nobilitatis & gloriæ ab invicem accipiunt; quanta Satyri nobilitas fuit, Ambroſii Sanctiſſimi Fratrem fuiſſe, & non modò non diſſimilem aut degenerem moribus, ſed talem etiam, qui toti familiæ ſuæ plurimum ſplendoris attulerit, quemque ùt Patrem ſe habuiſſe Ambroſius ipſe profiteretur, ejuſque obitum non modico fletu fuerit proſecutus? Hic Sanctus Fide firmiſſima munitus, ſciens, quia increpaverat Dominus Jeſus mare & obmutuerat, & tempeſtatem magnam, in pacatam tranquillitatem converterat, in Africam trajiciens, fracta navi, ejuſdem Chriſti Domini corpus & ſanguinem, Orario incluſum collo geſtans, ſeſe in mare jactavit intrepidus (*a*), nec ejus illum ſpes fefellit. Mirentur hìc alii, & non immeritò, Petri Fidem, qui Chriſtum corporis oculis cernens, ſe in mare projecit, ut ad illum accurreret: Mirabor ego certè, & fortè magis Satyri Fidem, oculis corporeis nil niſi panis ſpeciem videntis, attamen tantà fiducià, ſe mortis apertiſſimo periculo exponentis. Huic igitur plurimum, filii, vos debere ſcitote, qui ſuo exemplo, præter alia multa, & hoc manifeſtiſſimè vos docuit, nempe Sanctiſſimi hujus Sacramenti frequentiam ad omnia utilem eſſe; omnia per eam vobis bona promitti; omnia ab animabus & corporibus pericula arceri: modò tamen firmiſſima Fide a vobis ſumatur, ac *perfecta caritas foràs mittat* omnem *timorem* (*b*).

Quod ſecundo loco a vobis requiritur, id præſtabit Confirmationis Sacramentum, quod vobis nondum eo inunctis miniſtrabimus: hoc quippe timorem fugat, puſillanimitatem expellit, totum corroborat hominem, vires demum addit, non modò ad credenda, quæ Catholica Fides præcipit, ſed etiam ad eadem liberè & palam propugnanda.

Orare vos tamdem tertiò, ùt audiviſtis, vult Dominus, & qui-

(*a*) Hæc & alia, quæ in laudem Sancti Satyri in hac concione cumulavit Sanctus Carolus, deſcripta leguntur a Sancto Ambroſio in Libris de Obitu Fratris ſui.

(*b*) *I. Joann. IV. v.* 18.

quidem enixè. Sed quid ego hìc ad orationem vos hortor? Annon ſupervacaneum fuerit quidquid in hanc rem dicere tentem? Hortentur vos præſentia pericula; hortetur *hoc mare magnum* (*a*), quod peragratis; hortentur continuæ procellæ, frequentes ſcopuli, imminentes tempeſtates. Nonne hæc omnia in veſtris met oculis verſantur? Nonne aſpicitis, quàm ſitis morti proximi, quàmque atrociſſimi draconis faucibus expoſiti atque propinqui? Eja igitur cum Apoſtolis, omnes ad Dominum accurramus. Non dormit, filii, non dormit. Scitis, cur dormire videatur? quia nos dormimus. Ipſe vigilat, ipſe ad Patris dexteram ſedet, ut opem petentibus præbeat: Cum fiducia igitur & clamore valido dicamus: *Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem. Quare oblivíſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ* (*b*)? *Numquid ad te non pertinet*, Domine, *quia perimus* (*c*)? quia nos, qui tui ſumus, Dæmonis efficimur ſervi; quia ſanguis tuus pretioſiſſimus pro nobis effuſus, inutilis redditur? Agitur de honore tuo, de nominis tui gloria, Chriſte: Hæreditatem tuam hoſtes perturbant, ſibique uſurpant; cur ergo dabis nominis tui honorem alteri (*d*); aut permittes, ut *dicant, ubi eſt Deus eorum* (*e*)? Salva nos Domine, quia a te ſalus noſtra omnis; quia, præter te, nemo ſalvare nos poteſt; quia ex nobis perditio noſtra, ex te autem ſalus; quia, niſi protinus auxilieris, perîmus, præcipites ruimus, in infernum deſcendimus, Satanæ præda efficimur. Impera mari & vento, ut ceſſent; Dæmoni dic, ut obmuteſcat; aut ſi quando nos, ut virtus noſtra probetur, tentari permittas, da robur & vires, quibus hoſtium ſuggeſtionibus numquam acquieſcamus, numquam in peccatis mergamur; ſed incolumes tamdem perveniamus in portum. Amen.



HO-

(*a*) *Pſalm. CIII. v.* 25.
(*b*) *Pſalm. XLIII. v.* 23. & 24.
(*c*) *Marc. IV. v.* 38.
(*d*) *Baruch. IV. v.* 3.
(*e*) *Pſalm. LXXVIII. v.* 10.

HOMILIA LXXIV.

DE
SANCTA THECLA

Habita in Templo Maximo Mediolani
Dominica IV. poſt Decollationem

ANNO MDLXXXIII. XXV. SEPTEMBRIS.

FUIT heſternus dies, dilectiſſimi filii, beatiſſimæ Theclæ Virginis & Martyris natalitiæ memoriæ dicatus; ſed quoniam Sacris Ordinibus conferendis, ac Chriſto Domino Miniſtris diverſimodè conſecrandis impediti, tantæ ac tam celebris Sanctæ ſolemnitatem pro votis proſequi non potuimus; polliciti ſumus, nos hodie hac ipſa hora id pro viribus noſtris præſtituros. Accedimus jam ad vos, ut promiſſa impleamus, noſtrumque debitum perſolvamus, non tam quia promiſimus, quàm quia, licèt Sanctis omnibus omnes per nos debeantur honores, ac in ipſis continuò ſit Deus laudandus; huic tamen fortiſſimæ Virgini, peculiaribus quibuſdam vinculis ſumus obſtricti, illique religioſius aliquid præ aliis cultûs ac pietatis, omnes noſtrûm affectus debent impendere. Potiſſima illius corporis pars, ſacratiſſimum nempe Caput, in hac aſſervatur Eccleſia, veluti fulgentiſſimum quoddam ſydus, radiis ſuis non modò eam, ſed etiam univerſam hanc Civitatem illuſtrans. Æquum igitur fuerit, ut in tam pretioſi muneris æſtimationem debitis eam laudibus hodie non defraudemus; ſed ejus invictam animi fortitudinem compendiò exponentes, & noſtram deplorantes imbecillitatem, atque in bono inconſtantiam, illi in poſterum conformari ſtudeamus.

Ambroſius Epiſcopus noſter Sanctiſſimus, & vigilantiſſimus Paſtor, quærendis Sanctorum Martyrum Corporibus atque Reliquiis ſtudioſè advigilans, ſæpius voti compos factus a Domino Deo, cui

ipſe

ipſe fideliter inſerviebat, plures hujuſmodi theſauros reperire meruit: qua de re maximo gaudio repletus exultare conſueverat; ac, quando ad Martyrii palmam pervenire non poterat, Martyrum tamen ſe repertorem eſſe non parvì faciebat. Hoc eſt, quod in Sanctorum Protaſii & Gervaſii inventione dicebat ad Populum: *Gratiam, quam temporibus Sacerdotii mei Dominus Jeſus tribuit, negare non poſſum; & quia ipſe Martyr eſſe non mereor, hos vobis Martyres adquiſivi* (*a*). O ſtudium verè Sanctiſſimo Paſtore digniſſimum! o feliciſſimum mercatorem! Tradiderat ei Dominus Mediolanenſem hunc campum excolendum; ipſe verò præter alia, margaritis hiſce pretioſis perquirendis uſque adeò erat intentus, ac a Domino exaudiri ſolebat, ut cùm ubicumque ferventiùs orantem illum populi conſpicerent, illic theſaurum aliquem latentem inveniendum ſibi firmiſſimè pollicerentur. Placuit Altiſſimo, nos tanto Paſtori poſt multa annorum curricula ſufficere, in ejuſque Sedem inducere, hunc eumdem nobis campum committere, hanc ampliſſimam vineam fidei noſtræ tradere: quo quidem onere ac munere, licèt ſimus immerentes, divinæ tamen èt nos miſericordiæ largitatem ſumus experti; *nec nobiſcum abbreviata eſt manus Domini* (*b*); & noſtram inopiam minimè reſpiciens, ſed divitias pietatis ſuæ, magna etiam dona temporibus Sacerdotii noſtri nobis conferre dignatus eſt Deus. Indignos nos eſſe profitemur ac ſimul dolemus, qui pro Chriſti Fide ſanguinem effundamus, quique etiam Sanctiſſimorum Chriſti Athletarum corpora inveniamus; at quando neutrum hactenus conſequi meruimus, id tamen ab optimo patre Deo accepimus, ut plurima ejuſmodi Sanctorum corpora, ſi non penitus abſcondita, ſaltem obſcuriſſimo loco jacentia; ſi non apud homines in oblivionem delapſa, ſaltem debita veneratione carentia, in nobiliores locos & Eccleſias tranſtulerimus; filiorum noſtrorum pietatem novis quibuſdam ſtimulis erga ea accenderimus; illorum denique memoriam & cultum, qui magna ex parte periiſſe videbatur, reſtituerimus. Teſtes mihi hujus vos ipſi eſtis, quàm multa hujuſmodi ſacra pignora ante non plures annos habebatis, quæ tamen, an haberetis, ignorare videbamini. Teſtes ſunt Sanctiſſimi Simplicianus, Nazarius, Monas, Nabor, & alii plurimi; teſtes non paucæ hujus Urbis Eccleſiæ, in quibus non modò Corpora, ſed etiam Arcas ſacratiſſimis gemmis, ac pretioſiſſimis theſauris repletas ex humili in honeſtiorem locum invexímus. Teſtis

(*a*) In Epiſtola XXII. ad Marcellinam ſororem num. 12. poſtremæ Editionis Pariſienſis.

(*b*) *Iſaiæ LIX.* v. 1.

Teſtis quoque eſt mihi Thecla, Virginum ac Martyrum Dux & Anteſignana fortiſſima, cui, cùm ſacrum ejuſdem Caput, aliàs reconditum in vetuſta Baſilica (quæ Eccleſiarum omnium Civitatis hujus erat antiquiſſima, eaque olim Cathedralis æſtiva (*a*) ſub Sancti Salvatoris primùm, deinceps verò Sanctæ Theclæ nomine conſtituta), in ampliſſimam hanc Metropolitanam Eccleſiam jam pluribus ab annis translatum eſſet (*b*), nos Altare novum a dexteris Aræ Majoris conſecrare decrevimus, ac Natalis ipſius diem Pontificali cœpimus ritu atque officio celebrare (*c*). Sed nihil hæc ſunt, ſi ejuſdem Martyris, aliorumque Sanctorum meritis conferantur, quos adeò Rex cœli & terræ Deus honorare dignatus eſt; verùm de paupertate noſtra parum id, quod poſſumus, ipſi non dedignentur accipere. Agite unà mecum, filii, gratias Deo, qui Sacerdotii noſtri non immemor, illud etiam tanto munere cohoneſtare dignatus eſt, & tam benignum in nos amorem oſtendere. Quinimo eumdem hodie non tam corde, quàm ore laudare in hac dilecta illius Sponſa non ceſſemus, in qua tam mirabiliter potentiæ ſuæ opera effulſerunt, cùm in ſexu tam fragili tantam victoriam conſtituerit.

Sed quibus ego te laudibus efferam Virgo digniſſima? quibus ſacræ eloquentiæ præconiis te ſydus ſplendidiſſimum illuſtrabo?

(*a*) Antiquitus Metropolitanus Clerus in duplici Eccleſia Sacrum & Divina Officia peragebat; earum verò altera vocabatur Hyemalis, altera Æſtiva. Siquidem per hyemis tempus in Templo Maximo Pſalmos canebat, & cetera omnia Eccleſiaſtica munera obibat: In Paſchate verò Reſurrectionis Dominicæ ad Templum Sanctæ Theclæ prævia ſupplicatione procedebat, ibique morabatur uſque ad tertium Dominicum diem Octobris, quo iterum ſeſe Metropolitanæ Baſilicæ reſtituebat. Qua celebritate tranſmigratio hæc ageretur, non eſt hujus loci deſcribere; id enim fusè narrabimus, cùm, Deo annuente, de Ambroſianæ Eccleſiæ Ritibus loquemur, quorum peculiarem Tractatum in lucem edere meditatur Eminentiſſimus & Reverendiſſimus Cardinalis Archiepiſcopus Mediolani Joſeph Puteobonellus, illuſtrandæ ejuſdem Eccleſiæ ſummo deſiderio ſuccenſus. Interim hoc tantùm ſubjungimus, deletâ a fundamentis Eccleſiâ Sanctæ Theclæ, juſſu Domini Ferrantis Gonzagæ Mediolanenſis Provinciæ Moderatoris Anno mdxlviii., ut patentior area fieret ante Maximum Templum, ſacros illius Baſilicæ Miniſtros in unum Metropolitanum Clerum coaluiſſe; eum verò, qui Præpoſiti munus gerebat in Thecliano Canonicorum Collegio, fuiſſe a Sancto Carolo, Decani titulo & dignitate inſignitum, aſſignato eidem loco poſt quartam Metropolitanæ Eccleſiæ Dignitatem.

(*b*) Ex Opuſculo Stephani Dulcinii Canonici Scalenſis, inſcripto: *Nuptiæ Illuſtriſs. Ducis Mediolani*, atque edito in hac Metropoli Typis Zarotti Anno mcccclxxxix., colligimus, translatum fuiſſe ſacratiſſimum caput Sanctæ Theclæ ex veteri Templo, ipſi dicato, ad novam Metropolitanam Baſilicam, a Joanne Galeatio Comite Virtutum magnificentiſſimè extructam; ibi enim ait: *Vetera donaria, Sacræ Imagines, Galdini Corpus, Chriſma Alpha & Omega, Clavuſque, quem Deus Homo affixus Cruci ſalutifero cruore inſperſit, reverenter in novum Templum fuere translata.* Id autem contigit Anno mcccclxxxi., quo Donatus Boſſius tradit in Chronicis Mediol. ad illum Annum, jacta fuiſſe fundamenta in Campo Arrenghi Eccleſiæ novæ in honorem Sanctæ Theclæ, alterâ, jam ſatiſcente ob vetuſtatem, ad ſolum dejectâ.

(*c*) Solemnis hic Ritus in Sanctæ Theclæ honorem adhuc perſeverat, cùm alter ex Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis, Pontificalibus veſtibus indutus, quarum uſu donati fuere a felicis recordationis Summo Pontifice Clemente XI., dicatum ejuſdem cultui diem in Templo Maximo celebret.

Quid in te laudabo potiſſimùm, quæ ſingularis in omnibus Chriſtianis virtutibus extitiſti? Certè vitam tuam, ac mortem conſideranti tam amplus ſeſe mihi offert laudationum tuarum campus, ut difficilius mihi ſit, dicendi principium, quàm finem invenire; omnia autem complecti, meas imbecilles prorſus vires excedat. Verùm fortitudinis tuæ in primis amore atque admiratione captus, præſentium temporum deplorare ſtatui infirmitatem, eamque cum egregio animi tui robore conferre.

Eſt, auditores, Chriſtianis omnibus, tum viris, tum mulieribus admodum neceſſaria fortitudinis virtus; nam cùm (ùt aliàs ſæpe audiviſtis) perpetua ſit pugna præſens hæc vita, eaque conſerenda cum inimicis fortiſſimis; quomodo inermes ac debiles non dicam adversùs eos pugnare, ſed ne in aciem quidem prodire audebunt? Et tamen (proh dolor!) uti aliarum, ita virtutis hujus tam egena ſunt hæc ſæcula, ac tam rara proſtant ejuſdem exempla, ut Spiritus Sanctus, quem in Scripturis ſacris loqui, non eſt quod dubitemus, unum deplorans, alterum nobis deplorandum ſuggeſſerit. Ipſe ait: *Mulierem fortem quis inveniet?* Nos verò non ſine maximis lacrymis ſumus dicturi: *Virum fortem quis inveniet? Procul* certè, *& de ultimis finibus pretium ejus* (*a*). Et ſanè, ſi perpenderimus, quod ab eo dictum eſt, etiam quod nos addidimus veriſſimum eſſe comperiemus. Certè mulierem fortem inveniri poſſe difficillimum arbitror. Quid enim muliere infirmius, quid imbecillius, quæ infirmitatum omnium radix in nobis fuit & cauſa? Quid Eva prima muliere debilius? Fortem eam Dominus creaverat in ſtatu innocentiæ, maximis repletam donis ac viribus, quibus ſi uti voluiſſet, facilè ſerpentis verſutiam eluſiſſet. Sed miſera, nemine illi vim inferente, inſtante nemine, ſolo ſerpentis alloquio, ſolo pomi conſpectu (quid levius?) oblita eſt Dei creatoris, oblita legis & præcepti, oblita demum eſt ſuî; ſe ipſam morti objecit, Paradiſo privavit; ac quotquot ex illa prodierunt, innumeris calamitatibus obnoxios reddidit (quodque longè gravius eſt), æternæ damnationi expoſuit. O infirmiſſima mulier; quàm nobis moleſta eſt infirmitas tua, qua tu vulnus tibi ipſi inflixiſti, & cicatrices nobis reliquiſti; qua tu *uvas comediſti acerbas, & dentes noſtri obſtupuerunt* (*b*); qua denique tu peccaſti, & nos peccati pœnam ſubimus! Moriuntur omnes quotquot naſcuntur; & mors ab Evæ infirmitate proceſſit: Ante mortem mille morborum generibus ſubjiciun-

(*a*) *Proverb. XXXI. v.* 10. | (*b*) *Jerem. XXXI.* 2. 29.

jiciuntur; & ægritudines iſtæ infirmitatis Evæ fructus fuerunt: Paupertate plurimi anguntur, ac quibus ceteri diffluunt, ipſi egent; & hæc inopia ab Evæ infirmitate in nos derivavit. A peccatis vix abſtinere ſe poſſe videntur homines, cùm tamen non virium, ſed voluntatis ſit vitium; & iſta peccandi facilitas infirmitatis Evæ hæreditas fuit. Innumeri quotidie ad æternos deſcendunt Inferni cruciatus; & damnum hoc a primæ Genitricis infirmitate profluxit. Heu, heu noxia infirmitas unius mulieris, ob quam omnes miſeriis affluimus, & circumdamur! Quanti luctûs ac doloris, quot calamitatum & ærumnarum, quot periculorum & malorum illa fuit origo! Sed quid ego de Evæ loquor infirmitate, cùm poſſim jure optimo èt nunc dicere: *Mulierem fortem quis inveniet?* Ubi in mulieribus animi firmitas? ubi conſtantia in inſtituendis & ſervandis propoſitis? ubi perſeverantia? ubi animi robur? Certè ubi inveniam ignoro. Aliam video ſtatim fallacibus ac blandis juvenis alicujus verbis cedentem, honoris animæ & corporis ſtatim jacturam facere; altera, ſi non patiatur ſeduci, pompas tamen deponere ſuadenti non annuit, eò quòd oblatrantes audiat, ac ſubmurmurantes: quid hoc eſt, adoleſcentulam non ornari, non comptam ac decoram procedere? ſtatimque illa diabolicis vocibus adhæret. Alia, lacrymulis filiæ ad choreas accedere poſtulantis, atque ita ſeſe Diaboli laqueis irretire volentis, ſtatim flectitur. Aliæ velato capite per vias incedere, & in Eccleſiis potiſſimùm conſiſtere, juxta Apoſtoli docentis monitum compulſæ, ſtatim ac aër aliquantulum incaleſcit, ferventis diei excuſationem prætendunt, & ſubtiliſſimum velum ferre non poſſunt, cùm tamen multò graviora ornamenta ſerica & aurea geſtent in capite, quæ decem velis a Spiritu Sancto indictis (*a*), præponderant. Modicus calor, paucæ guttæ decidentis pluviæ, ad Eccleſiam, ad Doctrinam Chriſtianam, ad ſacras Conciones (nulla etiam verborum arte aut ornatu) ſuadent non eſſe accedendum, ne crepidæ, calcei, aut veſtes fœdentur, ne aliquantulum ſudoris emittatur. O miſeræ! Putatis-ne, hanc eſſe viam, quæ ducit ad vitam? Chriſtus ſanguineum ſudorem effudit; Sancti, & Sanctæ Virgines ac puellæ, Reginæ ac Primores Matronæ, divites ac delicatæ Mulieres per æſtum & gelu Cœli tramitem percurrerunt, quod nonniſi *violenti rapiunt* (*b*); & vos a Domino mittendum vobis, non ſecus ac Eliæ (*c*), currum expectatis, ut facilius

(*a*) *Exod. XXVI. v. 1.*
(*b*) *Matth. XI. v. 12.*
(*c*) *IV. Reg. II. v. 11.*

liùs cœleſtem gloriam aſſequamini? Annon apertè oſtenditis, pluris vos calceos veſtros aut veſtes facere, quàm animam & Cœlum? Infirmiſſimæ creaturæ! Sed quid de aliis dicam, quæ ſi Chriſtianis mulieribus conformem vitam inſtituerint, ſi ſacratiſſima Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta frequentiùs ſuſcipere cœperint, minimo humano pudori, leviſſimis aliarum vocibus, illas hypocritas aut ſimulatrices appellantium, omnibus denique ſomniis cedunt; & Deum coram hominibus erubeſcentes, efficiunt, ut etiam illas Chriſtus coram Patre ſuo cœleſti in die Judicii erubeſcat (*a*)? Quid de iis, quæ pauculis aſperioribus verbis irritatæ, muliebrem naturam exuentes, furiæ quædam videntur; ac veluti leenæ & tygrides domum totam evertunt, & quotquot in ea ſunt, quandoque Dei nomen blaſphemare cogunt, ac in deſperationem pene compellunt, impatientiâ, importunitate, detractionibus, iracundia, ac ferinis, ne dicam diabolicis moribus ſuis? Verè, ſorores, dicere poſſumus: *Mulierem fortem quis inveniet?*

Sed proh dolor! o filii, *Virum fortem quis inveniet?* Si tanta eſt mulierum infirmitas, quantò major hominum, qui aliquando iis ſunt infirmiores! Creavit Deus hominem liberum; ipſe verò quàm facilè & leviter mille ſe ſubdidit tyrannis! Reminiſcimini protoparentis veſtri Adæ, quem ſimplex mulieris vox ita dejecit. Sed quid ad Adam diverto? Hominum noſtri temporis, obſecro, infirmitates aſpiciamus. Ubi conſtantia in ſervando, quæ Deo in ſacro Baptiſmi Sacramento ſpoponderunt, nempe abrenunciandi Satanæ, Mundo, & pompis ejus? Ubi firma in Dominum ſpes, ubi conſtans fides, ubi fortitudo in expugnandis diabolicis ſuggeſtionibus, ubi in effugiendis peccatis vigilantia? Heu, heu! *Virum fortem quis inveniet; cùm non ſit qui faciat bonum, uſque ad unum* (*b*)? Alii, & hi ferè omnes, pecuniæ deſiderio trahuntur & lucri cupiditate, ut rectè ille dixerit: *Auri ſacra fames, quid non mortalia pectora cogis?* Hinc ſeſe a crudeliſſimo tyranno ſponte eligunt in captivitatem abduci; ſolo auri intuitu, animum viresque dejiciunt, proſternuntur, & viliſſima ſeſe mancipia reddunt; ſummum bonum in pecuniâ conſtituunt, lucris ſemper inhiant, lucra computant, lucra dies noctesque cogitant; eò uſque, ut ſive comedant, ſive bibant, aut dormiant, aliud nihil animo verſent; neque quemquam miſerum, niſi pauperem, nec felicem, niſi divitem putent: Proinde non immeritò ſacræ Literæ hujuſmodi homines non divites, ſed *viros*

(*a*) *Luc. IX. v. 26.*

(*b*) *Pſalm. XIII. v. 1. & 3.*

viros divitiarum (*a*), nempe ſervos, aut divitiis ſervientia mancipia nuncupant. Neque verò hi divitiarum modò, ſed multorum etiam ſe vitiorum ſervituti ſubjiciunt, *qui* enim *volunt divites fieri*, *incidunt in tentationem*, *&* *in laqueum diaboli* (*b*).

Jam verò, quanta eorum infirmitas, qui graviſſimo ambitionis jugo cervices ſubmittunt? quàm multis adulantur? quot dominis turpiter ſe debent ſubmittere, ut ad optatum honoris & dignitatis culmen perveniant? Hinc Sanctus Cyprianus: *Vide*, inquit, *illum*, *qui amictu clariore conſpicuus fulgere ſibi videtur in purpura*, *quibus hoc ſordibus emit*, *ut fulgeat? quos arrogantium faſtus priùs pertulit? quas ſuperbas fores matutinus ſalutator obſedit? quot tumentium contumelioſa veſtigia ſtipatus clientum cuneis ante præceſſit*, *ut ipſum etiam ſalutatum comes poſtmodum pompa præcederet* (*c*)? Et tamen quid hujuſmodi hominibus imbecillius, qui famam hanc, (cùm hæc omnia nil niſi fumus & vanitas ſint) tantis laboribus, vigiliis, indignis etiam obſequiis comparare ſibi ſtudent? Quid de iis dicam, qui ventri & gulæ, turpiſſimis atque fœdiſſimis tyrannis adeo facilè cedunt? Præterea impudicorum hominum turpi amori ſervientium, quanta imbecillitas eſt, qui ultro tam diræ dominationi ſe dedunt? Quæ enim crudelior aut durior captivitas, quàm nobiliſſimam mentem, divina imagine informatam, carnis tyrannidi effrænatiſque cupiditatibus, quodque gravius eſt, ipſi tenebrarum Principi eſſe ſubjectam, quæ ſolo Divino Spiritui ſubdi, & ab eo agi debuiſſet? Quid-ni igitur hujuſmodi homines mulieribus ipſis infirmiſſimis infirmiores eſſe dicantur, cùm illarum famulitio ſe alligent; de quibus fortè Salomon loquens: *Invêni*, inquit, *amariorem morte mulierem*, *quæ laqueus venatorum eſt*, *&* *ſagena cor ejus : vincula ſunt manus illius* (*d*)? Quid his nominibus *ſagenæ*, *laquei*, *&* *vinculorum*, niſi duriſſimam captivitatem & ſervitutem illius, qui impuri amoris igne flagrat, inſinuavit? Rectè quidem Cicero inquit: *An ille liber videatur*, *cui mulier imperat? cui leges imponit*, *præſcribit*, *jubet*, *vetat*, *quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt*, *nihil audet? Poſcit*, *dandum eſt; vocat*, *veniendum ; ejicit*, *abeundum ; minatur*, *extimeſcendum*. *Ego verò iſtum non modò ſervum*, *ſed nequiſſimum ſervum*, *etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit*, *appellandum puto* (*e*); quinimo non fortem eumdem nuncupandum exiſtimaverim, etiam ſi mille exercitus copioſiſſimos

(*a*) *Pſalm. LXXV. v. 6.*
(*b*) *I. ad Timoth. VI. v. 9.*
(*c*) Epiſt. II. ad Donatum Editionis Pariſ. Anni mdcvii.
(*d*) *Eccleſiaſtes VII. v. 27.*
(*e*) Cic. in Parad. Cap. V.

mos profligaverit, mille Civitates munitiſſimas expugnaverit. Sed, ut magis ab impudicis amoribus abſtineamus, quis effœminatum quorumdam virorum animum non admiretur, qui cùm uxorum ſuarum caput a Domino ſint conſtituti, earum tamen arbitrio, in hanc & illam partem ſe agitant, ac verti permittunt, illas ſibi veluti Idola, Deoſque conſtituentes? Verè infirmi mundani omnes homines ſunt, nam *omne, quod eſt in Mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ* (*a*). Siquidem aut pecuniæ amori omnes obediunt, ut rectè dici poſſit: *Beatus vir, qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua* (*b*); aut, ſicuti audiviſtis, ſuperbiæ & ambitioni, aut gulæ & corporis commodis ſerviunt, inſtar Eſau inſipientiſſimi, viliſſimo lentis pretio cœleſtem Primogenituram vendentes (*c*); de quibus etiam conqueritur Dominus: *Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis* (*d*); aut demum imbellibus fœminis, quæ de ipſorum carne ſumptæ fuerunt (*e*), turpiſſimè cedunt; ſimiles arbori, quæ prope vitem plantata, ut illam ſuſtentet, eidem innititur, atque adhærere cogitur: ſic èt ipſi ſuſtentandis ac regendis mulieribus deputati, iiſdem maximo cum dedecore innituntur. Sed quæ iis poteſt eſſe firmitas aut fortitudo, cùm a tam debili fulcro ſuſtentari ſe ſinant? Heu numquam ſatis deplorandam hominum cæcitatem atque infirmitatem! heu numquam ſatis deteſtandam mulierum malitiam atque ſævitiem; ut quæ in adjutorium homini fuerat data (*f*), jam ei ſit in interitum extremamque perniciem; & illi ipſi facta ſit mortis occaſio, ex cujus latere ipſa vitæ ſumpſit exordium!

Utriuſque hujus inordinatæ corruptelæ imagines pulcherrimas vobis ob oculos ponite, ex ſacris Literis deſumptas. Ac in primis Samſonem illum fortiſſimum conſiderate, qui leones, uti agnos occiderat; qui homines, uti pulices reputabat; qui portas ferreas humeris impoſitas, perinde ac leviſſimas ſtipulas geſtabat; quo numquam fortior alter. Attamen, quis omnem ei fortitudinem ademerit, cernite. Porro iniquiſſima mulier hoc amori præmium retribuit. Ipſa vobis Scripturæ verba recitabo; & attendite, obſecro, ac videte hominis cæcitatem ſibi mortem machinantis, & tanto proſe-

quen-

(*a*) *I. Joann. II. v.* 16.
(*b*) *Eccleſiaſtici XXXI. v.* 8. *&* 9.
(*c*) *Geneſis XXV. v.* 31. *& ſeqq.*
(*d*) *Ezech. XIII. v.* 19.
(*e*) *Geneſ. II. v.* 23.
(*f*) *Ibid. v.* 18.

quentis amore illam ipſam, cujus fraudes toties expertus fuerat, numquam tamen edoctus; nec non fœminæ ingratitudinem ferinam, & diabolicam ſævitiam, quæ quò magis amabatur, eò intenſiùs oderat: *Poſt hæc*, inquit Scriptura de Samſone loquens, *amavit mulierem, quæ habitabat in Valle Sorec, & vocabatur Dalila*. Ecce viri amor; audite mercedem: *Veneruntque ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos* (*a*). Sed numquid tanti Viri, quem omnibus theſauris cariorem habere debuiſſet, amorem, oblato Philiſthinorum argento prætulit? Audite: Statim *locuta eſt Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas* (*b*). Fraudulenta quidem fuit hæc mulier, ingratiſſima, iniquiſſima; ſed multò (ne univerſam hiſtoriam recenſens orationis limites excedam), ſtupidior Samſon, qui, illius fraudes cùm ſemel atque iterum apertè cognoviſſet, adeò tamen excæcatus perſtitit, ut ei tamdem omnis fortitudinis ſuæ originem revelaverit; unde ex fortiſſimo infirmiſſimus redditus, hoſtium ſuorum factus eſt fabula atque ludibrium: nam *ſtatim eruerunt oculos ejus, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere*, jumentorum more, *molere fecerunt* (*c*). O infirmitas humana, deflenda potius, quàm enarranda! Quàm multi noſtrûm Samſone ſunt, ùt ita dicam, effœminatiores! quàm multi experti, quia maledicta hæc Dalila, caro noſtra, mortem nobis ſemper meditatur, & cum Philiſthiim, hoc eſt Diabolis, fœdus adversùm nos init: attamen, licèt toties ejus fructus opera & ſtudia viderint, ſeſe totos illi fidunt, fortitudinem omnem ſuam in manu ejus committunt, ac ſibi oculos erui, ſeſe ligari, ac demum jumentorum more tractari patiuntur!

Sed audio dicentes: Sapientibus hæc evenire non poterunt. Quantum tamen erratis! Intuemini, intuemini Salomonem illum, ſapientiſſimum omnium, qui umquam fuerint ac futuri ſint, hominum, & expaveſcite infirmitatem veſtram. Huic rerum cognitio non deerat, quam a Domino copioſiſſimè acceperat, & *cum illa pariter omnia bona* (*d*). Hic mulierum fraudes & damna non modò noverat, ſed ea toties & tam præclarè omnes docuerat. Et tamen quis ejus extiterit finis, trementes audite: *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas: de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filiis Iſraël: Non ingre-*

(*a*) *Judic. XVI. v. 4. & ſeq.*
(*b*) *Ibid. v. 6.*
(*c*) *Ibid. v. 21.*
(*d*) *Sapient. VII. v. 11.*

ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras: certiſſimè enim avertent corda veſtra, ut ſequamini Deos earum. His itaque copulatus eſt Salomon ardentiſſimo amore. Fueruntque ei uxores quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ: & averterunt mulieres cor ejus. Cùmque jam eſſet ſenex (nempe cùm tempus appropinquaſſet, quo ſapientiæ & operum ſuorum fructum eſſet percepturus,) *depravatum eſt cor ejus per mulieres, ut ſequeretur Deos alienos: nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo ſuo, ſicut cor David Patris ejus. Sed colebat Salomon Aſtarthem Deam Sidoniorum, & Moloch Idolum Ammonitarum. Fecitque Salomon quod non placuerat coram Domino, & non adimplevit, ut ſequeretur Dominum, ſicut David Pater ejus. Tunc ædificavit Salomon Fanum Chamos Idolo Moab in Monte, qui eſt contra Jeruſalem, & Moloch Idolo filiorum Ammon* (*a*). O Salomon; ubi ſapientia, quam habuiſti? Numquid a Deo vivente, an a Chamos, aut Moloch eam accepiſti? Quis tibi tot Regna, tot divitias, tot ſervos, tantam glóriam dederat? Ille-ne, an iſti? Ubi Templum, quod adeò magnificum illi conſtruxiſti? Hæccine ſunt, quæ tam pulchrè, tam ſapienter, tam ſanctè de timendo Deo vero, de fugiendis mulieribus ſcripta reliquiſti? Nonne aureum librum concludens dixeras: *Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo* (*b*)? O egregium Dei timorem: o conſtantem erga ejus mandata obedientiam! Quàm infelix vitæ tuæ exitus, quàm deploranda ſenectus! Et quis jam profuſiſſimis lacrymis tuî miſeratus, tuam non defleat calamitatem? Ego certè, auditores, deficio, perhorreſco, ac dolore conficior, hæc recogitans; & aliunde cum Sanctiſſimo Job *vereri* compellor *omnia opera mea* (*c*), videns, quia maxima eſt meî, & omnium hominum infirmitas.

Verùm, ut fatear quod ſentio, nimia etiam extat in hominibus & mulieribus fortitudo, ſed diabolica & maledicta; in malum namque ſunt fortes, ad promptè decipiendum, ad pervicaciter peccandum, ad Deum mille ſceleribus quotidie provocandum, ad animas in Dæmonis retia pertrahendas, ad aliorum procurandum interitum. Egregiam ſanè fortitudinem!

Cur tamen ego tamdiu in his immoror, alia graviora, ac ad propoſitum noſtrum magis ſpectantia tractaturus? Huic ſermonis mei parti finem impono, exclamans: proh Deum viventem! *Virum fortem quis inveniet? Mulierem fortem quis inveniet?* Ergo-ne firmitas,

(*a*) *III. Reg. XI. v.* 1. *& ſeqq.*
(*b*) *Eccleſiaſtes XII. v.* 13.
(*c*) *Job IX. v.* 28.

tas, conſtantia, fortitudo nuſquam reperietur, aut nemo illam inveniet?

Adeſt profectò qui & viros & mulieres fortes inveniat, ille nimirum, qui utroſque creat, ac ſibi præparat, Spiritus Dei Sanctiſſimus. Hic innumeros homines, innumeras mulieres fortiſſimas fecit, cùm ab ipſo deſcendat egregium fortitudinis donum. Verùm quoniam de Virgine muliere ſermonem inſtituimus, in aliud tempus rejicienda videntur fortitudinis virorum exempla: hodiernus dies mulieribus detur. Annon fortiſſimam Virginem Dei Parentem Spiritus Sanctus invênit, quæ invictâ virtute ſerpentis caput contrivit; quæ humilitate ſua Dei Filium e Cœlis in uterum traxit; quæ tantum Dæmoni terrorem incuſſit, ac vulnus inflixit? Quid Maria Virgine fortius? Hæc fortitudinis extitit magiſtra, & mater; per hanc nos fortes evaſimus; per hanc fortis armatus venit in Mundum, ac fortem tyrannum ejecit; per hanc denique fortitudinis donum omnes accepimus. Maria Civitas fortiſſima, columna firmiſſima, & *Turris* eſt, *e qua mille clypei pendent, omnis armatura fortium* (*a*). Quinimo illæ etiam, quæ antiquitus eamdem præſignavere, mirum fortitudinis ſpecimen præbuerunt.

Quantâ fortitudine Judith vidua ſanctiſſima conſternatos totius Populi, & Sacerdotum animos eſt conſolata, exclamans: *Qui eſtis vos, qui tentatis Dominum* (*b*)? Quanto robore aggreſſa eſt numquam ſatis commendandum facinus, dicens: *Sicut quod potui loqui, Dei eſſe cognoſcitis: Ita quod facere diſpoſui, probate, ſi ex Deo eſt, & orate, ut firmum faciat Deus conſilium meum. Stabitis vos ad portam nocte iſta, & ego exeam cum Abra mea: & orate, ut ſicut dixiſtis, in diebus quinque reſpiciat Dominus Populum ſuum Iſraël. Vos autem nolo, ut ſcrutemini actum meum, & uſque dum renunciem vobis, nihil aliud fiat, niſi oratio pro me ad Dominum Deum noſtrum* (*c*). Quantâ demum præſtantiâ, & quantis viribus id poſtea effecit, quod plurimi Hebræorum exercitus obtinere nequiverant? *Stetit* illa *ante lectum* Holofernis, *orans cum lacrymis, & labiorum motu in ſilentio, dicens: Confirma me Domine Deus Iſraël, reſpice in hac hora ad opera manuum mearum, ut, ſicut promiſiſti, Jeruſalem Civitatem tuam erigas: & hoc, quod credens per te poſſe fieri cogitavi, perficiam. Et cùm hæc dixiſſet, acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli ejus, & pugionem ejus, qui in ea ligatus pendebat, exolvit. Cùmque evaginaſſet illum, apprehendit comam capitis ejus, & ait: Confirma me Domine Deus in hac hora. Et percuſ-*

(*a*) *Cant. Cantic. IV. v.* 4.
(*b*) *Judith VIII. v.* 11.
(*c*) *Ibid. v.* 30. *& ſeqq.*

ſit bis in cervicem ejus, & abſcidit caput ejus (*a*). O fortiſſimam Judith! Verè *tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël, tu honorificentia Populi* Bethuliæ: *quia feciſti viriliter, & confortatum eſt cor tuum* (*b*).

Quid dicam de fortiſſima illa Jahel, quæ univerſum etiam Iſraëliticum populum a ſummo mœrore, fortitudine ſua liberavit, cùm Siſaram Principem copioſiſſimi exercitus Jabin Regis Azor, & hoſtis Hebræorum, intrepidè occìdit, clavum ei malleo defigens in cerebro (*c*)? Sed iſtæ, ùt diximus, fortitudinis Mariæ Dei Matris typi fuerunt. Poſtmodum verò quàm multa Sanctarum Virginum, & omnis conditionis mulierum millia Mariam ſunt ſecuta?

Certè hanc prima omnium Thecla Sanctiſſima eſt imitata, quæ èt ideo Protomartyr extitit, quòd ſicuti Stephanus inter homines primus, ſic hæc inter mulieres poſt Chriſtum prima martyrium ſubierit, plurimis affecta cruciatibus; quamobrem Ambroſius Sanctiſſimus poſt Mariam, ſtatim Theclam Virginibus ad imitationem proponit (*d*).

Hæc fortiſſima fuit mulierum & hominum etiam anteſignana. Hujus inæſtimabilem fortitudinem admirari magis deberemus, quàm rudi eloquio, ùt nos facimus, recenſere. Attamen, utcumque poſſumus, de ea nonnulla enunciemus. Hæc Virgo ſingularem animi fortitudinem ſemper comitem habuit, eamque uſque ad exitum vitæ [quæ diutina fuit, cùm nonagenaria obierit (*e*)] præclariſſimè oſtendit in omnibus. In primis autem contra matrem fortis fuit; numquam enim ab ea aut blanditiis, aut precibus, aut minis, aut verbis, aut ulla ratione, a Chriſti Fide potuit dimoveri. Quantum ergo roboris in ea viguiſſe putandum eſt, quæ cum propria Matre certamen inire debuit per tot menſes, ac fortè annos? Tamdem Mater nihil ſe proficere animadvertens, maternæ caritatis oblita, pietatis omnis expers, eam ad Judicem, quòd Chriſtiana eſſet, detulit, petens, ut vivam cremari juberet. Quàm in hac Sanctiſſima

(*a*) *Judith XIII. v. 6. & ſeqq.*
(*b*) *Ibid. XV. v. 10. & 11.*
(*c*) *Judic. IV. v. 21.*
(*d*) Lib. II. de Virginibus Cap. III.
(*e*) In Vita Sanctæ Theclæ a Simeone Metaphraſte conſcripta, & a Petro Pantino Tilletano e Græco in Latinum ſermonem traducta legitur, præclaram hanc Virginem tentatam fuiſſe a Judicibus crudelium ſuppliciorum pœnâ, cùm ageret annum ætatis XVIII. Cùm autem e carnificum manibus Divino miraculo incolumis evaſiſſet, dicitur per LXXII. annos vitam duxiſſe omni pietatis genere illuſtrem in Monte, quem ſibi in eremum delegerat, atque ita ad Deum migraſſe, cùm ageret XC. annum. Baronius contrariam ſententiam amplexus eſt, contendens veterum Patrum teſtimonio, Sanctam Theclam ad Cœlum inter tormenta evolaſſe: Tillemontius tamen Bedæ Martyrologio innixus, ac Bollandi auctoritatem interponens, eam incruenta morte deceſſiſſe teſtatur; utque reſpondeat Baronio, ait: in more antiquorum fuiſſe, ut illi, qui pro Fidei Catholicæ confeſſione cruciatus pertulerant, Martyrii palmam obtinuiſſe dicerentur, quamvis ipſi Martyrio ſuperſtites fuiſſent.

ma Virgine verum fuit, quod ſcriptum eſt, quia *inimici hominis domeſtici ejus* (*a*)! Illa eamdem genuerat; & tamen cùm filiæ animam æternæ morti addicere irrito conatu curaſſet, externam ſaltem corporis vitam ei eripere, omni qua potuit crudelitate tentavit. Quid matris nomine dulcius? Et tamen, quid hac matre crudelius; & quid Thecla fortius, quæ èt ipſam matrem vincendo, nos docuit, patrem & matrem, & omnia Chriſto eſſe poſtponenda (*b*)? Ego hanc victoriam omnibus Romanorum victoriis longè arbitror inſigniorem, quantò fuit difficilius matri contradicere, quàm hoſtes manifeſtos profligare (*c*).

Fuit ſecundò adversùs ſe ipſám fortiſſima, nam ſanguinis nobilitatem ſpernens, utpote illuſtribus orta parentibus, divitias & domùs ſplendorem contemnens, Sponſum ſibi oblatum conſtantiſſimè reſpuens, ſanguinem Mundum & opes, ſe ipſam denique, ac Sponſum vicit fortiſſimè. Sed verbis tantùm conſtantem, fortè dicitis, Theclam fuiſſe. Proferantur igitur verbera, flagella, ignes, ſerpentes, tyranni, & mors ipſa, ut ejus fortitudo probetur. At hæc omnia invicta Martyr ſtrenuè debellavit; nam rapta ab apparitoribus, ut in focum jactaretur, ſpontè pyram ignis aſcendit, & ſigno Crucis facto, ſe ipſam in ardentiſſimum rogum conjecit, ac virili animo inter medias flammas ſtetit, ſubitòque, facta inundatione pluviarum, ignis extinctus eſt, & Beata Virgo illæſa egreſſa eſt. Et ecce, quomodo ignem ſuperavit.

Leones etiam Thecla devicit; nam cùm jejuniis vigiliis & orationibus vacaret, a quodam viro potente comprehenſa, perducta eſt ad Antiochiæ Præſidem, eò quòd Chriſtianam ſe diceret; atque ab eodem interrogata, num id verum eſſet, reſpondit, ſe prorſus Fidem Catholicam profiteri: Proinde illam Præſes ad beſtias damnavit. Denudatâ igitur veſtibus impudenter Virgine, dimittuntur in eam leones pariter atque urſi; ſed nulla ferarum auſa eſt illam lædere. Mirandam hujuſmodi fortitudinem deſcribens Eccleſiæ no-

(*a*) *Michææ VII. v. 6.*
(*b*) *Matth. X. v. 37., & Lucæ XIV. v. 26.*
(*c*) Bollandiſtæ Tomo II. Supplementi in Auctariis ad Uſuardi Martyrologium, Codicem Bruxellenſem referunt, in quo hæc leguntur ad diem XXIII. Septembris: „ Natale „ Theclæ Virginis, apud Seleuciam quieſcen„ tis, quæ de Civitate Iconio a Beato Paulo „ Apoſtolo inſtructa eſt; quam mater ejus cer„ nens Chriſtianam, & nuptui repudiare, ac„ cuſavit eam. „ Idem narrari in altero Hagenuoyenſi Codice teſtantur, his verbis: „ Apud Seleuciam depoſitio Sanctæ Theclæ „ Virginis, diſcipulæ Sancti Pauli Apoſtoli, „ quæ orta erat de Iconio Civitate; quæ quia „ Sponſum ſuum deſeruit, & Paulo adhæſit, „ a matre propria eſt accuſata, quòd Chriſtia„ na eſset, unde in ignem projicitur, & non „ læditur. „ In Vita hujus Protomartyris Baſilio Seleucienſi tributa, & in altera a Simeone Metaphraſte conſcripta, accuſator Theclæ apud Judices fuiſſe dicitur Sponſus; verùm barbarum hoc facinus perpetrari potuit ab utroque.

ſtræ Parens Ambroſius in hæc verba prorumpit : *Ergo Sancta Maria diſciplinam vitæ informet ; Thecla doceat immolari , quæ copulam fugiens nuptialem , & Sponſi furore damnata , naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutavit . Namque parata ad feras , cùm aſpectus quoque declinaret virorum , ac vitalia ipſa ſævo offerret leoni , fecit , ut qui impudicos detulerant oculos , pudicos referrent . Cernere erat lingentem pedes beſtiam cubitare humi , muto teſtificantem ſono , quòd ſacrum Virginis corpus violare non poſſet . Ergo adorabat prædam ſuam beſtia , & propriæ oblita naturæ , naturam induerat , quam homines amiſerant . Videres quadam naturæ transfuſione homines feritatem indutos , ſævitiam imperare beſtiæ ; beſtiam exoſculantem pedes Virginis , docere quid homines facere deberent . Tantum habet virginitas admirationis , ut eam etiam leones mirentur . Non impaſtos cibus flexit , non citatos impetus rapuit , non ſtimulatos ira exaſperavit , non uſus decepit aſſuetos , non feros natura poſſedit . Docuerunt religionem , dum adorant Martyrem ; docuerunt etiam caſtitatem , dum Virgini nihil aliud niſi plantas exoſculantur , demiſſis in terram oculis , tamquam verecundantibus , ne mas aliquis , vel beſtia , Virginem nudam videret* (*a*).

Verùm nondum eſt finis : nam , cùm poſt hæc in foſſam aquâ plenam , ubi ſerpentes in unum collecti fuerant , a furentibus populis urgeretur , ſigno Crucis munita in illam ſe immiſit . Sed hìc quoque a venenatis morſibus ſtetit prorſus immunis . Iterum atrociores beſtiæ parantur ; nulla tamen iſtarum dentes in Martyrem armavit . Necdum autem crudelitas ſibi modum poſuit : Alligatur enim duobus tauris ferociſſimis , ferro candente ſtimulatis , ut eam diſcerperent ; qui tamen funibus diſruptis , huc atque illuc vagantes diſcurrunt , ac Martyrem Dei intactam relinquunt .

Vicit tamdem etiam Tyrannum ; nam accerſitam Proconſul requirit , quæ , aut unde eſſet ; cùm nulla beſtiarum eam lædere potuiſſet . Beata Thecla reſpondit : *Dei vivi tantùm ſum ancilla .* Territus autem Proconſul , tantæ virtutis experimento , eam indui veſtibus juſſit , hanc ſententiam edicens : *Theclam , pietatis , ac Dei cultricem relaxo .*

O admirandam mulieris fortitudinem ! O virtutem in Virgine , ipſis feris ac Tyranno ſpectabilem ! Magiſtrum habuerat hæc Martyr Paulum fortiſſimum ; illum , inquam , qui dicebat : *Quis ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti ? tribulatio ? an anguſtia ? an fames ? an nuditas ? an periculum ? an perſecutio ? an gladius ? Certus ſum enim , quia neque mors ,*

(*a*) S. Ambroſ. de Virginib. Lib. II. Cap. III. num. 1.

mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro (*a*): Illum itidem, qui *omnia ſe poſſe* conſtantiſſimè affirmabat *in eo, qui illum confortabat* (*b*): Illum denique, qui tanta animi fortitudine tam multa pertulerat, ut de ſe ipſo diceret: *Miniſtri Chriſti ſunt, (ùt minus ſapiens dico) plus ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter. A Judæis quinquies, quadragenas, unâ minus, accepi. Ter virgis cæſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte, & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex Gentibus, periculis in Civitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus: In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in jejuniis multis, in frigore, & nuditate: præter illa, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea* &c. (*c*).

O dignam ſanè tanto præceptore diſcipulam! O bene conſumptos Pauli in inſtituenda Thecla labores! O ſemen doctrinæ in terram bonam feliciſſimè dejectum! Verè ſi *filius ſapiens lætificat patrem* (*d*), quantum affert Paulo decoris atque ſplendoris Theclæ ſanctiſſimæ fortitudo, atque fortiſſimæ Virginis ſanctitas!

Hæc primævo Eccleſiæ Seculo nata, optimè viventium, atque intrepidè morientium Chriſtianorum exemplis inſtructa, propriam mirum in modum cumulavit fortitudinem. Erant primitiæ divini Spiritûs tempora illa; fervebat tunc maximè caritas. Videre erat infantulos, tenellas virgines, matres filios ſuos in brachiis geſtantes, ad carnificum ſecures, ad ignes, ad patibula, ad beſtias, ad mortem promptiùs, quàm nunc ad nuptias vel ad convivia, properantes. Illis ergo temporibus Thecla & Spiritus fervore repleta, & alios ſuî exemplo innumeros erudiens, eximiæ præbuit documenta fortitudinis.

Ab hac denique, quamplura mulierum & hominum millia fortitudinem didicere. Hæc magno numero animas, ſuarum virtutum ſplendore, peperit Chriſto; nam ejuſdem Fidei ſtrenua profeſſione, atque operum ſanctitate permotæ plurimæ gentes, militiæ Chriſtianæ ſeſe addidere. Tamdem ad Patriam rediens, in Montem ſola ſeceſſit, ubi multis virtutibus & miraculis inſignis, poſt priora

ra

(*a*) *Ad Roman. VIII. v.* 35. *& ſeqq.*
(*b*) *Ad Philipp. IV. v.* 13.
(*c*) *II. ad Corinth. XI. v.* 23. *& ſeqq.*
(*d*) *Proverb. XV. v.* 20.

ra certamina, duplicem Virginitatis & Martyrii coronam adepta, requievit in pace, & nonagenaria migravit ad Dominum (*a*).

Ecce ergo, dilectiſſimi, quia *invênit* Dominus ſibi *mulierem fortem; ſed procul, & de ultimis finibus pretium ejus* (*b*), nam ſicut quæcumque pretioſa habemus aromata, aut metalla, aut gemmarum ac unionum plurima genera, ex longinquis admodum regionibus, ex orbe Indico ad nos tranſvehuntur; ita *procul* quidem, *& de ultimis finibus* fuit inſignis hæc Theclæ fortitudo, nimirum e Cœlo: tales quippe fructus, utpote pretioſos, terra noſtra non gignit, quæ, a Deo maledictione acceptâ, ferendis tantùm ſpinis & tribulis apta exiſtit (*c*). E Cœlo, e Cœlo, filii, fortitudo deſcendit, unde *omne datum optimum, & omne donum perfectum* (*d*). Deus eſt, qui *dat fortitudinem Plebi ſuæ* (*e*): Deus ipſe eſt, de quo dicitur: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient* (*f*). Rectè *mutabunt*; quia humanam fortitudinem exuentes, *induentur* divina *virtute ex alto* (*g*); & qui in malum fortes erant, ad bonum perficiendum, & ærumnas omnes tolerandas reddentur fortiſſimi. Hæc ergo Theclæ fortitudo a Deo fuit, cujus ſe tantùm ancillam eſſe profitebatur; & ideo *procul, & de ultimis finibus pretium ejus*.

Verè incomparabilis fortitudo, maximo empta pretio, & ad emendum æternum præmium aptiſſima! Hanc, ſicut cetera omnia bona, acquiſivit, comparavit, emit nobis Chriſtus, *non corruptibilibus auro, vel argento* (*h*), ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo, ſed ſe ipſo, ſed morte ſua. O quale pretium, o quantum, o quantì faciendum! Quod tanto emitur pretio, quàm pretioſum exiſtimandum eſt! Sed quàm ſublimia ſunt, quæ hac fortitudine emuntur, cœleſte ſcilicet Regnum, gloria æterna, felicitas perpetua, beatitudo numquam deficiens, Deus ipſe, ſummum & incomparabile bonum! Hæc om-

(*a*) Ætate Sancti Caroli, & etiam ſeriùs, ùt a Baronio diſcimus, Vita Sanctæ Theclæ Protomartyris genuinus fœtus Baſilii Seleucienſis credebatur. Recentiores eruditi Viri, inter quos Tillemontius, illam eidem abjudicant; fatetur tamen hic poſtremus in prima adnotatione ad Sanctæ Theclæ Commentaria, Vitam hanc ſcriptam fuiſſe ab Epiſcopo, aut ſaltem Presbytero Seleuciæ, tempore quo Baſilius vivebat, ideſt Seculo quinto. Idem judicium fertur de Vita ejuſdem Virginis a Simeone Metaphraſte exarata; plura enim in hiſce Actis leguntur, quæ veritati obluctantur. Quamobrem Tillemontius permulta veterum Patrum elogia collegit ad hujus Sanctæ Protomartyris memoriam illuſtrandam; in iis verò deſcripta reperiuntur, quæ de Virginitatis amore, de Parentum, ac Sponſi ſævitia, de ferarum manſuetudine, de innoxio igne, aliiſque ſuppliciorum generibus a Sancta Thecla intrepidè toleratis Sanctus Carolus hìc enarravit.

(*b*) *Proverb. XXXI. v.* 10.

(*c*) *Geneſ. III. v.* 17. *&* 18.

(*d*) *Jacob. I. v.* 17.

(*e*) *Pſalm. LXVII. v.* 36.

(*f*) *Iſaiæ XL. v.* 31.

(*g*) *Lucæ XXIV. v.* 49.

(*h*) *I. Petri I. v.* 18.

omnia, filii, venalia ſunt; ſed nullo alio pretio, niſi fortitudine, hoc eſt in bono perſeverantiâ atque conſtantiâ emi poſſunt. Chriſtus mercator æternus in terras deſcendit, ut Cœlum, a quo per peccatum decideramus, nobis venale proponeret; non aliud pretium poſcens, quàm fortitudinem. Audite mercatorem id poſtulantem: *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud* (*a*). Thecla miles fortiſſima, quæ ſanctâ violentiâ Matri tuæ, ſanguinis nobilitati, Mundi opibus ac pompæ, tibi ipſi, Sponſo, carni tuæ, igni, leonibus, ſerpentibus, tauris, tyrannis, terræ, Cœlo, hominibus, Deo demum vim intuliſti; atque ideo nobilem de omnibus victoriam reportaſti, ac triumphum egiſti: Tuum factum eſt Cœlum, tu illud rapuiſti atque emiſti, pretio invictæ fortitudinis erogato. Facta es tota Dei, qui totus factus eſt tuus, feliciſſima inter mulieres, fortiſſima inter Martyres Virgo.

Sed reliquas ejus virtutes conſideranti mihi occurrunt Spiritûs Sancti verba in eodem Proverbiorum capite exarata, quibus non modò hæc Virgo ſacratiſſima, ſed etiam quævis Chriſtiana mulier, imo omnis anima fidelis, ad vivum depicta, ejuſque omnia munera actiones & ſtudia deſcripta videntur.

Subditur enim: *Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit* (*b*). Hæc ſanè magnam Fidem, & religionem indicant: Quod enim de fideliſſima uxore dicitur, de qua plurima Sponſus illius fecerit experimenta, eamque ſemper fidelem invenerit; hoc etiam de Thecla, & de omni Anima dici cenſendum eſt. Tentavit Dominus Theclam igne, leonibus, ſerpentibus & feris; tentavit tyrannis, minis, blanditiis, deliciis, promiſſis; tentavit per matrem, ac Sponſum: Eamdem tamen ſemper reperit immotam, conſtantem, fidelem. Ideo meritò *confidit in ea cor viri ſui*, & Sponſi ſui Chriſti; *nec ſpoliis indigebit*, quibus ipſa continuò Cœlum replere ſatagit, Diabolum ſpolians, animas ei rapiens, illaſque veluti nobiliſſimas prædas conſecrans Chriſto.

Reddidit ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ (*c*); nam beneficiis a Deo receptis atque muneribus, ſanctis ſemper verbis cogitationibus & operibus egregiè reſpondit, mala omnia, nempe culpas inexpiabili proſequens odio; quod non agunt, qui divinis donis abutuntur. Id autem non ſemel, aut interdiu præſtitit Thecla, ſed *omnibus diebus vitæ ſuæ*, quibus ſemper in Dei perſtitit Fide, religione, & caritate. *Quæ-*

(*a*) *Matth. XI. v.* 12.
(*b*) *Proverb. XXXI. v.* 11.
(*c*) *Ibidem v.* 12.

Quæſivit lanam & linum, ſimplicitatis operibus dedita, ac corporis caſtigationi: *& operata eſt conſilio manuum ſuarum* (*a*), non coacta, ſed liberæ voluntatis arbitrio; *hilarem* quippe *datorem* a Domino *diligi noverat* (*b*).

Facta eſt quaſi navis inſtitoris, de longè portans panem ſuum (*c*), nam ſicuti mercatorum naves in longinquas regiones merces tranſportant, quas mercibus aliis commutant, ſicque victum ſibi abundè comparant, exteriſque ſubminiſtrant; ita Thecla ſanctitatis atque virtutum exemplum, aliis etiam exteris victum præbuit ſpiritualem, a quibus ipſa quoque, ſi quid in illis fuit, quo ſe ipſam paſceret, collegit; veluti non modò navis mercatoris, ſed etiam uti ſolertiſſima apis, mel ex omnibus delibans, ac victum parans ſibi opportunum.

Et de nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis (*d*). Hæc numquam ociabatur, ſomno horas ſurripiens; Chriſti perfecta diſcipula, qui èt noctes conſumebat in oratione Dei: adeòque lectulo conſurgens, *prædam*, quam e Cœlis capiebat, dividebat *domeſticis* & familiaribus *ſuis; & cibaria* ſpiritualia *ancillis ſuis*, animæ ſuæ videlicet deſideriis, corporis ſenſibus, quibus veluti ancillis dominabatur, juxta Divinæ voluntatis præſcriptum.

Conſideravit agrum, & emit eum (*e*). O qualem agrum, quàm fertilem, nempe Cœlorum Regnum! Multos habebat præ oculis agros, ſed prudentiſſima Thecla, antequam emeret, diligentiſſimè priùs cujuſvis naturam, ſitum, fructus, fertilitatem *conſideravit;* non ùt imprudentiſſimus ille fecerat, qui villam priùs, quàm videret, emerat; poſtea verò perrexerat videre illam (*f*), unde èt a cœleſti Cœna fuit rejectus. Hunc verò agrum *de fructu manuum ſuarum plantavit* (*g*), quia propriis meritis ſibi *vineam plantavit*, ſibi agrum adornavit, palatium ſibi extruxit in Cœlo, coronam ſibi paravit immarceſcibilem.

Quod ut efficeret, non eam ab itinere conficiendo viæ retardavit aſperitas, non a ſuſcipiendo labore difficultas revocavit, ſed *accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum* (*h*), dum firmè ſtatuit, Deo dante, ſe a Dei via numquam receſſuram; millies ſe potius mori paratam profitens, quàm ne minimum quidem unguem a Divina voluntate deflectere. Hac fortitudine cùm plerique

(*a*) *Proverb. XXXI. v.* 13.
(*b*) *II. ad Corinth. IX. v.* 7.
(*c*) *Proverb. XXXI. v.* 14.
(*d*) *Ibidem v.* 15.
(*e*) *Ibidem v.* 16.
(*f*) *Lucæ XIV. v.* 18.
(*g*) *Proverb. XXXI. v.* 16.
(*h*) *Ibidem v.* 17.

que noſtrûm non accingamur, quia non *roboramus brachium noſtrum*, ſolida & inconcuſſa propoſita concipientes, ac cœleſtem viam aggredientes, ideo agrum non emimus, & non emendo minimè poſſidebimus.

Præterea ſanctiſſimam vitam inſtituens Thecla, Dei obſequio ſeſe totam non modo mancipavit, ſed *guſtavit* etiam (guſtanda namque ſunt divina), *& vidit quia bona eſt negotiatio ejus:* cetera quippe, quæ ſenſibus ſubdita ſunt, guſtata ſatiant, & quandoque etiam faſtidium creant; at cœleſtia, dum guſtantur, majorem ſui ſemper famem ac deſiderium accendunt.

Non extinguetur in nocte lucerna ejus (*a*); neque enim, ùt dictum eſt, noctu, vel umquam ociabitur, ſed negotiari perget cœleſtes merces, & agrum plantare. Rectè autem *non extinguetur lucerna ejus*; cùm virginibus fatuis ſimilis non fuerit, quibus oleum defecit (*b*); ſed prudentiſſima exſtitit, adeoque ſumpſit ſecum oleum, & media nocte, adveniente Sponſo, *non extinguetur lucerna ejus;* in mortis quippe nocte Sponſum ſuum ſequetur, quia ardentem habuit lucernam, quia oleum ſecum aſſumpſit.

Et quod oleum? Ea ſcilicet opera, quæ ſequentibus verbis exprimuntur: *Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum* (*c*); quotidie quippe ardentior fiebat ad animæ propriæ, & aliorum ſalutem procurandam, ac ex divinis colloquiis, & ſacris libris dogmata, veluti fila ducens, colligebat, quæ & ſibi, & ceteris prodeſſe poſſent.

Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem (*d*); miſericordiæ ſemper operibus dedita, a quibus non eſt quòd ſe quiſpiam excuſare poſſit, aut eximere; nam èt pauperes maximas valent etiam in divites conferre eleemoſynas, ſpirituales videlicet, tantò corporalibus perfectiores, quantò præſtat anima corpori.

Stragulatam veſtem fecit ſibi (*e*) variis virtutibus contextam, qua induta *aſtitit in veſtitu deaurato, circumdata varietate* (*f*), ſed præcipuè *byſſus, & purpura* fuerunt *indumentum ejus*, ſacra ſcilicet candida virginitas, & martyrium, quæ veluti *fortitudo, & decor* fuerunt *indumentum ejus* (*g*).

Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus (*h*). Quando enim hæc umquam *os ſuum aperuit*, aut linguam movit, ut vici-

(*a*) *Proverb. XXXI. v.* 18.
(*b*) *Matth. XXV. v.* 8.
(*c*) *Proverb. XXXI. v.* 19.
(*d*) *Ibidem v.* 20.
(*e*) *Ibidem v.* 22.
(*f*) *Pſalm. XLIV. v.* 10.
(*g*) *Proverb. XXXI. v.* 25.
(*h*) *Ibidem v.* 26.

nis detraheret, ut abſentium famam laceraret, ut adverſus majores obmurmuraret? Non ita ſanè, ſed *ſapientiæ* tantùm verbis *aperuit*, & *lex* Evangelica, quæ *clementiæ* lex eſt, non verò ſeveritatis, fuit *in lingua ejus*.

Conſideravit ſemitas domus ſuæ, cunctas mentis cogitationes exactâ diligentiâ quotidie inveſtigans, & cavens ſibi, ne in aliquid, quod Deo diſpliceret, impingeret; & *panem otioſa non comedit* (*a*), quia quod de ſacri eloquii medulla animo hauſit, ante æterni Judicis oculos operum præſtantiâ exhibuit.

Sed quid his omnibus conſecuta es, o Virgo fortiſſima? Certè talia, quæ exprimi nequeunt. *Non timuiſti domui tuæ a frigoribus nivis: omnes enim domeſtici tui veſtiti erant duplicibus* (*b*). Geminâ Dei, & proximi caritate amicta, animæ tuæ non timuiſti a peccati frigiditate, quod animam aſperrimo gelu conficit, eam a ſupremo Divinæ gratiæ calore tam longè conſtituens.

Riſiſti in die noviſſimo (*c*), in hora ſcilicet illa mortis, quam mundani omnes adeò timent, cujuſque tam magno concutiuntur terrore; tu enim lætitiæ æternæ ac gaudii exordium inde ſumpſiſti.

Surrexit vir tuus Chriſtus, *& laudavit te* (*d*), in electorum ſuorum te numerum aſſumens. Sed, ut opera tua cunctis innoteſcant, *laudabit* etiam te, *nobilis* hic *vir* tuus *in portis*, antequam in Cœlum juſti omnes extremo Judicii die commigrent, in aëris regione conſiſtens, veluti *in portis*, *quando ſederit cum Senatoribus terræ* (*e*), cùm ad judicandum vivos omnes & mortuos acceſſerit, tot Angelorum millibus circumdatus, tot Sanctorum catervis ſtipatus, aſſiſtentibus illi magnis *terræ Senatoribus* Apoſtolis, quibus èt dictum eſt: *In regeneratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis èt vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraël* (*f*).

Filii quoque *tui ſurrexerunt*, Fideles nempe omnes, quos tu exemplis tuis ac ſanctimonia Chriſto peperiſti, *& beatiſſimam prædicaverunt* (*g*). Surrexit Zeno Imperator in Græcia, & in tui honorem nominis Templa plurima extruxit (*h*). Surrexerunt duo illa Eccleſiæ Græcæ lumina Baſilius, & Gregorius Nazianzenus, Sanctiſſimi

(*a*) *Proverb. XXXI. v.* 27.
(*b*) *Ibidem v.* 21.
(*c*) *Ibidem v.* 25.
(*d*) *Ibidem v.* 28.
(*e*) *Ibidem v.* 23.
(*f*) *Matth. XIX. v.* 28.
(*g*) *Proverb. XXXI. v.* 28.
(*h*) Gregorius Libro III. Cap. VIII. a Tillemontio etiam relatus in Commentariis de Sancta Thecla, ait, Virginem hanc apparuiſſe Zenoni dejecto ab Imperio per Baſiliſci tyrannidem, atque illum hortatam fuiſſe, ut Imperium recuperare conaretur, data ſponſione exitûs feliciſſimi; reſtitutum verò primævæ dignitati curaſſe, ut novum Sanctæ Theclæ in Seleuciæ Urbe Templum conderetur, amplitudine, magnificentia, opulentiaque ornatiſſimum.

ſimi ambo Pontifices & Doctores, ac in vitæ tuæ reverentiam, quotannis in Seleuciam, ut ſacras tuas Reliquias venerarentur, ſunt peregrinati (*a*). Surrexit Cyprianus Sanctiſſimus, & in tuì, tuarumque virtutum admirationem raptus optabat, ſimilem tuæ fortitudinem in martyrii paſſione a Domino ſibi concedi (*b*).

Surgunt èt hodie hi Mediolanenſes omnes filii tui, & cum ipſis ego, ac eorum ad te nomine converſus, admirans, tibique gratulans comperio, quia *multæ filiæ congregaverunt ſibi divitias: tu ſupergreſſa es univerſas* (*c*). Aliæ mundanas opes congerere ſtuduerunt; aliæ deliciis affluentem vitam elegerunt; aliæ ut Mundi honores & famam ſibi conquirerent, operam dederunt; ſed *tu ſupergreſſa es univerſas:* Tu veras & ſolidas divitias; tu indeficientem voluptatum torrentem, & cœleſtes honores; tu æternam tibi gloriam comparaſti. Quòd ſi ad illas etiam, quæ tecum regnant in Cœlis, oculos converto; aliæ quidem veras etiam ſibi *divitias congregaverunt* in conjugali ſtatu, aliæ in viduitate, aliæ demum in virginitatis propoſito: Sed tu *ſupergreſſa es univerſas*, quæ & Virgo ſimul, & Martyr extitiſti. Quòd ſi aliæ etiam id ſunt adeptæ; illæ tamen non plura ſupplicia, nec tamdiu perpeſſæ, evolarunt in Cœlum: Tu verò multiplex martyrii genus per omne vitæ ſpatium experta, triumphalem es palmam conſecuta. Denique etſi aliæ cruciatus totidem, ac tu, paſſæ fuiſſent, certè tamen vèl hoc uno *ſupergreſſa es univerſas*, quòd nullius mulieris tibi ſimilis ob oculos habens exemplum, omnium prima pro Chriſto acerbiſſimum pertuleris Martyrium, ac ceteris Dùx fueris & anteſignana. Jam vitam tuam audivimus, jam virtutes tuas conſideravimus; ſatis ſuperque filiæ hæ meæ, & hi filii edocti eſſe debuiſſent. Sed quid tamdem ad illos rediens, a quibus ad te miſſus acceſſi, vis tuo nomine perferam?

Audite ergo Theclam meo vos ore alloquentem; & quæ dicam, cordibus inſculpite: *Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: mu-*

(*a*) Quàm inſigne fuerit nomen ac ſepulchrum Sanctæ Theclæ, docet Baronius in Annalibus ad annum XLVII., inquiens, ejus tumulum, qui erat Seleuciæ, multis miraculis illuſtratum, totius Orientis celebri populorum concurſu viſitari ſolitum fuiſſe, & Gregorium Nazianzenum illuc peregrinatum diutiùs manſiſſe, teſte Gregorio Presbytero in ejuſdem Vita.

(*b*) Oratio ad Deum, quam recitavit Sanctus Cyprianus die paſſionis ſuæ, quæque inter Opera ejuſdem legitur, hæc habet. „ Libera me de medio ſeculi hujus, ſicut liberaſti Theclam de medio Amphitheatro; libera me ab omni infirmitate mortis meæ. „ In Notis verò ad eamdem Orationem Jacobus Pamelius ita ſubjungit: „ Priori Oratione, „ (quæ inſcribitur *pro Martyribus*) ignium „ Theclæ, hìc Amphitheatri meminit; Sancta „ enim Thecla Apoſtoli Pauli diſcipula, primùm ignes, deinde leones in Amphitheatro, „ ſolo Crucis ſigno evaſit illæſa.

(*c*) *Proverb. XXXI. v. 29.*

lier timens Dominum ipſa laudabitur (*a*). Hoc eſt omni cura ac ſtudio quærendum, huc omnes vires intendendæ; *hoc eſt enim omnis homo* (*b*). Non præcipuum, dico, hominis negotium, ſed *omnis homo*, quia hoc ſolum requiritur, hoc *unum eſt neceſſarium, quod non auferetur a vobis* (*c*), nempe ut *ſoliciti ambuletis cum Deo veſtro* (*d*), ut juxta ejus præcepta vivatis; ut cùm vos æterno Judici ſiſti contigerit, in vitæ hujus exitu, in quo ſolæ ante Deum animæ procedunt, humana omnia atque mundana retro relinquentes, audire poſſitis Dominum dicentem: *Date ei de fructu manuum ſuarum* (*e*); date ei in perpetua hac hyeme, cùm jam ultra merendi tempus non eſt, cibos, quos ſibi in vitæ ſuæ æſtate congregavit, & *laudent eam in portis opera ejus; opera* quippe ſola, ùt Joannes perhibet (*f*), *ſequuntur illos*, qui morti concedunt, & ſola quoque afferunt laudem; cetera enim non veſtra ſunt, ſed aliena, ùt ſanguinis nobilitas, generis antiquitas, opulentia domûs, parentum virtutes ac ſplendor: Hæc opera, quæ nemo tollet a vobis, & quæ vos ſequentur *in portis* æternæ vitæ aut mortis, animas vel *laudabunt*, vel perpetuis probris & contumeliis afficient. Studeamus igitur omnes, quamdiu vivimus, *panem otioſè non comedere*; ſed ſedulò *manus noſtras mittamus ad fortia; accingamus fortitudine lumbos noſtros, & roboremus brachium noſtrum; operemur bonum dum tempus habemus* (*g*), ut operum mercedem in Cœlis cum Thecla Sanctiſſima percipere mereamur. Amen.

TOMI SECUNDI FINIS.



IN-

(*a*) *Proverb. XXXI. v.* 30.
(*b*) *Eccleſiaſtes XII. v.* 13.
(*c*) *Lucæ X. v.* 42.
(*d*) *Michææ VI. v.* 8.
(*e*) *Proverb. XXXI. v.* 31.
(*f*) *Apocal. XIV. v.* 13.
(*g*) *Ad Galat. VI. v.* 10.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Secundo Volumine continentur.

A

Abraham filium ſuum immolans fuit obedientiæ Magiſter, paginâ 286. & ſeq.

Abusus Divinorum beneficiorum eſt cauſa cæcitatis ſpiritualis. 85.

Accidia ſomnolentos homines reddit. 91.

Achab Rex Micheæ Prophetæ dictis fidem abnegans, cæcitatem peccatorum deſignavit. 84.

Adam & Eva docuerunt poſteros, excuſare commiſſa peccata. 43.

Adolescentula tempore Sancti Caroli quibus viis ad Religionem perducta fuerit. 113.

Ægyptiacæ plagæ peccatorum calamitates ſignificarunt. 81.

Affectus inordinati animam excæcant. 84.

S. Alexii meritis Roma a gravi ærumna præſervatur. 72.

S. Alexii orationes Romanæ Urbi perutiles. 197. (a)

Aman ſuperbus ab Aſſuero punitur. 174.

Ambitionis comprimendæ remedium a Chriſto propoſitum. 7.

S. Ambrosius Corpora Sanctorum Martyrum Protaſii & Gervaſii invenit. 220.
De eo Sanctus Simplicianus benemeritus. 257.
Qua ratione Sancti Simpliciani filius poſſit nuncupari. 230. (a)

Amicus Chriſti quinam verè ſit appellandus. 298.

Amor Creaturarum a Dei cognitione hominem retrahit. 72.

Anima carni indulgens in peccatum prolabitur. 93.
Samſonis a Dalila decepti ærumnas in ſe ipſa experitur. Ibid.
A Dæmone excæcata, ejus mancipium fit, ab eodem illuditur, & ad Infernum pertrahitur. 94.
Omnia deſerere tenetur, ne incidat in peccatum. 100.
Peccatis obnoxia perniciem patitur acriter deflendam. 101.

Anima hominis, Navi aſſimilatur. 364.
Quomodo peccati naufragium effugere poſſit. Ibid. & ſeq.

Animæ pedes, quales ſint. 84.

Animal irrationale quomodo ab homine differat. 53.

Apostoli Chriſto interroganti, quomodo paſcenda eſſet turba, quæ triduo illum ſequuta fuerat, imperitè reſpondent. 285.
Humanam tunc prudentiam ſolummodo præ oculis habebant. Ibid.

Apostoli in Navi naufragium timent. 357.
Quomodo ab eo periculo erepti fuerint. 364.

Apostoli quare nonniſi poſt Chriſti ad Cœlos aſcenſum acceperint Spiritum Sanctum. 60.

Aquæ benedictæ virtus exponitur. 362.

Arcæ Fœderis tranſlatio triumphum Beatæ Mariæ Virginis ad Cœlos aſſumptæ deſignavit. 209. & ſeq.

Arca Noë, fuit Beatiſſimæ Virginis typus. 206.

Assueri Convivium, fuit Euchariſtici Sacramenti figura. 38. & 292.
Superatur a Chriſto panes multiplicante. 293.

Assuerus Rex magnum convivium adornat. 135.

Assum-

Assumptio ad Cœlos Beatæ Mariæ Virginis præcipua eſt inter ceteras ejuſdem Feſtivitates. 206. & ſeq.
Ceteras Solemnitates dignitate præcedit. 207.
Creaturis omnibus lætitiam affert. 208.
Cœleſtis Curia ob elevatam ad gloriæ Regnum Deiparam exultat. Ibid.
Hoc Feſtum ab Apoſtolis primò celebratum. Ibid.
Triplicem complectitur Solemnitatem. 209.
In Arcæ Fœderis translatione ſatis apertè fuit prænunciatum. Ibid. & ſeq.
Anima Virginis, Corpori juncta ad Cœlos perducitur. 212.
Virgulæ fumi comparatur. 213.
Ante conſpectum Sanctiſſimæ Trinitatis adducitur. 214.
Corona capiti ejus impoſita, duodecim ipſius prærogativas deſignat. 217.
Quonam modo illam ad Cœlos aſſumptam homines ſequi poſſint. 218.
Avari homines, Dæmonis martyres jure appellandi. 147.
Viventes, & mortui ſemper in ærumnis conſtituuntur. 148.
Avaritia eſt ſolicitè fugienda. 140.
Homines beſtiis aſſimilat. 144.
Stultorum nomine ſequaces ſuos donat. 145. & ſeq.
Animas hominum obnubilat. 87.
Judæ exemplo punienda. 88.
Ab iſta mala omnia profluunt. 139.
Avaritiæ radix, quomodo extirpanda. 7.
Avarus plus divitias amat, quàm ſe ipſum. 146.
Semper in tenebris manet. Ibid.
Aſſiduè dormit. Ibid.
Quanto cum dolore theſauros ſuos amittet. 147. & ſeq.
Pro terrenis bonis animam vendit. 46.
Aves duæ offerebantur in Veteri Lege pro mundatione Leproſorum. 157.
S. Augustini eloquentia inſignis. 302.
Quid ſentiendum ſit de illo adagio: *A Logica Auguſtini libera nos Domine*. Ibid. (c)
Inanis eſt traditio, iſtud a Sancto Ambroſio prodiiſſe. 231. (a) & 302. (c)
Originem traxit a Sermone quodam, Sancto Ambroſio perperam attributo. Ibid.
S. Augustini Epiſtola ad Sanctum Simplicianum ſcripta. 231.
Aulicorum conditio, præ ceteris infelix. 68.
Aurora, Chriſti figura. 102.

B

Basilica-Petri Carolus Cognomina Familiarum Nobilium, SS. Epiſcopis Mediolanenſ. aſſignata explodit, & damnat. 224. (c)
S. Benedicti Abbatis Officium quo anni die in Ambroſiana Eccleſia recitetur. 56.
Hujus Sancti geſta ſpeculum religioſè vivendi. Ibid.
Beneficentiæ virtus a Chriſto hominibus exemplo ſuo propoſita. 64.
Inſita etiam a natura. 65.
Beneficiis Dei quomodo reſpondendum. 74.
Bona omnia Chriſtus Paſſione ſua in Mundum intulit. 159.

C

Cæci in Evangelio deſcripti præferebant humani generis imaginem. 65.
Quare dicantur a Sancto Matthæo ſedentes. 66. & 95.
Oculis orbati Dei potentiam perſpexerunt. 70.
Quam opportunè Chriſtum rogaverint, ut lumen reciperent. 71.
Turbarum increpationes nihili duxerunt. 62. & 71.
Utrum unus fuerit, an duo. 62. & ſeq.
Divinitatis Chriſti teſtimonium perhibent. 65.
Poſt confeſſionem Divinitatis in Chriſto, ab eodem ſanantur. 73.
Illum ſecuti ſunt. 74. & 77.
Prudentiæ ac Sapientiæ Magiſtri. 75.
Nec non perfectæ obedientiæ. 287.
Cæci quinam verè ſint appellandi. 95.
Nonnulli Cæci ad alios etiam cæcitatem ſuam tranſmittunt. 103.
Cæcitas mentis, tripliciter a Sancto Carolo declaratur. 82.
Hujus cæcitatis cauſa duplex. 84.

Spiri-

Spiritualis cæcitas magnam continet fœditatem. 92.
Hanc conſequitur ignorantia rerum, ad ſalutem pertinentium. 94.
Ejus damna in Inferno patefient. 97.
CAIN fratris ſui occiſor, deſperationis pœnâ punitus. 242.
CAMPANI æris benedictio quid denotet. 362.
CANANÆA Mulier a Chriſto ſanata. 360.
CANANÆA Mulier alteri Mulieri Samaritanæ comparata. 111.
CANDELA in Matutinis Officiis Majoris Hebdomadæ non extincta quid denotet. 347.
Nonnulli crediderunt, deſignare Fidem, quæ in ſola Virgine Matre remanſit, moriente Chriſto. Ibid. (a)
Quid tutius ſentiendum circa hanc opinionem. Ibid.
CANES venatici peccatorem deſignant. 81.
CARITAS calci aſſimilata. 190.
Ordinem requirit. 311.
CARITATIS erga pauperes æqua conſiliatrix eſt, liberalitatis virtus. 142.
CAROLUS Emmanuel Sabaudiæ Dux a Sancto Carolo laudatus. 350. & ſeq.
Vercellis infirmus a Sancto Antiſtite viſitatur. 311.
Ab illius manibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum recipit. 332.
Sancti Præſulis pia adhortatione, ad fidem & caritatem excitatur. Ibid. & ſeq.
Quid gravi morbo afflictus huic Sancto Antiſtiti in religioſi animi ſui teſtimonium dixerit. 351.
Ab Emmanuele Philiberto patre, Sancto Carolo exhibetur, ut ab hoc in filium recipiatur. Ibid. (a)
Lampadem XI. luminibus præcinctam Mediolanum miſit, ut ad Sepulchrum Sancti Caroli in perpetuum arderet. Ibid.
S. CAROLUS frequenter adibat Collegium Sancti Sepulchri. 6. (a)
Carolum Emmanuelem Sabaudiæ Ducem Vercellis infirmum viſitat. 311. (a)
In ea Cathedrali Eccleſia XL. Horarum Orationem inſtitui curat. Ibid.
Ipſe e ſuggeſtu Vercellenſes ad pœnitentiam inducere ſatagit. 317.
Atque ad preces pro ſalute ejuſdem Principis Deo fundendas. 325. & 329.
Eidem Duci Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum porrigit. 332.
Hunc ipſum ſuavibus ac piis monitis ad fidem, & devotionem accendit. Ibid. & ſeq.
Importunus appellari cupit, dummodo peccatores corripiat. 130.
CATANEORUM Mediolan. Familia Sancto Simpliciano attributa. 224. (c)
CAUSA rerum non eſt indaganda, in Legis præceptis implendis. 286.
CHOREAS ducere magnum ſcelus. 131.
CHRISTIANI meliores ſint oportet Judæis & Phariſæis. 237. & 257.
CHRISTIANI ſupra Hebræos quàm majora beneficia a Deo receperint. 18.
Chriſtum perfectionis Magiſtrum ſequi tenentur. 37.
Illorum virtutes non tantùm exteriùs apparere, verùm etiam interiùs animo inhærere debent. 259.
CHRISTIANI priorum temporum ſingulis actionibus ſignum Crucis præponebant. 288. (c)
CHRISTUS Doctor, & Legiſlator in Mundum venit. 236.
Injurias dimittere docuit. 252. & ſeq.
CHRISTUS, etiam per vias incedens, beneficia largiebatur. 64.
Illius tranſitus multifariè intelligi poteſt. 69. & ſeq.
Filius David a duobus Cæcis optimo conſilio appellatur. 70. & ſeq.
Iſtos clamantes benignè audit. 72.
Ipſe eſt qui Epiſcopos mittit ad viſitandas Diœceſes. 48.
Magiſter optimus fuit humani generis. 37. & ſeq. & 53.
Soli comparatur. 61.
Præcipuè poſtquam ad Cœlos aſcendit. Ibid.
Quàm pauci ipſum ſequantur. 63.
Sacramenta Sanctiſſima quo fine ab eo inſtituta. 38.
Debilibus præſtat auxilium. 40.
Imo dulcedine corda perfundit. Ibid.
Adjuvat, & prævenit incipientes, ut proficiant. 39.
Proficientes conſolationibus replet. 40.
Perfectos ſuaviter paſcit. 41. & 48.
Pluribus modis homines ad ſe vocat. 42.
Ejus jugum ſuave. 45.

Iratus flagellis percutit iniquos. 46.
Sed ipſa punitio perſæpe eſt divinæ ejuſdem dilectionis indicium. 47.
Medico aſſimilatur. Ibid. 101. & 103.
Humilitatis exemplum in ſe ipſo præbuit. 301.
Quàm miſericors ſit erga hominum inopiam. 305.
Ipſe eſt via ſalutis noſtræ. 307. & ſeq.
Prudentiam humanam confundit. 309.
In muneribus conferendis liberaliſſimus. Ibid.
Divinâ atque humanâ miſericordiâ præditus eſt. 280.
Pericula oſtendit, ut ad pœnitentiam & orationem inducat ſceleſtos. 321.
Ipſe eſt principium bonorum omnium. 294.
CHRISTUS in Joſeph Patriarcha præfiguratus. 78.
Ad quærendos homines a Patre miſſus. Ibid.
Ejus bonitas infinita. 79.
Exemplo ſuo Paſtores Animarum excitat ad laborem. Ibid.
CHRISTUS proponit Fidelibus rectè vivendi normam. 2.
Ejus præcepta Satan imitari ſtudet, ut homines decipiat. Ibid.
Paſſionis ejus ſedula meditatio eſt ocii remedium. 5.
Phariſæorum Principis domum adit. 7.
Methodum ſuaviſſimam in doctrinæ ſuæ præceptis tradendis tenuit. 8.
Quare ſuper Jeruſalem fleverit. 15.
Hominis convivas ad Cœnam invitantis perſonam induit. 8. & ſeq.
Qua de cauſa frequentiùs Filius hominis, quàm Dei Filius nuncupetur. 9.
Ad converſionem Judæorum præcipuè miſſus. 10. & ſeq.
Iſtorum calamitatem deflevit. 15. 120. 122. & ſeq.
Ejus verba ad Divinum amorem homines excitabant. 20.
Parabolâ hominis ad Cœnam invitantis, ſuam liberalitatem oſtendit. 21. & ſeq.
A Joſepho Ægypti Principe præfiguratus fuit. 23. & ſeq.
Quoſnam ad æternæ gloriæ cœnam aſſumet. 24.
Quibus donis Beatos cumulabit. 29.
Ipſe eſt pax vera. 126.
Non ex bonis tantùm, verùm etiam ex malis occaſionem ſumpſit, mirabilia peragendi. 139.
Invitat peccatores ad emendationem morum. 98.
Cupit, ut eidem miſerias noſtras explicemus. 100.
Qua de cauſa ſæpe differat exaudire petentes. Ibid.
Quid ab eo poſtulandum. 101.
In Aurora deſignatur. 102.
Quàm variis modis ſaluti hominum conſulat. 103.
Quænam appellanda ſit ejus domus. 104.
Ipſe invitat, ut illam adeamus. Ibid.
Tria Religionis vota in ſe ipſo perfectiſſimè implevit. 114.
CHRISTUS Turbas eum ſequentes mirabiliter paſcit in Deſerto. 292. & ſeqq.
In Mari cum Diſcipulis ſuis dormit. 357.
A ſomno excitatus procellam ſedat. Ibid. & ſeq.
Quandoque incommoda & perturbationes evenire permittit, ut fidem hominum probet. 359. & ſeq.
Summus Sacerdos a Patre conſtitutus fuit. 236.
CHRISTUS Sol juſtitiæ Mundum illuminat. 151.
Ab Hebræis in eum credere pertinaciter recuſantibus, minimè cognitus. Ibid.
Hunc vidєre Gentiles cupiebant. 152.
Iſtius viſio quid deſignet. Ibid.
In frumenti grano expreſſus. 153.
Parvus ſecundùm Humanitatem. Ibid.
Morte ſua ab hominibus omnia mala expulit. 155.
Dæmones profligavit. Ibid. & ſeq.
A peccato homines liberavit. 157. & ſeq.
Mortis regnum ſua morte deſtruxit. 158.
A David Goliam interimente præfiguratus. Ibid.
Humanæ carnis rebellionem compeſcuit. 159.
Bona omnia Paſſione ſua Mundo contulit. Ibid.
Media præbuit ad ſalutis conſecutionem opportuna. 160.
Exemplo ſuo omnes docuit Crucem deferre. 161.

In-

Invitat Fideles ad ærumnas in hac vita patienter ferendas. Ibid.
Suis ſequacibus præmia promittit. 162.
Facientibus eleemoſynam, amplam mercedem pollicetur. 166.
Ejus Paſſio bonorum omnium origo. 171.
Ejus Mors homines libertate donavit. Ibid.
Ab humili pœnitente ad miſericordiam inducitur. 185.
CIBUS non ſumendus, niſi prævia oratione ac benedictione. 288.
Frugalitas in cibis a Sancto Carolo commendata. 289.
CIRCUMCISIO legalis reſurrectionem corporum præfigurabat. 23.
CIVITAS in Apocalypſi deſcripta Eccleſiam deſignat. 337.
Quinimo Sanctiſſimam Dei Matrem adumbrat. 338.
CLERUS Metropolitanus Mediolanenſis per intervalla temporum in duplici Eccleſia Divina Officia peragebat. 369. (a)
CŒLORUM pulchritudo, & excellentia. 29.
CŒLUM ſub theſauri ſimilitudine in Evangelio promiſſum. 108.
CŒNA Evangelica, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum deſignat. 38. & 50.
Quàm lautè a Chriſto parata. 43.
Dulcedinis benedictiones continet. 39.
Hujus ſuavitatem Mundi aſſeclæ non deguſtant. 42.
Quænam impedimenta invitatos ab hac Cœna retraxerint. 58.
CŒNA in Evangelio Lucæ deſcripta quid myſticè deſignet. 7. & ſeqq.
Præſentem, & futuram vitam denotat. 9.
Quinam ad illam inviteutur. 18.
Æternæ gloriæ typus. 22. & ſeq.
Quare Magna appelletur. 25. & 39.
In illa diſcumbentium maxima multitudo. 26. & ſeq.
Quinam erunt in ea Miniſtri. 27. & ſeq.
Ferculorum exhibendorum copia. 28.
Apponentur fructus Divinarum largitionum. 29.
Invitati perfectè ſaturabuntur. Ibid.
Quibus modis homines ad illam vocentur. 31. & ſeq.
Quænam perſonarum genera ad illam invitentur. 39. & ſeq.
Multi audire Chriſtum invitantem renuunt. 32.
Iiſque pauperes & debiles ſubſtituuntur. 33.
Nolentes accedere æternâ pœnâ puniuntur. 34.
COGITATIO bonorum cœleſtium ab amore terrenorum homines avertit. 60.
COLUMBA ſimplicitatis typus. 222.
COMŒDIÆ a Sancto Carolo acriter damnatæ. 89. & 104.
COMŒDIARUM ſpectacula turpia, Animarum ſaluti periculoſa. 131.
CONFESSARIORUM nimia indulgentia damnatur. 239.
CONFIDENTIA hominum in ſe ipſis reprobatur. 173.
In Deo ponenda. 174.
CONFIDENTIA in Deo, hominibus utilis. 356.
CONSCIENTIA bona, convivium appellatur. 41.
CONSILIA etiam inferiorum audienda. 281.
CONVIVIUM duplex, Chriſti unum, Dæmonis alterum. 47.
Turbis eum ſequentibus a Chriſto in ſolitudine paratum. 292. & ſeq.
Tria perſonarum genera huic interfuere. 296.
COR hominis Caſtello comparatum. 190.
Dæmon illud cuſtodire nititur. Ibid.
Chriſtus in eo novum Caſtellum ædificat. Ibid.
Illud intrat, ut ſervet & protegat. 191.
CORONA Stellarum duodecim Mariæ Capiti impoſita, quid deſignet. 217.
CORPORIS ſenſus a Divino obſequio retracti, facilè in peccata prolabuntur. 138. & ſeq.
CREATURÆ a Deo factæ ſunt, ut ipſe per eas ab hominibus noſceretur. 70.
Sed in iis aliquam reliquit imperfectionem. Ibid.
In iiſdem ſpes ab hominibus neutiquam collocanda. Ibid.
Sæpe impediunt converſionem ad Chriſtum. 72.
Et ab eodem retrahunt. Ibid.
CRUCIS ſignum omnibus operibus præmittendum. 288.
Id priſcis Chriſtianis in more fuit. Ibid.
(c)

Crux a quocumque homine portanda ad Chriſti imitationem. 161.
Curiales, cenſendi ſunt infeliciſſimi. 68.
S. Cyprianus Sanctæ Theclæ fortitudinem laudavit. 387. (*b*)

D

Dæmon peccatoribus ſpiritualia bona celare nititur. 80.
Aſſimilatur Regi Ammonitarum Naas. Ibid. & ſeq.
Superbiæ princeps eſt ac magiſter. 87.
Mentibus peccatorum tenebras offundit. 93.
Jugum collo imponit. Ibid.
Eoſque pertrahit, quòcumque vult. 94.
Ad ſcelera homines provocat. 99.
Perſeverantiæ virtutem deſtruere nititur. 284.
Ejus domus quænam ſit in hoc Mundo. 104. Vide *Satan*.
Dæmon pulcherrimus a Deo creatus. 170.
Ejus verſutia, qua ex rebus bonis mala inferre conatur. 171.
Occultæ illius inſidiæ. Ibid.
Superbos homines bonis omnibus ſpoliat. 181. & ſeq.
Dalila amoris ſimulatione Samſonem prodidit. 375.
David de ſe ipſo confidens in peccata prolapſus eſt. 173.
Injuriam ſibi illatam patienter tulit. 252.
David Goliam vincens, Chriſti triumphum deſignavit. 158.
David poſt peccatum pœnitens, nihilominus punitur. 128.
Decimæ Eccleſiaſticæ non perſolutæ gravem inducunt calamitatem. 270.
Decius Imperator Sanctum Laurentium morte damnaſſe creditur; an autem hoc veritati congruat, nec ne, innuitur. 163. (*c*)
Detractores vitam religioſorum hominum injuſtè damnant. 196.
Deus in miſerendo, & in puniendo mirabilis. 128.
Deſideria hominum implet. 97.
Bona omnia hominibus ſuppeditat. 83.
Ejus miſericordia quàm magna. 66.
Cor hominis integrum poſtulat. 57.
In hac vita quæritur, in futura poſſidetur. 326.
Illius præſentiæ recordatio ubique haberi poteſt. 37.
Qua mentis elevatione rogandus. Ibid.
Quonam ſenſu miſericordia in eo ſuperet juſtitiam. 279.
Ejus providentia celebratur. 40.
Dies hominis quinam ſit intelligendus. 132. & 134.
Dies unus eſt, hominis vita. 133.
Diffidentia radix eſt plurium malorum. 356.
Numquam de divino auxilio diffidendum. 361.
Dignitates Eccleſiaſticæ non quærendæ, ſed ſuſcipiendæ. 229.
Dilectio proximi a Chriſto ſequacibus ſuis commendata. 131.
Dives Evangelicus ob avaritiam damnatus. 87.
Ejus Parabola a Sancto Luca expoſita, fusè explicatur. 135. & ſeq. 140. & ſeqq.
Horrea deſtruere meditatur. 142.
Et majora ædificare. 143.
Bona reputat animæ, quæ ſunt corporis. Ibid.
Stulti nomine appellatus. 145.
Dives quis verè ſit nuncupandus. 148.
Divitiæ avidè quæruntur, anxiè cuſtodiuntur. 141.
Plura vitia divitias comitantur. 144.
Imo iſtæ ad plura peccata inducunt. 254. & ſeq.
Divitiæ veræ quænam ſint. 149.
Earum uſus quinam eſſe debeat. 309.
Iſtarum fames numquam ſatiatur. 310.
Divitiæ hujus Mundi a Chriſti ſocietate divertunt. 63.

E

Eccleſia Catholica, Cœnæ Evangelicæ aſſimilata. 9.
Repudiatâ Synagogâ, inter Gentes inſtituta. 14.
Naviculæ comparata. 363.
Ob negligentiam Epiſcoporum procellis exponitur. Ibid.
Eccleſia Sanctæ Theclæ Mediol. quo tempore deſtructa. 369. (*a*)

Electi

ELECTI ad beatam gloriam, in invitatis ad Evangelicam Cœnam deſignantur. 24.
Quàm multos ibi ſocios invenient. 26. & ſeq.
ELEEMOSYNA pauperi data a Chriſto recipitur. 264.
A Domino gratias facilè impetrat. 165.
ELEEMOSYNÆ fructus uberrimus. 164.
EPISCOPI Angelis aſſimilantur. 50.
EVANGELII lectio cum ſilentio audienda. 77.
Quapropter ante illius recitationem, Ambroſiano Ritu, ſilentium Populo bis indicitur. Ibid. (*d*)
EVÆ damna Mundo allata, per Mariam Virginem cumulatiſſimè reparantur. 252. & ſeq.
Ab eadem infirmitates omnes tamquam a radice profluxerunt. 370.
EUCHARISTIA, Cœnæ Evangelicæ comparata. 38.
Eſt Sacramentum pacis, & caritatis. 249. & ſeq.
Ejuſdem frequens uſus a pluribus periculis Fideles eripit. 364.
EUCHARISTIÆ Sacramentum in melle deſignatum. 103.
EXCUSATIO delictorum quàm antiqua. 43.
Levibus cauſis innititur. 44.
EXEMPLA prava, quæ proximis exhibentur, mentis ſtupore puniuntur. 86.
EXEMPLA virtutum omnium, in actionibus Sanctorum elucent. 43.
EZECHIAS Rex literas Aſſyriorum in Templo Domini explicavit. 99.
EZECHIAS Rex theſauros ſuos Babyloniorum Regis nunciis oſtendit. 181.
Qua de cauſa bonis omnibus fuerit ſpoliatus. Ibid.

F

F*Abulis parcite:* Ambroſiano Ritu, ante cantum Evangelii populo indicitur. 77. (*d*)
FAMILIARUM Nobilium Cognomina Sanctis Epiſcopis Mediolanenſibus a Galeſinio aſſignata. 224. (*c*)
Illas plus ornat virtutum ſplendor, quàm nobilitas. 225.
FEL, Chriſti Paſſionem indicat. 103.
FELICITAS æternæ gloriæ perfectiſſima. 31.
FESTA violare quàm grave crimen ſit. 130. & 138.
FIDES in petendis a Deo beneficiis neceſſaria. 277.
FIDES vera perſecutionibus vexata firmior evadit. 72.
Illius perſeverantiam Dominus ſæpius probat. Ibid. & ſeq.
FIDUCIA hominis in Domino ponenda. 41.
FINIS hominis quinam ſit. 198.
FORMICÆ ſolicitudo & prudentia, hominibus in exemplum propoſita. 327.
FORTITUDINIS virtus Chriſtianis omnibus neceſſaria. 370.
Mulieres potiſſimùm in illa deficiunt. 371.
A Spiritu Sancto procedit ejus donum. 377. & 382.
Chriſti Sanguine Fidelibus acquiſita fuit. 382.
Fortitudo prava & noxia quænam ſit. 376. & ſeq.
FRUMENTI granum in terra ſatum, typus Chriſti Domini. 153.

G

GENTILES Chriſtum agnoſcere cupiebant. 152.
Eumdem in terris degentem videre poſtulant. Ibid.
GENTILES quomodo ad Chriſti fidem vocati. 13.
GLORIA cœleſtis merces erit laborum. 23.
Cœnæ nomine deſignatur. Ibid.
Continet eminenter omnes perfectiones. 25.
Ibi Sanctiſſimæ Trinitatis Perſonæ pleniſſimam felicitatem Beatis impertiuntur. 28.
In eadem Deus ipſe eſt complementum felicitatis. 31.
GLORIÆ cœleſtis amiſſio gravi dolore afficiet damnatos. 239. & ſeq.
GRATIA Dei, in Parabolis Theſauri abſconditi, & Margaritæ inventæ dupliciter deſignata. 111.
GRATIARUM actio pro miſericordia a Domino accepta per nos debetur. 357.
GULÆ intemperantia damnatur. 198. & ſeq.
GULÆ peccatum, corpus aggravat & ſpiritum. 90.

H

HÆRESES quàm latè diſſeminatæ fuerint Seculo XVI. 19.
HEBRÆI e Babylonica captivitate dimiſſi, uxores alienigenas duxerunt. 316. & ſeq. Vide *Judæi*.
HERODES Rex ob ſuperbiam a vermibus conſumptus. 183. & ſeq.
S. HIERONYMUS judicio proprio non fidit. 303.
HOLOFERNES cum exercitu ſuo ob jactantiam profligatus. 174.
HOMICIDA, quàm atrocis delicti ſit reus. 240. & ſeq.
Pejor animæ, quàm corporis occiſor. 242.
Amarè crimen ſuum defleat, ut veniam promereatur. 243.
Hominem percutiens, Deo infert injuriam. 249.
HOMINES Chriſtianæ fortitudinis perſæpe obliviſcuntur. 372.
Vitiis turpiſſimis ſe reddunt obnoxios. 373.
Propter mulierum amorem imbecilles redduntur, atque captivi. Ibid.
Quomodo fortes in malo. 376.
HOMINES improbi Feſtos dies nequiter tranſigunt. 138.
Corporis ſenſibus malè utuntur. 139.
Avaritiæ dediti, divitias tamquam numina adorant. Ibid.
Naturæ dona a Deo accepta non animadvertunt. 141.
Inter affluentiam divitiarum magis egent. 142.
Vera eorum nobilitas quænam ſit. 266.
HOMO ad laborem creatus, numquam ociari debet. 3.
Ejus infelicitas poſt Adæ peccatum. 339.
Præcipuè in nativitate, & in vitæ periculis. Ibid.
Ocioſus æternis ſuppliciis puniendus. 4.
Negotiis temporalibus implicitus, adhuc tamen appellandus ocioſus. Ibid.
Totus eſt terra. 137.
Erga proximos durus corde, neque Chriſtianus, neque rationis compos eſt appellandus. 65.
Qua potiſſimùm de cauſa a ceteris animalibus differat. 53.
HOREB Mons quid ſignificet. 50.
HUMILITAS ad Cœlum ducit. 219.
HUMILITAS pœnitentium, Chriſti cor vulnerat. 185.
Et ad miſericordiam flectit. 186. & ſeq.
HUMILITAS virtutum cuſtos. 115.
Tutam aperit viam ad ſalutem. 301.
Aliorum conſilia quærit, illiſque paret. Ibid.
HYDROPICUS a Chriſto ſanatus. 7.

I

JACOB Patriarcha, Patris æterni figura. 78.
JACTANTIA vana, ſuperbiæ filia. 180.
Plura ſequacibus ſuis infert damna. 181.
JAHEL Siſaram clavo occidit. 378.
IDUMÆA Regio, Nabuchodonoſor armis everſa. 329.
In tribulatione divinum poſcit auxilium. 330.
JEHU Rex ſobolem Achab extinxit. 155.
JEJUNIA neglecta fiunt ſæpe cauſa damnationis. 269.
JEJUNIA Phariſæorum Deo inviſa. 263.
A peccatis præcipuè jejunandum. Ibid.
JEREMIAS nativitatis ſuæ ærumnas deploravit. 339.
JERICHO Civitas inſtabilitatem Mundi deſignat. 66.
JEROSOLYMÆ ruinam quot ſigna præceſſerint. 16.
Super illius Urbis excidium Chriſtus flevit. 15. 120. & ſeq.
Solo æquata. 17. & 129.
Æliæ nomen poſtea recepit. Ibid.
Quænam fuerit tam ſeveræ punitionis cauſa. 18.
JESUS Rex liberaliſſimus. 188.
Hoſpites ſuos beneficiis cumulavit. Ibid.
Erga Virginem Matrem gratiſſimus. 189.
Gratiis ſuis corda hominum munit. 190.
Pauper conſtitutus, ut animas ſalvet. 191.
Quæ pauperibus conferuntur, ipſemet ſe recepiſſe profitebitur. Ibid.
Humilitatem docuit. 187.
Fontis aquarum, & lavacri proprietates in ſe continet. 194.
Magdalenæ cauſam defendit. 197.

Ad

Ad unitatem diſcipulos ſuos hortatur. 199.

Inducitur alloquens Matrem morti proximam. 211. Vide *Chriſtus*.

IGNORANTIA plurium malorum radix. 21.

Ignorantiæ voluntariæ calamitas in Judæis deplorata. 121.

Malitiæ & ingratitudinis origo. 122.

IGNORANTIA rerum ad æternam ſalutem ſpectantium eſt pœna peccati. 93.

IGNORANTIÆ tenebras Dæmon fovere ſatagit. 94.

Quapropter errores omnes inducit. Ibid.

INCIPIENTES, ut in via perfectionis progrediantur, quibus auxiliis a Chriſto adjuventur. 39.

INFERNI calamitas maxima, in Dei privatione conſiſtit. 247. & ſeq.

INGRATITUDO ab ignorantia procedit. 21.

INIMICI hominum quinam ſint; & quæ mala illis afferant. 155.

INIMICOS diligere Chriſtiani tenentur. 262.

INJURIA proximo illata integrè compenſanda. 240. & 249.

Illam patienter ſuſtinere magnam confert utilitatem. 252.

INTEMPERANTIA ciborum a Sancto Carolo damnata. 289.

INTEMPERANTIA ciborum homines brutis aſſimilat. 256.

INTENTIO recta, eſt veræ prudentiæ regula. 53.

Quàm attentè a fidelibus examinanda. 54.

Inter bonam & rectam, quænam differentia intercedat. Ibid.

INVIDIA mentem hominis obnubilat. 89. & ſeq.

Filios Jacob vehementer exagitavit. 90.

S. JOANNES Baptiſta ab Herode capite truncatus. 95.

JOB patienter omnes calamitates ſuſtinuit. 251.

JOB ſuæ conceptionis infortunia deteſtabatur. 339.

JOSEPH Patriarcha, Chriſti Domini typus. 78.

IRA oculos obcæcat, ne videant veritatis lumen. 90. & ſeq.

IRA quando mala, & perniciosa. 244. & ſeq.

Bona & laude digna, zeli nomine deſignatur. 245.

Primi ejus motus non ſunt in hominis poteſtate. Ibid.

Multa peccata producit. Ibid.

Ejus initia comprimenda. 246.

Triplices Iræ gradus deſcribuntur. 247.

Quibus remediis temperanda. 250.

ISRAELITICUS Populus univerſum genus humanum deſignavit. 235. Vide *Hebræi*, *Judæi*.

JUDÆI quibus modis a Deo ad Fidem invitati. 10.

Poſtremò ab ipſo Dei Filio. 11.

Noluerunt audire Chriſti voces. 12.

Imo illum cognoſcere recuſarunt. 152.

Quapropter rejecti, & maledicti. 14.

Nationibus omnibus inviſi. 17.

Eorum clades ſub Tito & Veſpaſiano Imper. 129.

JUDAS proditor ab avaritia excæcatus. 88.

JUDITH Hebrææ Mulieris fortitudo commendata. 377.

JUSTITIA Chriſtifidelium juſtitiam Scribarum & Phariſæorum ſuperare debet. 257.

JUVENTUS bonis moribus excolenda. 225.

Ejus effrenis libido, parentum vitio tribuitur. 226.

L

LABOR neceſſarius eſt ad obtinendum præmium. 306.

S. LAURENTII Baſilica Mediol. diruta. 164.

Sanctus Carolus illius reædificationem ſuadet, & curat. Ibid.

S. LAURENTIUS Martyr gemmis comparatur. 150.

Ejus Feſtum prævià vigilià atque jejunio colitur. Ibid.

Ducis ac Magiſtri nomen promeruit. 151.

A Chriſto fortitudinem accepit. 160.

Et ceterarum virtutum exempla. 161.

Mundum vicit. 163.

Theſauros Eccleſiæ pauperibus diſtribuit. Ibid.

Quo-

Quonam ſub Tyranno paſsionem ſuam conſummaverit. Ibid. (c)
Hilariter tormenta ſuſtinuit. 168.
Morte ſua Romanæ Eccleſiæ perenne decus contulit. 169. (a)
LEGIS novæ præſtantia ſupra veterem. 12. 237. & 256.
LEPRA peccati figura. 157.
Quibus cæremoniis Leproſi in Veteri Lege mundarentur. Ibid.
LEX Chriſti confert vires & gratiam, ut illius præcepta impleamus. 257.
Amorem præcipit. Ibid.
Hæc auxilia per Sacramenta Eccleſiæ Fidelibus ſuppeditantur. Ibid.
Cauſa rerum non eſt indaganda in præceptorum executione. 286.
LOMATII vicus, ubi ſitus. 272. (a)
Mediâ ſuî parte Mediolanenſi, alterâ Diœceſi Comenſi ſubeſt. Ibid. (a)
LUCERNA oculis corporis comparatur. 53.
LUXURIÆ ignis non ſplendet, ſed ardet. 88.
Effrontes homines reddit. 46.
Intellectum obtenebrat. 89.

M

MAGNI nomen, cui meritò tribuendum. 39.
MALA innumera ab inimicis humani generis proveniunt. 155.
MALOGRANATA Sacerdotum antiquæ Legis veſtibus appenſa, quid denotent. 306.
MANASSES Rex catenis vinctus Babylonem ducitur. 183.
Ob orationem & pœnitentiam, Regno ſuo reſtituitur. Ibid.
MANNA fuit viſionis beatificæ figura. 25.
Cum divitiis comparata. 309.
MANUS homini datæ ſunt, ut operetur. 3.
MARDOCHÆUS honoribus cumulatus, typus Animarum, quas Dominus gloriâ donabit. 162.
MARGARITÆ inventæ Evangelica Parabola, a Sancto Carolo explicata. 108.
Hæc Margarita puritatem mentis & corporis deſignat. 109.
Quænam intercedat differentia in Parabolis Margaritæ inventæ, & Theſauri abſconditi. 110.
S. MARIA Magdalena Chriſtum ſequebatur. 119.
Societatis Matronarum in Eccleſia Sancti Sepulchri inſtitutæ Patrona delecta. 118.
MARIA Magdalena, verba Jeſu attentè audiebat. 193.
Modum excipiendi Sermones Domini exemplo ſuo docuit. Ibid.
Juxta pedes Chriſti ſedebat. 194.
Cauſæ ſuæ Chriſtum habere meruit advocatum. 197.
In ſuis operibus vitam contemplativam deſignat. 199.
MARIA Virgo Civitati in Apocalypſi deſcriptæ comparatur. 338. 343. & ſeqq.
Mediolanenſium Patrona & Advocata. 338. (c)
Illius Nativitati dicata eſt Metropolitana Mediolan. Eccleſia. Ibid.
Ab originali peccato immunis eſt nata. 341.
Ejus nativitas Mundo præbuit lætitiæ occaſionem. 342.
Omni peccati corruptela expers fuit. 344.
Virginitatis votum prima emiſit. Ibid.
Domus Dei conſtituta. 345. & ſeq.
Propriis virtutibus Chriſtum filium in ſe ipſa expreſſit. 346.
Ab eodem protecta, atque circumdata. Ibid.
MARIÆ fides numquam excidit. 347.
Spes in Deo laudatur. 348.
Caritas erga proximos. Ibid.
Fortitudinis exempla reliquit. Ibid.
Humilitas reddidit illam Deo gratam. Ibid.
Compaſſio ejuſdem in acerbiſſima Filii morte. 348. & ſeq.
MARIÆ aſpectus libidinis fomitem extinguebat. 349.
Miſericordiæ ſuæ copiam fecit in Nuptiis Canæ Galilææ. Ibid.
Dei tabernaculum appellata. 352.
Bona omnia per Chriſtum Mundo attulit. Ibid.
Damna ab Eva illata mirabiliter reparavit. Ibid. & ſeq.
Mater noſtra, & quomodo ſit dicenda. 354.

Fortitudinis magiſtra. 377.
MARIA Virgo ſe Domini ancillam declarat. 201.
Filio ſuo aſſiduè inſervit. Ibid.
De humani generis ſalute ſolicita. 202.
Verba Filii excipiebat, & cuſtodiebat. 203.
Humilitatis magiſtra. 204.
Caritate repleta. Ibid.
Quanta cum fiducia ad eamdem confugere poſſint etiam peccatores. 205.
Ejus mors lætiſſima. 211.
In tranſitu ab hac vita Divinus Filius illam alloquitur. Ibid. & ſeq.
Quanto tempore vixerit in hoc Mundo. 215.
Ultra ſeptuaginta annos vitam produxit. Ibid. (*b*)
Quot, & quàm acerbos dolores ſit perpeſſa. 216.
Quàm amplam gloriæ mercedem in Cœlis receperit. 217. Vide *Aſſumptio*.
MARTHA adversùs Mariam ſororem querelam exponit. 195.
Ejus nimia ſolicitudo reprehenditur. 198.
MARTHA Chriſtum excipit domi ſuæ. 192.
Vitam activam denotat. Ibid.
MATRONARUM pia Societas in Eccleſia Collegiata Sancti Sepulchri a Sancto Carolo inſtituta. 118. (*a*)
Patrocinio Sanctæ Mariæ Magdalenæ commendata. Ibid. & ſeq.
MEDIOLANUM ſub Beatæ Mariæ Virginis tutela præcipuè poſitum. 208. (*c*)
MEL SS. Euchariſtiæ Sacramentum deſignat. 103.
METROPOLITANA Mediolanenſis Eccleſia ſub titulo Nativitatis B. M. V. dedicata. 338.
Ibi ſervatur Caput Sanctæ Martyris Theclæ. 367.
Quo tempore ab altero veteri Templo illuc translatum fuerit. 369. (*b*)
MISERATIO divina a Chriſto declarata in Parabola hominis ad Cœnam multos invitantis. 22.
MISERICORDIA Chriſti hominibus affluenter ſubvenit. 304.
Erga Judæos quàm abundans. 357.
Crimen maximum eſt eà abuti. Ibid.
Exemplum Chriſti miſericordis ſequi tenentur Fideles. 305.
MISERICORDIA Dei, maxima dona hominibus contulit. 278. & ſeq.
Quonam ſenſu intelligendum ſit, miſericordiam ſuperare juſtitiam. 279.
Miſericordia divina viget etiam in Inferno. 280.
Theſaurus miſericordiæ in Chriſto apertus. Ibid.
MISERICORDIA Dei quàm magna. 66.
MONIALES Cœnobii Sancti Pauli Mediol. Angelicæ appellantur. 52. (*a*)
MORS a Chriſto in Cruce mortuo deſtructa. 158.
Eſt potiùs appetenda, quàm ulla Deo offenſa irroganda. 161.
MORS juſti ſuaviſſima. 147.
MUNDI amor ſequaces ſuos a veris bonis avertit. 33.
Ejus honores vani, & falſi. 45.
Quomodo inter illius illecebras a juſtis incedendum. 33.
Hujus ſectatores ſpiritualem ſuavitatem non guſtant. 42.
Pro vitando peccato illius illecebræ deſerendæ. 100.
MUNDUS corpore atque animo a Religioſis præcipuè deſerendus. 57. & ſeq.
MUNDUS ſectatores ſuos tamquam prudentiſſimos prædicat. 80.
Juſtos, & pœnitentes irridet, ac perſequitur. 99.
Illius honores a peccatoribus expetuntur. 81.
Peccatores ejuſdem delicias Deo præferunt. 83.
Nobiles & divites, in ſuî ſequelam utplurimum trahit. 64.
Ejus honores floribus aſſimilantur. 67.
Quiſquis in eo vivit, pauper & mendicus eſt appellandus. 68.
Ab hominibus non bene cognitus. 56.
Fraudibus plenus. Ibid.

N

NAAMAN Aſſyriorum Princeps, ancillæ conſilio utens, ſalutem obtinet. 302.
NABUCHODONOSOR Rex ob ſuperbiam in belluam mutatus. 182.

NATI-

NATIVITAS Beatæ Mariæ Virginis gaudii occaſionem Mundo præbuit. 343.
Hæc Feſtivitas bonorum omnium fuit exordium. 352.
Nativitatis Deiparæ titulo decoratur Metropolitana Eccleſia Mediolanenſis. 338.
NEGOTIA ſecularia impediunt ſtudium perfectionis. 138.
NEGOTIUM hominis præcipuum, eſt ſalutis æternæ cura. 4.
NERVIANI pagus ubi ſitus. 235. (a)
Non longè ab eodem reportata fuit inſignis victoria, ope Sancti Ambroſii, de Leodriſio Vicecomite. Ibid.
NINARDUS Sancti Bernardi frater, ſtrenuè Mundum ſpernit, ut Monaſticam vitam amplectatur. 74.
NOBILES viri, Sancti Caroli monita vix excipiebant. 64. & 276.
Pravis eorum exemplis plurimos perdunt. 64.
NOBILITAS comparatur aquæ in montibus congregatæ. 275.
A Chriſti ſocietate diſtrahit. 274.
NOMINA quandoque non caſu, ſed ad exprimenda officia, ad quæ homines ſunt deſtinati, apponuntur. 222.
NUBECULA ab Elia viſa, Chriſtum prænotavit. 275.
OPERA Dei ad veram Fidem homines inducunt. 69. & ſeq.
ORATIO cum fide & perſeverantia ad Deum dirigenda. 72. & ſeq.
Numquam incaſſum effunditur. 74.
Ob rerum temporalium recordationem ſuo fine fruſtratur. 59.
ORATIO duobus veluti oculis inſtructa. 37.
Plerique eâ abutuntur. Ibid.
ORATIO pro quibus potiſſimùm ſit inſtituenda. 311. & ſeq.
Animam excitat, ac fovet. 321.
Igni aſſimilatur. Ibid.
Hanc Scala a Jacob viſa deſignabat. 322.
In anguſtiis præcipuè ad Deum effundenda. 366.
Abſque bonis operibus inutilis evadit. 327.
Superveniente tribulatione diligentiùs perſolvitur. 328.
ORATIO tres conditiones requirit. 172.
Primò Fidem. Ibid.
Secundò Perſeverantiam. Ibid.
Demum Humilitatem. Ibid.
In Templo præcipuè ad Deum fundenda. 175.
Ac genibus flexis. 176.
Humiliter & demiſsè perſolvenda. 183.

O

OBEDIENTIA in Religione neceſſaria. 114.
OBEDIENTIÆ virtus in Abraham filium immolante elucet. 286. & ſeq.
Et in Cæco, oculorum lumine donato a Chriſto. 287.
OBSTINATIO in peccatis maximum animæ damnum infert. 95.
OCIUM malitiæ fons. 1. & 5.
Dæmon ocium proponit, ut tempus inutiliter inſumatur. 3.
Hoc vitium æternis cruciatibus puniendum. Ibid. & ſeq.
Temporalium rerum ſolicitudo ab ocio non differt. 4. & ſeq.
Chriſti patientis exemplo ocium eſt vitandum. 5. & ſeq.
OCULI dexteri & ſiniſtri myſtica ſignificatio. 80. & ſeq.
OCULUS eſt lucerna corporis. 53.

P

PADERNI pagus Monti Robio proximus. 356. (a)
Ibi Sanctus Carolus æs Campanum benedicit. 362.
PANES a Chriſto multiplicati, ut turbas paſceret in deſerto. 290. & 292.
Hoc miraculo Providentiæ Divinæ magnitudo oſtenditur. 290.
PARENTUM negligentiâ juvenes filii in morum corruptelam prolabuntur. 225.
Qua potiſſimùm de cauſa filios ſuos ad exteras regiones mittant. 226.
PASSIO Chriſti hominibus ſuadet, ab ocio abſtinere. 5. & ſeq.
PASTORES animarum, Chriſti Domini exemplo gregem ſuum inviſere docentur. 79.
Angelis aſſimilantur. 50.
PASTORES Eccleſiæ quantâ diligentiâ vigilare teneantur. 363.

PATER

PATER æternus quæ dona Beatis largiatur in Cœlo. 28.
PATRIS-FAMILIAS ad Cœnam invitantis Parabola moraliter explicata. 7. & 35.
Quibus modis multos invitet. 31. & ſeq.
PAUPERES eleemoſynam petunt ob amorem Chriſti, quapropter illis eſt eroganda. 264.
PAUPERES ut plurimùm Chriſtum ſequuntur. 276.
PAUPERUM clamores Deum ad miſericordiam flectunt. 72.
PAX inter conſanguineos a Deo dilecta. 193.
PAX vera in Chriſto, & per Chriſtum Mundo illata. 126. & ſeq.
Quibus illam modis conſequi homines poſſint. 131. & ſeq.
PECCATA poſſident hominem, qui in illis ſedet. 95.
Reclamant, ne pœnitentia ſuſcipiatur. 99.
Frequenter commiſſa ad cæcitatem inducunt, & cordis duritiem. 85.
Quænam potiſſimùm hanc perniciem inferant. 86. & ſeq.
Bonis omnibus animam ſpoliant. 66.
A Deo avertunt, & convertunt ad creaturas. 66. & ſeq.
Impediunt animæ conſolationem. 44.
Inducunt malorum habituum neceſſitatem. 45.
Ab illis procedunt calamitates. 294.
PECCATOR in morte afflictionibus undique premitur. 133. & ſeq.
Mendicus jure ac meritò appellandus. 97.
Stulti nomen promeretur. 145.
Cæcis comparatus. 79.
In rebus tantùm corporalibus eſt oculatus. 80. & ſeq.
Samſoni a Dalila decepto aſſimilatur. 93.
Ejus mens a Diabolo obtenebratur. Ibid.
A via ſalutis aberrat. 94.
Deum uti finem ſuum non agnoſcit. Ibid.
Ut plurimùm odit ſalutis ſuæ miniſtros. 95.
Quonam modo ſedeat in via. 96.
Cæcus eſt, quia tenebras amat. Ibid.
Cæcitatis damna in Inferno perſentiet. 97.
In vita ſua æſtati, in morte hyemi comparatur. 327.
PECCATUM hoſtis hominum crudeliſſimus. 156.
Ab hujus tyrannide Chriſtus nos liberavit. 157.
In morbo elephantiaco congruè exprimitur. Ibid.
PECCATUM originale radix actualium delictorum. 340.
PERFECTI in bonis operibus, quàm lautè a Chriſto nutriantur. 41.
PERFECTIO vitæ religioſæ quibus præcipuè fundamentis innitatur. 58.
Colloquia propinquorum magno illi ſunt detrimento. 59.
PERSEVERANTIÆ virtus, ceterarum virtutum corona. 283.
Hanc Dæmon deſtruere nititur. 284.
Hujus virtutis fructus expenduntur. Ibid.
S. PETRUS Apoſtolus in Chriſti transfiguratione terrenorum obliviſcitur. 26.
S. PETRUS ſibi nimiùm tribuens, Chriſtum negavit. 173. & ſeq.
PHARISÆI & Publicani parabola fusè explanata. 170.
Illius in Templo ſuperbia. 175.
Orationem ſuam malè exorditur. 176.
Ceteros homines deſpicit. 178.
Præcipuè Publicanum. Ibid.
Aliena magis, quàm ſua peccata reſpicit. Ibid.
Proprias virtutes deprædicat. 179.
Quo fine bona opera ſua enarret. 180.
PHARISÆI jejunantes, quam ob cauſam a Deo reprobati. 263.
In Templo ſtantes, ſua magis, quàm Dei negotia agebant. 265.
In Moyſe confidentes, Chriſto non credebant. 266.
PHARISÆORUM Princeps Chriſtum convivio excipit. 7.
PHILOSOPHI gentiles, licèt cæci, ad quamdam Dei cognitionem, creaturarum rerum conſideratione devenerunt. 69.
PONTIROLI Præpoſitura inſignis, a Sancto Carolo Mediolanum translata. 136. (b)
PONTITIANUS Sancti Antonii Abbatis vitam legens, ſeculi pompas deſpicit, ut Deo ſoli famuletur. 68. & ſeq.
PRÆDICATIONIS Chriſti modus, & fructus. 154.

PRÆDICATIONIS Evangelicæ magna efficacia. 13.
PRÆDICATORES ad myſticam Chriſti cœnam populos invitant. 11.
PRÆDICATORES a Domino conſtituti, ſunt nuncii ſalutis noſtræ. 43.
Quomodo populos vocent. Ibid.
S. PRAXEDES a teneris annis Deo famulatur. 116.
Servos ſuos libertate donat. Ibid. (*b*)
Chriſtianis favet. Ibid.
Martyrum ſanguinem ſpongiis colligit, & eorum corpora ſepelit. Ibid.
In Eccleſia illius nomini Romæ dicata puteus adeſt, ſanguine & oſſibus Martyrum plenus. 117. (*a*)
Sancti Caroli ad hanc Beatam Virginem deprecatio. Ibid.
Sub Sanctæ Praxedis titulo Aſceterium Monialium Capuccinarum Mediol. a Sancto Carolo extructum. 106. (*a*)
PRINCIPES ſubditorum curæ, & cuſtodiæ invigilant. 312.
Speculatoris officium gerunt. 313.
Illorum conditio non invidiam, ſed miſerationem promeretur. 314.
PRODIGUS filius liberaliter a Patre receptus quid deſignet. 39.
PROFICIENTES animæ in tramite virtutis, ſpiritualibus conſolationibus reficiuntur. 40.
PROVIDENTIA Dei creaturis omnibus accommodata. Ibid.
PRUDENTIA Chriſtiana, in Cæcis a Chriſto lumine donatis mirabiliter elucet. 75.
PRUDENTIA humana ſequaces ſuos a Regno Cœlorum avertit. 308.
Ejus exemplum in Apoſtolis Divinum Præceptorem interrogantibus, quomodo turbæ paſcendæ eſſent in deſerto. 285.
A Chriſto Domino confunditur. 309. & 361.
Arundini aſſimilatur. 285.
PUBLICANI in Templo orantis converſio mirabilis. 171.
Ut humilitatem oſtenderet, a longè ſtabat. 184.
Præ intimo cordis dolore pectus percutiebat. 186.
Orandi modum docet. Ibid.
Peccatorem ſe profitebatur. Ibid.
PUTEUS in Eccleſia Sanctæ Praxedis Romæ, ſanguine & oſſibus Martyrum ab eadem Sancta Virgine repletus. 117. (*a*)

R

R*Aca* vox quid ſignificet. 247.
RECORDATIO rerum temporalium ab oratione divertit. 59.
RELIGIOSA vita quem ſcopum habere debeat. 54.
Perfectionem inſinuat, & requirit. 54. & 58.
Humilitatem proponit. 55.
Solitudinem exigit. Ibid.
Quinam præcipuus religionis fructus. 57.
Non corpore ſolùm, ſed animo etiam a Mundo eſt ſecedendum. Ibid.
Quænam ſint perfectè vivendi impedimenta, & quænam iſtorum remedia. 58. & ſeq.
Propinquorum colloquia ſunt vitanda. 59.
RELIGIOSI viri a detractoribus injuſtè carpuntur maledictis. 196.
Orationibus ſuis pro peccatoribus intercedunt. Ibid.
Eleemoſynis ſunt fovendi. 197.
RESURRECTIO mortuorum in circumciſione legali ſignificata. 23.
RITUS Ambroſiani mos, quo voce elata ante cantum Evangelii indicitur: *Parcite fabulis*, & *Silentium habete*. 77. (*d*)
ROBIUS Mons quomodo antiquitus appellaretur. 356. (*a*)

S

SABAUDIÆ Domûs magnificentia, atque amplitudo. 350.
Potentiſſimis Regibus affinitate conjuncta. Ibid.
Magna religione Sanctum Carolum Borromeum proſequuta eſt, & donis ditiſſimis ejus ſepulchrum cumulavit. 351. (*a*)
SACRAMENTORUM frequens uſus, Chriſtianis utilis & neceſſarius. 261.
SALMANASAR Rex Aſſyriorum Iſraëliticum populum in captivitatem adducit. 235.

SALO-

SALOMON quid petendo tam dives evaſerit. 102.
Licèt ſapientiſſimus, ob nimium tamen fœminarum amorem, in errorem cecidit. 376.
SALUS hominum pluribus modis a Chriſto procurata. 103.
SAMARITANÆ mulieris eum Chananæa comparatio. 111.
SAMARITANI a latronibus vulnerati infortunium, hominis in peccatum lapſi miſeriam deſignat. 66.
SAMSON a Dalila deceptus. 92. & ſeq.
Peccatoris a Dæmone irretiti calamitatem præfigurat. 93.
Viribus ſuis nimium fidens ſuccubuit. 173.
Ob mulieris fraudem, Philiſthinorum captivus evadit. 374. & ſeq.
SANCTORUM gloria in Cœlis maxima. 29. & ſeq.
SAPIENS aliorum conſilia audire non dedignatur. 302.
SAPIENTES homines ſe nihil ſcire exiſtimant. 181.
SATAN ſemper ſtuduit Chriſti opera imitari. 2.
Proponit ocium, quo tempus inutiliter inſumatur. 3.
S. SATYRUS Euchariſtiâ munitus e naufragio evadit illæſus. 364. & ſeq.
SCRIBÆ & Phariſæi genio ſuo præcepta Legis accommodabant. 239.
Ob cordis duritiem quænam illis permittebantur, quæ Fidelibus interdicuntur. 260.
Horum juſtitiam Chriſtiani ſuperare tenentur. 239. & 259.
SENNACHERIB in multitudine exercitûs ſui ſpem ponens, copiis plurimis privatur. 174.
S. SEPULCHRI Eccleſia: Ibi habebantur qualibet hebdomada ſermones de Paſſione Domini. 6. (a)
In eodem Templo a Sancto Carolo inſtituta eſt Societas Matronarum. 118. (a)
SEQUACES Chriſti quinam ſint nuncupandi. 298.
Mundi ſequaces, quàm malè ab ipſo habeantur, & quàm multipliciter affligantur. 300. & ſeq.
SERPENS prudentiam deſignat. 222.
SILENTIUM bis indicitur alta voce ante cantum Evangelii, ritu Ambroſiano. 77. (d)
SILENTIUM in Monaſteriis, humilitatem cuſtodit. 115.
S. SIMPLICIANI Oſſa, a S. Carolo recognita & translata. 220. (b)
In Baſilica eidem Sancto Præſuli dicata ſervantur. 221.
Verè Civis Mediolanenſis fuit. Ibid. (a)
Eccleſiaſtici ritûs cæremonias auxit. Ibid. (b)
Simplicitate, ac prudentiâ clarus. 222.
Licèt corpore infirmus, totis niſibus animarum ſalutem procuravit. 223.
Pericula non timuit. Ibid.
Generis nobilitate inſignis. 224.
A prima ætate Dei ſervitio ſe tradidit. 225.
In varias Mundi partes peregrinatus. 226.
De SS. Ambroſio & Auguſtino optimè meritus. 227.
Auguſtinum ad Ambroſium ducere ſtuduit. Ibid. & ſeq.
Victorinum Rhetorem ad Chriſti Fidem convertit. 228.
Apoſtolorum Reliquias Romà Mediolanum attulit. Ibid.
Ambroſio Mediol. Eccleſiæ Præſuli ſuccedit. Ibid. & ſeq.
Illius virtutes plurimæ. 229.
A SS. Ambroſio & Auguſtino laudatus. 230. & ſeq.
Quonam ſenſu S. Ambroſii parens ſit dicendus. 230. (a) 233.
Synodi Carthaginenſis Patres epiſtolam ad eumdem mittunt. 232.
S. Auguſtinus duos a ſe compoſitos Libros illi dicat. 231.
Quo anno obierit. 233. (a)
SIMPLICITAS eſt virtus, multa commendatione digna. 224.
S. SIXTUS Pont. Max. Sanctum Laurentium morte ſua ad martyrium excitavit. 168.
SOCRATES ſenex ſe nihil ſcire aſſerebat. 303.
SODOMÆ nequitia a Deo igne punita. 2.
SOL, Chriſti Domini ſymbolum præclariſſimum. 61.

SOLICITUDO rerum hujus Mundi eſt temperanda. 198.
SOLIS radii, duplex beneficium terræ afferunt. 151.
SOLITUDINIS ſtudium religioſam vitam ducentibus ſummopere utile. 55.
Exemplo trium Monachorum id clarè oſtenditur. Ibid.
SPIRITUS Sanctus quibus donis cumulet Beatos in cœleſti gloria. 28. & ſeq.
Ab eodem procedit fortitudo Chriſtiana. 377. & 382.
SUPERBIA a Chriſto damnata. 7.
Excæcat oculos mentis. 86.
Ceteris præeſſe ſtudet. 44.
Ob honorum acquiſitionem animas perdit. 45.
Repugnat Sapientiæ Divinæ. 151.
SUPERBIA quatuor gradibus comprehenditur. 177. & ſeq.
Filiam habet jactantiam. 180.
Quibus remediis comprimatur. 182.

T

TEMPLUM Chriſtianorum, vetus Jeroſolymæ Templum excellentiâ longè ſuperat. 267.
Fideles plerique a Templo abſtinent, ut vacent ludis. 268.
Aut irreverenter ibi immorantur. Ibid.
TEMPLUM eſt domus orationis. 175.
Profanatores ejuſdem acriter puniuntur. Ibid.
In eo flexis genibus adorandus eſt Deus. 176.
TEMPORIS ratio habenda eſt, ne vèl unum momentum inutiliter tranſigatur. 65.
TEMPUS eſt donum hominibus a Deo conceſſum. 3.
Quale tempus ſit verè noſtrum. 4.
In procurandis temporalibus commodis malè inſumitur. Ibid.
Pro acquiſitione ſalutis æternæ utiliter impendendum. 5. & ſeq.
TERRA admodum parva eſt, ſi Cœlo comparetur. 30. & ſeq.
S. THECLÆ Virginis & Martyris Caput in Metropolitana Mediolanenſi Eccleſia ſervatur. 367.
Eccleſia olim huic Sanctæ Virgini dicata appellabatur *Æſtiva*. 369. (*a*)
Quo tempore Eccleſia iſta deſtructa fuerit. Ibid.
Quando Sacrum Theclæ Caput e veteri Templo in Metropolitanum fuerit translatum. Ibid. (*b*)
Quo ritu Sanctæ Theclæ dies feſtus in Metropolitana Mediol. celebretur. Ibid. (*c*)
Hujus Sanctæ Martyris invicta fortitudo laudatur. 370. & 378.
Inter mulieres Protomartyr. 378.
Quo ætatis ſuæ anno obierit. Ibid. (*c*)
A propria Matre accuſata. 378.
Sponſum ſibi oblatum reſpuit. 379. (*c*)
Variis cruciatibus, atque igni damnata. 379.
Feris oblata, ab iiſdem non læditur. Ibid.
Ob hoc miraculum a Sancto Ambroſio laudibus cumulata. 380.
Signo Crucis munita a ſerpentibus illæſa evadit. Ibid.
A Proconſule libertati reſtituitur. Ibid.
Sancti Pauli Apoſtoli diſcipula. 381.
Solitariam vitam amplectitur. Ibid.
Num ejus præclara geſta a Sancto Baſilio Seleucienſi fuerint conſcripta. 382. (*a*)
Mulieri in Sacro Proverbiorum Libro deſcriptæ comparatur. 383. & ſeq.
Templum ad ejus honorem a Zenone Imperatore Seleuciæ conſtructum. 386. (*b*)
Ad hujus Sanctæ Virginis tumulum frequens erat Orientalium populorum concurſus. 387. (*a*)
Sanctus Cyprianus Sanctæ hujus Martyris fortitudinem claro encomio donavit. Ibid. (*b*)
THESAURI in agro abſconditi Parabola a Sancto Carolo fusè explicata. 107.
THESAURUS abſconditus cœleſtem gloriam deſignat. 108.
TIMOR Domini, religioſam vitam profitentibus maximè neceſſarius. 54. & ſeq.
TRIBULATIONES hujus Mundi ſunt divinæ pietatis indicia. 46. & ſeq.
TRIBULATIONES quandoque a Domino permittuntur, ut ſalutem hominum concilient. 360.
TRICIUM Caſtrum ubi ſitum. 120. (*a*)

Inde